Pro Rhetoribus Tyrocinii A-
cademicis Soc: Jesu
Craco: ad S. Math: Pro.
Majoris Polo:

Ex Libris Illmi
Dni Boguslai
Stephani Zaremba
Petri Smu...

Domus Probationis
Pro Rhetoribus Academicis
Provinciae M: Poloniae

ELOQVENTIA RECONDITIOR

Ubi pleraq;

Mira ab argumento Rariora pleraq;

Per varia

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ

SPECIMINA

tractantur.

AUCTORE
P. IOANNE KWIATKIEW
Societatis IESU.

cie
sito
mai
t it
ha

POSNANIÆ,
Typis Collegii Societ. IESV, Anno 1639.



umbit caries libris; tacitiq; disertos
A thores, ævo, surripuêre dies.
LESZCZYNIO; *metuat né fata,* RE-
CONDITA PALLAS,
Vnde renascatur seu CAPVT *esse Domi.*

FACVLTAS

R.P. *Præpositi* PROVINCIALIS *Societ. IESV per Poloniam.*

Cùm Opus quod inscribitur ELOQVENTIA RECONDITIOR, à P. IOANNE KWIATKIEWICZ Nostræ Societ: Sacerdote compositum, aliquot ejusdem Societatis Patres recognoverint & in lucem edi posse probaverint, potestate Nobis facta ab A R.P.N. THYRSO GONZALEZ præfatæ Societatis Nostræ Generali Præposito facultatem concedo, ut Typis mandetur, si ijs ad quos pertinet it videbitur. Cujus rei gratia ha literas manu mea subscriptas, Sigilloq; munitas dedi. Cracovi 12. Mai Anno Domini 1689.

IOANNES HERMANNI.
mpp.

AD PERILLUSTREM

&

MAGNIFICVM DOMINVM

D. STANISLAVM

Comitem in Leſno

LESZCZYNSKI

PALATINID: POSNANIEN:

MOSCICENSEM &c.

CAPITANEUM.

QVàm ſincerâ fronte, in lucem publicam prodierit Admirabilis hic Orator, documentum dedit,

dit, cùm Illustrissimæ Aulæ Tuæ Penates, subintrandi animos, sibi persuasit. Insolens id, & grandi propè non impar miraculo, tot inter pulchra Domûs Tuæ Prodigia, Mirabilem esse non desinere; eoq; Admirabilia Rostra inferre, ubi cunas admiranda habent, non Receptus, & nasci stupenda solent, non divertere. Non est, quod in huius rei gratiam, sopitos in thoro immortalitatis Maiores Tuos suscitemus, ne & hoc Thaumaturgum sit: Tu ipse, tam propè prodigium accessisti; ut non tam in lucem, quàm admirationem, & quandam inexpectatam Patriæ felicitatem, editus esse videaris. Iam enim vires, iam omnia decora, quæ spes publicæ concipere, vota complecti poterant, in Illustrissimum Parentem Tuum, elocâsse naturam putabamus: propèq; desperavimus; nasci deinceps posse talem LESZCZYNIUM, qualem, Imperiis sociandis, Patriæ sospitandæ, ornandis Curulibus, generis humani voluptati, Dij immortales, in Palatino Posnaniæ, donaverunt. Maius Votum Patriæ, major solicitudo publica, suspirium populorum majus erat; ut Illustrissimus Progenitor Tuus nunquam denasceretur, quam spes, quam omen, ut illi similis, aliquando nasceretur, nisi Tu natus fuisses. Quem, (boni Superi!) quanto ardentiùs optabamus nasciturum, tanto timebamus magis, ne non nascereris; quoniam necessitatem

tem

tem doni optati metus obtinendi superabat, quem in pectoribus nostris paterna singularitas; & amplitudo æqualium impatiens, excitârat. Omnia nobis in illo donata, effusa in illum omnia videbantur, ut si quid præterea par, in voto eßet, non satis magnitudinem muneris æstimare, nec tantùm exspectatione, sed captu & judicio etiam, altius beneficium à superis accepiße damnaremur. Ita non ad ideam posterorum, non ad sequacium exempla, sed ad desperationem æmulorum, & quandam jactantiam naturæ, Virtus, Fortuna, Gradivus, Minerva, Gratiæque illum finxêre omnes, & quotquot propitia Numina colimus, ornavêre. Derivatis in unum se omnium

omnium decoribus, extinxit in nobis desideria sibi similium spem parium confudit magnitudine: ut metuere sibi felicitas publica videretur, ne, si tam multi LESZCZYNII paßim bono publico obtingerent, quàm eveniunt Magni, Orbis angustias pateretur.

Et hoc est primum ex Ortus Tui insolentia prodigium! Nasci potuiße ex eo, de quo communis existimatio adoleverat quod ad id unum, cœlo lapsus eßet, ut hostibus terrorem Patriæ victoriam, omnibus admirationem pareret; similem autem sibi, nec à se ipso sperare illi liceret, ob prototypi excellentiam: ne, qui omnia singularia in uno se & complecti meruit & geßiße, ipse

ipſe non eſſet ſingularis. Accedit, quòd non alio fine, de prole provideri ſoleat à natura, quàm, ut heroum damna ſarciantur, quos Fatorum vis maligna, interdum vitæ eripit, cum nequit famæ. Hinc nulla penes publicam Fortunam ſolicitudo erat, ut haberet Illuſtriſſimus Parens Tuus, in quo perennaret cum extra immortalitatis pericula poſitus eſſe, tam Virtute ſua, quàm opinione omnium cenſeretur. Non enim minus ipſe perennaturus credebatur quàm omnia quæ egit immortalia fuêre. Superfluum proinde ſtudioſiſſima aliàs parſimoniæ parens natura, acturam ſe rebatur, ſurrogando ſobolem, nunquam deſituro Patri: & inconſulto metu occurrendo

do damnis, tam incertis, quàm certiſſima eſt, Patris Tui facinorum æternitas. Vtcunq; enim nobis, non tantùm voluptatē domi, foris gloriam, ſed invidiam etiam apud ſuperos, Senatoriæ eius dotes parere videbantur, tantoq; maius periculum, ne repeteretur à Dijs, quanto & ipſe major erat: minus tamen robur omne, vires omnes minores erant; quàm ut tam ingens Patriæ Decus, tot victorijs onuſtus Triumphator, tot geſtis honoribûs gravis Senator, Orbe noſtro moveri, Olympo capi; inter Sidera poſſet aſportari. Tam parva igitur feliciſſimi Ortus Tui ſpes affulgebat, quàm ingens erat ille, à quo oriturus eras: accedente non vano naturæ metu: ne ſi quid poſt Patrem

Patrem Tuum ederet, minus esset. Factumq; est, ut dubium reliqueris majore gaudio, an admiratione Natum Te exceperit patria quam ingentem illi pepe-risti vix ipse natus.

Cæterum crescente Te, etiam prodigia crescere videbantur, ante sq; nimium erat quod nam ostentum majus? qualis? an unde satus esset? Tales enim non gigni, sed cœlo labi, & à Dijs immortalibus procreari, donariq; delitiis humani generis prisca secula credebant. Nisi felicius hoc seculo fuerit, Ducis Sarmatici Nepotem, Palatini Posnaniæ Filium quàm olim Deorum munus esse. Nam & Illustrissimum Avum, Patremq; Tuum, ætas illa, inter Numina retulisset, si

si ad Heroas illos, quos Apotheosi consecrare solebat, ita annis accessissent, sicut meritis excesserunt; tantò viciniores illorum honoribus futuri, quantò magis temporum intervallis sunt remoti.

Quid autem inter Nobilissima mentis Tuæ ornamenta non emicat? Cui non tantundem admirationis debeant judicia, quãtum pectora amoris? quem, ut aliquando edidisset, diu vires suas exercere debebat natura, nunquam non Magnorum in Domo LESZCZYNIA à tot seculis procreatrix. An prodigio vacat? illa, penes immensam virtutum multitudinem singularitas? in densissimo comitatu, qualitatum raritas? illud in ætatis pueritia

seni

ſenium mentis? & quædam animi canities? Per Iovem! quis plura decora numeravit, quàm momenta? Virtutes quam annos? quis ſtaturæ proceritatem ſublimitate animi prævertit? quis in puero virum dedit? & creſcendi intervalla, adultis moribus confudit? Fictum id de quibuſdam, datum nemini: oblátũ ab aßentatione, ſincera veritas reprehendit. Sed, quidquid in alijs animi opinionem ſuperat, indolem Tuam vix adæquat; nihilq; in Te non hábet Fidem, quod meruit admirationem. Quidquid ſupra cæteros de Te dicitur, magna credendi cauſa eſt tantus Pater! facit fidem, qui dedit vitam. Credibiliùs, & ſimiliùs vero videtur, nihil Tibi dediße, quo

quo non ſuperes alios, quàm non ſibi ſimilem genuiße.

Hæreditarium illud, Paternum illud: adhuc è ſinu Muſarum, lacertos Patriæ ſupportandæ vibrare, rotare calamum, & mereri volvere volumina, & implere exercere ingenium ſuum, & aliena fatigare!

Quidquid ſummum, quidquid Avitum eſt, quidquid domeſticũ: ſeu Labarum Regni explicare, ſeu Ceras Aquilaſq; tractare, ſeu fata hoſtibus clavâ minari, tam cognatum promptumq; Tibi poſſe, quàm facilè eſt ſcire, niſi ſupra ætatem eßet, quod non infra indolem eſt. Quanquam pulcherrima hæc gloriæ virtutumq; portenta, admirationem in Domo LESZCZYNIA amiſerunt, haſe-

hæseruntque penes naturam. Quid enim faciliùs, quàm in tanto admirabilium facinorum tumultu, & novorum cum antiquis prodigijs occursu amittere sese miracula, obsolescere in tanta frequentiâ! præq; sæculorum enio faciem mutare?

Aspice jam Libri frontem, & vel primo, quem leges, titulo, Tuus est Admirabilis Orator, quem, nisi talis ad Te accessisset, Tu facturus eras. Quanquam si ultra faciem, etiam in præcordia, benevolentissimo oculo, immigrare libuerit totis visceribus Tuum, toto Corpore Tibi acclinem videbis. Quotquot Admirabilis Eloquentiæ Specimina, tot quasi jura Tua in illum leges. Si enim inter Suadæ suæ Miran-

Miranda, Mutam Eloquentiã *exhibet; LESZCZYNIANUM esse cogita: etiam Admirabiles Oratores Mutos reddere, & dicendorum immensitate mereri disertissimos, Tacitos habere. Si* Fulminatricem *vibrat; circumspice Majores Tuos, si quis inter Domus Tuæ Numina non Iupiter est? Si* Pugnacem? *Sanguis Heroum es, Ducum Nepos. Si* Omnigenam, *si linguarum omnium? Singulas mereris, omnibus major. Si* Facilem? *Extemporaneam? Quid faciliùs? quàm dictionem de Vobis ordiri, at finire non item! Sudant ingenia non de argumento Laudum Vestrarum, sed de fine. Quam facilè initiá dicendi, celebrandi, Vos occurrunt, tam ægrè*

grè extrema. Orſa ex tempore, auſcultat æternitas.

Quodſi Admirabili Oratori facilem negabis aurem, at negare non poteris, omnia in Te ſumma miraturo, hæc enim publica felicitas eſt & communis. Quanquam merito exilem codicem capeſſere, non invita manu debes, qui ingentibus Voluminibus vix jam capi potes, cum non tantùm ſpes de Te conceptas, ſed paginas etiam imples. Vt autem etiam annos immortalibus Virtutibus pares, Noſtraq; pro Tua Patriſq; Tui Illuſtriſſimi vota, impleas, habes, non Admirabiles equidem, haud tamen Mutos aut indiſertos pro Domo Tua Oratores in Devotiſſimo illi

Collegio Poſnanienſi.

INDEX
Totius Libri.

Admirabilis Eloquentiæ
SPECIMEN I.

MUTA ELOQUENTIA

§ I. ***Prima ſpecies mutæ Eloquentiæ,***

VII. Criptographia & Criptologia per Adagia.

§ 2. *Secunda species mutæ Eloquentiæ,*

ELINGUES, ac MUTI ORATORES.

Primus, Necessitas, mutus Orator efficax.

2. Fames & sitis, mutus Orator.
3. Forma corporis.
4. Verbera, catastæ & inopia.
5. Aurum & dona.
6. Beneficia, aliquando, efficax mutus Orator.
7. Exempla.
8. Machina uniuersi, Orator divinus.

§ 3. *Alij Muti Oratores, seu vocis Prodigia in elinguibus.*

1. Vocis prodigium in rebus mutis.
2. Stella cælestis lingua.

3. Mi-

3. Mira Epistolæ vox & lingua paginæ. *Ubi literæ Loquaces Peruanæ*
4. Ferrum loquax.

II. Vocis Prodigia in auibus.

1. Corvus salutator.
2. Psittaci religio & mira vox.
3. Calandra avis piè eloquens.

III. Vocis & linguæ Prodigia in artefactis.

1. Statuæ loquaces.
2. Vis soni vocisq; harmonicæ.
3. Prodigiũ citharæ Davidicæ.

IV. Vocis Prodigia in Infantibus, & Diuis elinguibus.

V. Votum tyrannidis & inuidiæ, omnes muti.

§ 4. *Quarta species mutæ Eloquentiæ.*

Actio Oratoria an stylus Orator potior?

§ 5. Infantia diserta, seu Ars effici-

endi

endi ex muto disertum subitò Oratorem.

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN II.

ELOQUENTIA OMNIGENA, Seu ORATOR OMNIUM LINGUARUM.

1. Mira hujus Eloquentiæ Paradoxa.
2. Homines plurium linguarũ.

§ 2. Oratores plurium linguarum.
1. Echo. 2. Apostoli Hierosolymis. 3. S. Franciscus Xauerius vir omnium linguarum, in Indijs.

§ 3. Artificia duo, linguæ & eloquentiæ Omnigenæ.

§ 4. Principatus linguæ, ubi?
I. Quænam in orbe prima linguarum fuit Princeps
II. Quænam linguarum dignior an Hebraica? an Græca? an Latina?

§ 5. *Exercitium variarum linguarum in uno argumento*

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN III.

ELOQUENTIA PARADOXA, Et incredibilia persuadens in rarioribus argumentis

§ 1. *Duplex hujusmodi Eloquentia,*

§ 2. *Leges & modus hujus Eloquentiæ.*

§ 3. *Paradoxa etiam in Sacris.*

§ 4. *Paradoxa rariora Oratoriè.*
I. An in aëre navigari possit? *Resp.* Posse.
II. An possit juventus seni restitui? *Resp.* Posse.
III. Arbor tabellaria Vladislai IV Regis Poloniæ.

§ 5

§ 5. *Paradoxa aliquot erudita.*

1. Scala in amphora.
2. Campana mirabilis.
3. Ex torque flagellum.
4. Tormentum homine oneratum pro globo plumbeo.
5. Corvus piſcator.
6. Philoxeni gula.
7. Arbor hoſpitalis.

§ *Paradoxa Sacra Oratoriè.*

1. Uva ambulans.
2. India capit duos ſoles.
3. Miles infulatus.
4. Eques Deus.
5. Meliùs alunt jejunia.
6. Regnum capit duos imò plurimos Reges ſimul.

§ 6 *Paradoxa arte facta aliquot.*

1. Ars nova, curru diſcedendi ſine equorum aut jumenti uſu.

Plura hujuſmodi vide in Thaumaturga Eloquentia.

ADMI-

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ

SPECIMEN IV.

ARS MEMORIÆ.

§ 1. Memoriæ miracula.

§ 2. An detur Ars memoriæ?

§ 3. Rejiciuntur quædam memoriæ auxilia.

§ 4. Ars memoriæ traditur primo modo.

§ 5. Notæ Hieroglyphicæ Arti memoriæ ſeruientes.

§ 6. Ars memoriæ traditur in digitis, ſecundo modo.

§ 7, Tertius modus Artis memoriæ, Perſonalis.

§ 8. Quartus modus Artis memoriæ.

§ 9. In abuſum memoriæ, & illud· *In optimis decet eſſe memorem.*

§ 10. De Arte oblivionis, & obliviosis.

)1(ADMI-

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ
SPECIMEN V,
EUTRAPELIA ORATORIA,
id eſt,
ELOQUENTIA feſtivis ſalibus reperſa.

§ 1. I. *Sales Attici in verbo, octo modis.*

II. Sales Attici in re ac ſentētia, 17. modis.

§ 2. *Eutrapeliæ locus.*

Primo in feſtivis narrationibus.

1. Fur attonſus.
2. Funus vivum, & urſi conſilia.
3. Eutrapelia cruenta.
4. Eutrapelia Ducis cujuſdam jucundè æquivoca.
5. Eutrapelia piè crudelis.

§ 3. *Eutrapeliæ locus in Poëſi.*
Luſus Calculorum Heroico metro comprehenſus.

§ 4. *Eutrapelia Oratoria,*
1. Iocus in obeſum.
2. Iocus in profugum ex bello.

§ 5. *Eutrapelia in Dialogiſmo,*
Ut claudi cum milite.

§ 6. *Eutrapelia in tenui argumento vel inopino iucundè ingeniosa.* Hic.
1. Hyems præfertur alijs Anni partibus.
2. Senium præfertur inter ætates.

§ 6. *Eutrapelia Sacra.*

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ
SPECIMEN VI.
ELOQUENTIA DUBIA.
Quoad Problemata rariora.

§ 1. *Divisio Eloquentiæ Problematicæ. Modus hic tenendus.*

§ 2. *Problemata rariora Oratoriè diducta in utramq; partem.*

Problema 1mum. An rosa ante piaculum Adæ sentibus caruerit?

2. An Phœnix unquam exstiterit aut existat?

3. An Remora Piscis vim in naves retinendas teneat?

4. An mundus in Vere, an Autumno conditus?

5. Ubinam sol conditus est, in nostro an subterraneo Hemisphærio ac Horizonte?

6. Exstetnè adhuc Paradisus?

7. Sitis, an fames intolerabilior?

§ 3. *Problemata Politica rariora Oratoriè diducta in utramq; partem*

Problema 1. An Monarchia, vel Aristocratia, vel Democratia in regnis potior?

2. Electio Principũ, an Successio naturalis melior?

3. Quis regno adoptandus, Exterus, an Indigena?

4. An muliebre imperium aptũ sit imperijs?

5. An forma conferat ad Regnum?

6. Astus, an virtus in vincendo præstet?

7. An celeritas, an cunctatio in victoria potior?

8. Quid contra fugam, vel pro fuga ex bello?

9. Pax, an bellum perniciosius?

10. Præmijs, an supplicijs Respublica plus proficiat?

11. Quid expediat Principi, timeri, an amari?

ADMI-

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN VII.

ELOQUENTIA THAUMATURGA.

§ 1. *Comparatio Eloquentiæ Thaumaturgæ.*

§ 2. *Eloquentiæ miri effectus & quædam Prodigia.*

1. Eloquentia armatos vincit inermis.
2. Eloquentia mortuos excitat: vitam dat inanimis, & ratione carentibus.
3. Cæcitatem depellit, flectit mollitq; dura ingenia.
4. Res longè dissitas nec existentes videre & audiri facit. Hic descriptio vocis Lusciniæ & harmonicæ ad vivum.

§ 3. *Eloquentiæ Thaumaturgæ Miracula.*

Miraculum Artis 1. Aqua elementaris accendens.

Miraculum 2. Glacies comburens, nec ardens.

Miraculum 3. Glacies ardens.

Miraculum 4. Fax accensa inextinguibilis.

Miraculum 5. Iter per ignem sine noxa.

Miraculum 6. Super aquas ambulare.

Miraculum 7. Ferrum repens situ erecto.

Miraculum 8. Aërem in conclavi innoxiè accendere.

§ 4. *Instrumenta & subsidia Eloquentiæ Thaumaturgæ.*

1. Subsidium ab arte & ingenio. Hujus

Idea 1. in Aristide apud Alexandrum.

Idea 2. In Machæra apud Philippum.

Idea 3. in Antistite Gazensi apud Arcadium.

2. Subſidium, Argumentum irrefragabile.
3. Inſignes Oratorij affectus.
4. Figuræ quædam, & exaggeratio.

§ 5. *Orator Admirabilis huc ſpectat.*

I. Varij Admirabiles Oratores extra Rhetoricam.

II. Quæ ad Oratoris Admirabilis nomen conferant?

1. Rara & Mira inventio, & rariora argumenta.
2. Mira elocutio,& ſenſus admirabiles.

III. Mira eruditio eidem congruit, & aliqua affertur.

1. Mira lapidum gemmarumq;
2. Mira Fontium.
3. Mira arborum, plantarum, herbarum.
4. Mira Piſcium.
5. Mira animalium.

6. Mira

6. Mira avium.
7. Mira Hominum.

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN VIII, ELOQUENTIA FACILIS ET EXTEMPORANEA.

§ 1. *Prima ſpecies Eloquentiæ facilis eſt, Eloquentia extemporanea.*

1. An detur Extemporanea Eloquentia?
2. Extemporalis facundiæ adminicula & modi.

I. Ex ratione ſubito occurrente per Expolitionẽ Oratoriam circumducta. Gratulatio Honoris ſubita apponitur.

II. Sumpto dicendi impetu ex aliqua præſenti circumſtantia. Ponuntur hic aliquæ pænè ſubitæ dedic ationes libellorum, & plauſus Epithalamici.

)5(III.

III. Ex loco communi & universali sententia. Ponitur ibi subita Hospitis salutatio.

IV. Ex ratione primo occurrente ad syllogismum quadripartitum redacta. Ponitur hic Parænesis ad castimoniæ studiũ: cælibes, quasi cælites.

V. Alij Modi.

§ 2. *Eloquentiæ facilis alia subsidia.*

Primus modus, Materiem dicendi ad certa aliqua puncta redigendo seu disparata seu indigendo

Secundus, per ratiocinium multiplex. Ponitur hic tum Encomium verecundiæ, tum Encomium temperantiæ.

Tertius, ex adjunctis eruendo argumentum dicendi.

Quartus, aliquando ab enumeratione partium. Sic illa sententia dilatatur: ubique eloquentiæ locus est. Nempe etiam inter arma: item in senatu: item in legationibus: item in sacris exediris. si quo in regno, certè in Polonia regnat.

Quintus: Per Protasim & Apodosim ab exemplo vel comparatione eductam.

Alij modi speciales ultimò congeruntur.

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN IX

ELOQUENTIA PERICLIS, FULMINATRIX.

§ 1. *Fulmen tum cæleste, tum Oratorium multiplex.*

§ 2. *Fulminum Oratoriorum genera & officinæ.*

1. Genus fulminum minax.
2. Fulmen Oratorium, sarcasmi
3. & 4tum. proponitur.

§ 3.

§ 3. *Elocutio Fulminatrix.*

1. Fulmen in Auctorem armorũ.
2. Fulmen in Auctorem Sclopi.
3. Fulmen in pulveris tum nitrati, tum muti pulveris inventores
4. Fulmen in otium.
5. Fulmen in scelestum. Item modulantium choragum. itẽ in Cham filium Noe.

Diræ in hæreses.

§ 4. *Fulminatrix Eloquentia in Invectiva & acri refutatione.*

Invectiva in Licinium, literas virus Reipub. asserentem.

Acrior refutatio Lucani, qui in Pharsalide sua illud occinit:

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Corollarium. Quænam fulmen non impetat?

ADMI-

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN X.

ELOQUENTIA PANTOMIMA.

§ 1. *Eloquentia Pantomima in stylo.*

Militare facinus stylo Tullij descriptum. Idem stylo Taciti Lipsijque.

§ 2. *Eloquentia Pantomima quoad affectus.*

Ethopæia 1. Quis Parisiensium sensus ad prodigia cæsi S. Dyonisij Areopagitæ.

2. Affectus Trium Regum ad Stellæ conspectum.
3. Heraclius Divinæ Crucis bajulus in agresti amictu.
4. Affectus de excidio Hierosolymæ.
5. Niobe super liberis occisis obrigescens.

§ 3.

§ 3. *Eloquentiā Pantomima in descriptionibus*
4. Leges reliquæ ejusdem.

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN XI.
ELOQUENTIA SATYRICA.

§ 1. *Satyræ Auctor geminus, nempe Reus, & Momus.*

§ 2. *Satyrici distinctio & vitoa.*

§ 3. *Natura & leges aliæ Satyrici.*

§ 4. *Aliqua Satyrica Oratoriè.*
1. Satyricus in luxum labentis sæculi.
2. Satyra Noëtici sæculi.
3. Alia Satyrica promiscuè.
Idea Satyræ clausæ vel ænigmaticæ ex Auctoribus peti jubentur, ut Argenide, Euphormione &c.

ADMI-

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN XII.
Rarior Triplex Eloquentia.
SIMULATRIX, MUTUATRIX, ÆNIGMATICA.

§ 1. *Artificium Simulatricis Eloquentiæ.*
Idea Simulatricis Eloquentiæ.
1. Objurgatio encomiastica.
2. Querimonia encomiastica.
3. Accusatio amica.
Simulatricis Eloquentiæ adminicula.

§ 2. *Eloquentiæ Mutuatricis artificium.*
Idea ejusdem, de Vacationibus literarijs.

§ 3. 1. *An & quæ Eloquentiæ Ænigmatica sit Oratori congrua?*
2. Rarior Ænigmatum divisio in modos undecim.
3. Adagialia dicta huc pertinentia.

4. Sen-

4. Sententiæ Ænigmaticæ.
5. Ænigma Oratorium duplex infertur.

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN XIII.

ELOQUENTIA PUGNAX.

§ 1. 1. *Pugna Eloquentiæ per Antitheses, seu nexum contrariorū.*
2. Leges pulchriorum Anthithesium novem.
3. Fontes acuminum & Propositionum ingeniosarum ex antithetis.
4. Vituperium ex antithetis Taciti.

§ 2. *Pugna inter stylum Poeticum & Oratorium.*

Quæstio Prima præmittitur. An verum illud: Dæmonum cibus; Carmina Poëtarum?
Secunda, An illud verum: Poëtæ nascuntur, Oratores fiunt?

1. Stylus Poëticus ejusq; ornamenta describuntut.
2. Enthei Poëtici 12 modi afferuntur.
3. Geminum exemplum differentiæ styli Oratorij à Poëtico.

§ 3. *Certamen pro stylo Laconico & Amplo.*

Quæstio præmittitur: An Divus Hieronymus verè vapulaverit, eò quod Ciceronianus esset? In utramque pertem disseritur.

1. Argumenta pro Laconismo Oratorio congeruntur.
2. Argumenta contra Laconismum pro stylo amplo.
3. Quæ Laconismum exigant? Hic Epitaphium. Item salutatio Principis. Trophæum Pudicitiæ. Elogium Austriacæ Pietati.

ADMI-

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN XIV.

Rariora de Tropis & Figuris:

§ 1. *Rariora de Tropis.*

1. Tropus non ſemper exornat.
2. Allegoriæ quædam ornamēta.
3. Antonomaſiæ modi inſigniores.
4. Periphraſis inſignior.
5. Antonomaſia fons denominationum & Propoſitionum Panegyricarum.
6. Et alij Tropi poſſunt eſſe fontes argumentorum ac Propoſitionum, non tantum Elocutionis ornamenta, ut communiter docetur.

§ 2. *Rariora de Figuris.*

1. Ex Paronomaſia inſignes ſententiæ.
2. Similiter ex Antithetis.
3. Comparia ſuaviora ex oppoſitis ac eruditis.
4. Rarior Partitio figurarum.
5. Ex una figura poteſt eſſe Oratio.
6. Una ſententia per omnes tropos & figuras deducta. Aſſumitur in paradigma ſententia *Ebrietas deteſtanda.*

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN XV,

Rariora de Diſpoſitione Oratoria.

§ 1. *An poſſit eſſe Oratio ſine Exordio & Peroratione.*

1. Tribunal contra tribunal, ſeu contra Areopagum Athenienſem, Oratoribus Proæmio & Peroratione interdicentem.
2. Deciditur cauſa.

§ 2 *An Oratio poſſit eſſe perpetua* Narratio ſine alia Confirmatione?

§ 3 Re-

§ 3. *Refutatio duplex assignatur:*

Refutatio Alexandri, cujus est illud effatum:
Non soleo furari victorias

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN XVI.

Rariora de loco Intrinseco & Extrinseco.

§ 1. *De locis intrinsecis rariora aliqua.*

1, Definitio Scholastica rarior. Item politica, & sacra.

2, Notatio nominis curiosior. Ex nomine varia.

3, Effecta aliqua rariore modo traduntur. 1. Mira artis effecta. 2, Aliqua artefacta exornantur. 3, Laus calami ab effectis. 4, An verus ille sit timoris effectus: *Primus in orbe Deos fecit timor?* Statius.

5, An ferro nocentius aurum? effecta utriusque.

4, Rariora de Adjunctis.

I. Adjuncta loci. 1, Quæ regio quibusdam abũdet? 2, Gentium mores sub diverso climate. 3, An Europa inter orbes partes præcellat? 4, Ubi Divinum.

II, Adjuncta Temporis. 1, Eruditio de tempore. 2, Fueritné aliquando aureum sæculum? 3, Quis Mensis, Mensium Princeps? 4, An verè Philo dixerit: Virtus caret tempore? 5, Æternitati, non tempori. 6, Romæ vetus temporis partitio.

II. Rariora de causis. 1, Inventa quædam inventoribus fatalia. 2, Rerum inventores. 3, Causæ ingeniosæ ac eruditæ.

2. Lo-

2. *Loci extrinſeci quoad aliqua rariora.*

1, Miræ quædam gentium leges.

2, Mores & conſuetudines quædam veterum.

§ 3: *Loci ſuaſionis extraordinariò decurrunsur.*

1, Aliquibus citiùs perſuadet ipſa operis difficultas.

2, Utilitas ſæpe vilioribus animis agendi calcar.

3, An etiam inutile ſuaderi poſſit?

4, Honeſtum à delectabili in ſuadendo ne remove.

5, Poſſibile rationi, impoſſibile etiam, affectui ſuade.

6, Scopuli boni conſilij.

7, An ex aliena ſententia pendere ac conſulere indecorum?

8, Primæ inter homines navigationis ſuaſio.

9. Ami-

9, Amica Parænefis Heterodoxorum ad fidem Orthodoxam

ADMIRABILIS ELOQUENTIÆ SPECIMEN XVII,

Iudicialia extraordinariè pertractantur.

§ 1. *Iudices, Iudicia.*

1, An figmentum illud merum ſit apud Poëtam: -- *è terris Aſtræa receſſit*, ſeu, an Iuſtitia à terris exulet?

2, Thebanus Iudex ſine manibus

3, Athenienſis Areopagi judicia in tenebris acta laudantur.

4, Stella judiciaria Cambyſis.

5, Pugio Trajani.

6, Manliana judicia.

7, Ridicula judicia.

§ 2. *Pœnæ Iudiciariæ.*

1, 10 plagæ Ægyptiæ verſu comprehenſæ.

2. Vin-

2, Vindex Annibalis Annulus.
3, Vindex Oenopolæ milvus.
3, Diſcrimen reorum pænarumque in Canuto Rege, & Pipino.
4, Furius veneficij reus crimen innoxiè fatetur.
5. Pœna tacita.

SPE-

SPECIMEN I.
Admirabilis Eloquentiæ MUTA ELOQUENTIA.

NE ſola ſit linguæ gloria Oratori; hoc loco elinguem roſtra accipiant. Nec ſatis eſt, ſemel aut uno modo eſſe mutum, cum laude hujus facundiæ; plura proferam, quæ ſine vocis adminiculo diſertè agere nôrint.

§ I.
CRIPTOGRAPHIA
Prima ſpecies mutæ Eloquentiæ.

CAlamus, eſt mutus ſermocinator; tamen ſæpiùs plura loqui-

tur, quàm lingua. Sed loqui alite
nescit, nisi verba coloret, quod eti
am Eloquentiæ munus est; ut illud
distichon indicat.

Gram: loquitur: *Dia* vera docet:
Rhet: verba colorat:
Mus canit: *Art*: numerat; *Geo* pon-
derat, *Astr*: colit astra.

Ubi Grammaticæ, Dialecticæ, Rhetoricæ, Musicæ, Arithmeticæ, Geodesiæ, Astrologiæ, propria tribuuntur. Auro aliqua scribuntur vel argento: sæpe minio charta tingitur vel atramento; sed nec auri fulgor arcana tegit, quæ luce nativâ prodit; nec sub atro colore, qui quædam paginæ umbra vel nox creditur, occultis, quidquam latebræ, nisi siparium deposcas, non quidē à Chrysologo, sed à Criptologo quem infrà dabo. Criptographia primò suam artem proferat, cujus

tum

tum in literis usus sit, tum in Oratione, quæ arcano modo egeat, nec evulgari se voce sinat.

I.

Criptographia sine usu atramenti.

Scriptio occulta Græcis est Criptogrephia, quæ hic panditur per aliquot modos digesta: ducibus ijs, qui primi morem sic scribendi usu approbârunt. Habebis latebram, quâ tegere noris arcanum, cui arcanum velis; cui velis, occultè pandere possis.

1. *Inprimis*, gummi pro atramento erit; pro pagina, frons etiam, vel manus. Ejusdem atramenti vicem præstabit adeps, vel alia pinguedo: acetum, vel lac ficulneæ: chartâ etiam usitatâ uti licebit, & quod libet, in ea gummi, vel alio ex prædi-

 ctis

ctis ſcribere. Si literas ſic ſcriptas ſiccataſq́;, polline combuſtæ alterius chartæ,vel carbonis minutim contriti inſperſeris: luculentus erit character Criptographicus.

Regius hic & triumphalis modus, quia Regi Attalo victoriæ auctor. Hoſtium metu pænè jam victæ illius copiæ, ante conflictum: ſed *metum Criptographia vicit.* Præmiſſæ primó victimæ, & conſulta Oracula; manus etiam Regia clàm interim gummi inſcripta, cum illa Epigraphe: REGIS VICTORIA. mox patuit litera, tum omen, legitq́; id ſtupens, Exercitus; & quia prodigium credidit, metu poſito, ficta præſagia in veræ victoriæ cauſam vertit, victorq́; evaſit. *En Criptographiæ* miracula! en ſuadelam victricem!

2. *Par ſcripto latebra*, ab alumine aquis

aquis reſoluto, & papyrum vel linteum inſcribente. Nam ſi tinctura hæc antea deſiccetur, mox aquæ immerſa,legetur oratio in humeſcente linteo: ſic alumen ocultis lumen adimit & reddit.

3. Eidem uſui cæca ſcriptio quandoque adhibet ſuccum citrium, aut è ceraſo aliaque uva, aut ex ſorbo, vel ſale Ammoniaco contuſo, & unda liquefacto expreſſum. Equidem charta hoc veluti atramento inſcripta, ignique admota, qui humorem deſiccet, literas geret conſpicuas, quas liquor doloſus exaravit.

4. Lapides etiam occulta premere, & cùm voles, promere docet ars eadem, ſi hirci adipe tam dura charta, ut ſaxum eſt, notetur. hoc enim cum hujuſmodi ſcriptura aceto merſum, ac velut ebrium, (*id*

quod ebrius infame, ſecretum pandet, idque literis exſtantibus. *Adeò huius artis adminiculis, vel lapides loquũtur!*

5. Idem *hirci adeps æquè loquax & ſcripturæ diſſimulator eſt*, cùm reſinæ therebinthi permiſcetur. Hoc utere, chartæq; ſcripturam tabellæ hærentem ſtylo ferreo deſuper confirma; certè veſtigia notæque adipis, in tabella pulvere inſperſa legentur.

6. Etiam *candor quandoq; eſt pro atramento* Nam ceruſſa, aliuſque color albidus, dabit umbram arcanis, ſi hunc liquidæ tragacanthæ immiſceas; ab hoc aliquando quidquid charta acceperit, tum oculo, tum ſoli vel lucernæ oppoſita, palàm faciet.

7. *Non minor Mercurio vis* occultioris loquelæ, per arcanas literas. Qua-

Quare hydrargyrum albumine vel aceto dilue; tum hoc humidò ſcribe. Scriptam papyrum combuſſeris, *novus Phœnix prodibit ex favilla*, nam literæ poſt buſtum illud albæ legentur. Idem gratiæ dabit *rogus papyri exuſtæ*, ſed antea gummi vel ſale, aut calce clandeſtinis notis exaratæ.

8. Adhuc clandeſtinus Character, à lythargyro petetur, quod in vaſe ſamio ſeu fictili, aquâ & aceto decoqui poſtulat. Sanè ſi limonis ſuccus aut citrius, chartæ quidpiam inſctibat, ſiccatæ literæ illi liquori immerſæ lectori patebunt.

9. *Nec ſoli chartæ occulta credimus*; Cryſtallus etiam aut vitrum eſt pro papyro Criptographica. Huic cõmitte ſcripto, quod occultum volueris, gummi Arabico vel tragacanthâ, aquâ reſolutis, & ad

 ſcri-

ſcribendum adhibitis; ſiccas literas pollen patefaciet è combuſta palea vel papyro ſuperſtes, vel carbo intritus.

Hactenus Criptographia ſine atramenti vulgaris uſu.

II.

Criptographiæ ac Criptologiæ modi alij.

Abditè ſcribendi loquendique Magiſtra fuit neceſſitas, de arcanis ſollicita, ne promiſcuè noſcerentur. Adjecit operam ſagacitas ingenij oſtentatrix; quæ recondita ſtyli, & quædam abditæ mentis latibula auxit. Promo hæc recondita.

Primus modus Criptographiæ Laconicus.

Peregrè quemvis alloqui in quovis

vis argumento licebit per filum, & bacillum literatum trium vel plurium laterum. Literatum, inquá, quod à literis alphabeti ſibi inhærentibus, nomen gerat. Filum oblongius literas indicabit, ex quibus ſecreta oratio coaleſcit. Sit hæc ſententia peregrè indicenda: *Expectandæ ſuppetiæ*. Primò filum ab initio bacilli ad primam literam E protendes, & nodulo facto, vel atramento filum notabis, ubi ad E pertingit. Hinc ad ſecundam ſententiæ literam filum promove; id eſt ad X. à capite bacilli extenſum; rurſumq; nodulo ſimili, vel atramenti tinctura ſpatium nota in filo ad X interceptum; & ſic ad tertiam literam aliaſque, ducendum, notandumq; filum. Hunc ergo vel æqualem bacillum cum filo ſic notato, obſeſſis transmitte. Qui ſi ex

condicto singulos nodos eodem ordine literis in bacillo applicent, quo ordine in filo effecti; intelligēt quid sub arcanis nodis lateat. Advertè, quòd etsi idem bacillus ad quævis animi abdita sic pandenda deserviet; filum tamen, Orationis index, sempet variandum.

Alter modus Magneticus.

Hunc stylo Lucretij Famianus Strada describit in Prolusione Poëtica. Magnetis ope hic opus, qui faciet, ut mutus etiam loqui possit cum absente, aut pet interjectum parietem intercepto. Iam modum indico. Fiant duæ tabulæ tenues æneæ, vel ligneæ; his alphabetum vel consueto ordine, vel promiscuo, qui tamen in utraque tabula ex æquo respondeat, circulari figuræ, si videbitur, inscriptus. In centro

tro vel medio tabulæ sit fulcrum indicis ex exili chalybe elaborati. Tabulæ prædictæ inserantur parieti, in utraque parte æquè opposita, utriusq; conclavi, cum simili utrobique indice chalybeo, inhærente eidem stylo per parietem trajecto. Tum amico in alterius conclavis indicem intento, tu hærens in opposito conclavi, magnetem ad primam secreti literam inverge; deinde ad alias secreti literas: index chalybeus utriusque conclavis, ad literas easdem movebitur, ad quas magnetem applicueris,& secretum in altero conclavi spectatori indicis repandet. Crederes vim magicam; & magnetica est.

Tertius modus Astronomicus.

Per signa Zodiaci non tantùm

ſolem annus circumagit, ſed umbras etiam ſuas Criptographia. Sic illa ex Zodiaco notas ſiderum, ex alijs cœlis notas Planetarum colligit, deque illis alphabetum Aſtronomicum conficit, ac ſideribus pro literis uſa, ſub eorum luce umbrã ſecreto quærit, & apud expertem artis invenit. Subijcio notas Mathematicas ſignorum Zodiaci & Planetarum, adjectis literis, quas notæ illæ cæleſtes indicant: additis inſuper aliquot notis ſiderum Firmamenti, ut plenus habeatur numerus Aſtronomicus literarum.

Signa	A	B	C	D	E	F
Zodiaci	♈	♉	♊	♋	♌	♍
	Sunt Aries,	*Taur.*	*Gemini.*	*Cancer,*	*Leo,*	*Virgo*

G	H	I	K	L	M
♎	♏	♐	♑	♒	♓
Libraq.	*Scorp,*	*Arcite.*	*Caper,*	*Amphor.*	*Piſces*

Septem

Septem planetæ ſic exprimuntur

N	O	P	Q	R	S	T
☽	☿	♀	☉	♂	♃	♄
Cynthia,	*Merc.*	*Ven.*	*Sol,*	*Mars,*	*Jov.*	*Saturn:*

His adde Trigonum cæleſte, Urſam cæleſtem, coronam Borealem, & Lyram cæleſtem, ſic alphabetum ſiderum totum habebit Criptographus.

U

Triangulum  *cœleſte,*

X Y Z




Vrſa cœleſtis Corona Borealis, Lyra cœleſtis.

 Habes

Habes alphabetum Astronomicum, quo Criptographia pro literis utetur, notas siderum literis substituendo. Sic ergo hæc sententia Astronomicè exprimetur sub umbra siderum. *Ora, & labora.*

O r a e t l a b o r a



Licebit item alphabetum hoc aliter conficere, nimirum vel ab ultimo siderum incipiendo alphabetum, vel à planetis, ut occultiùs sit à varietate artificium.

Quartus modus quasi Hebraicus.


Modus hic aliquid Hebraicum præsefert, at mentitur, & punctis & figurâ, lineæ illudunt. Constat literis Latij, intra certos angulos & figurarum ductus inclusis. Loco literarum, quibus arcanum vel sen

tentia

tentia scribenda exprimitur, ponuntur cancelli & lineolæ, quibus litera quæque includitur, ac cancellis cujusvis literæ punctum inseritur, vel simplex, vel geminum, prout litera aliqua intra suos cancellos ordinem tenet primum vel secundum. Accipe jam alphabetũ cancellis inscriptum, etiam amico cui sic scribes, indicandum.

A B	C D	E F G.
H I	L M	N O P.
Q R	S T	V X Z.

Si igitur velles amico scribere: *citò veni.* sic scriberes per hujus modi cancellos:



c i t o v e n i

Quintus modus retrogradus

Hic modus præcipit: *Cancros i-*

mitare

mitare legendo: Cancrinum diceres, solaq; constat inversione retrogradá dictionum, quibus secretum constat, & occulitur. Trifariam id præstabis: vel enim literæ dictionũ retroscribendæ, legendæque; ut pro Roma, scriberetur Amor; vel retro quidem sentẽtia inchoanda; sed ultimis permiscendæ sunt primæ dictiones alternis vicibus in qualibet sententia: sic sententiam illam ab ultimis duceres, miscetesque:

2 4 5 4 3 1
Sperne voluptates: nocet ẽpta dolore voluptas

Vel certè alternis inversa retro vocabula, quoad literas ponantur; alternis non immutata.

Aliquando alternatim miscentur literæ duorum vocabulorum: sic, *Ira brevis furor est*: I b r r a e u i u s.

Sextus modus Arithmeticus.

Si velis secretum notis Arithmeticis abdere; divide alphabetum in sex literarum classes, easq, numeris distingue qui præponantur alijs numeris, literas seu cujusvis literæ ordinem in sua classe designantib⁹. Classes literarum sic partire.

abcd	efgh	iklm	nopq	rſtu	wxyz.
1	2.	3.	4.	5	6

Cum igitur per numeros litera quæque exprimenda sit; pro qualibet litera geminatus simul ponatur numerus; nimirum numerus Classis literariæ; & numerus, quem in sua classe litera obtinet. Hinc illa sententia: *Violentum, nil diuturnum*; sic exprimetur.

54 31. 42. 33. 21. 41. 53. 54 34. 41. 31.
v i o l e n t u m n i-
24. 31. 33. 14 31. 54.
h i l d i u.

Septimus modus Trium numerorum

Comes à Cronsfele hunc modũ familiarem ſibi fecit. Diſponantur literæ ſecreti, quarum ſingulis apponatur deſuper aliquis numerus ex his v. g. tribus 436. Horum quilibet indicabit, quota litera alphabeti ſcribenda ſit pro litera ſecreti; nempè litera quarta à litera ſecreti, ſi literæ ſecreti inſcriptus eſt numerus quatuor: vel litera tertia à litera ſecreti, ſi literæ ſecreti inſcriptum 3. litera ſexta, ſi ſex inſcriptum eſt. Modus hic ab exemplo lucem accipiet. Sit ſecretum prædictis numeris inſcriptum; habeaturq; præ oculis alphabetum.

43643 643 643 643 643 643 643 643 643
Vrbis proditionem hostis molitur.
Abcdefghiklmnopqrstuwxyz.

Sic

Sic ergo alteri, cui revelandum cenſueris id, occultè præmonito quondam de tali ſcribendi modo, nec ejus jamrudi ſcriberes. Imprimis à litera U prima in ſecreti contextu numerandæ ſunt quatuor literæ conſequentes in alphabeto ob numerum 4 deſupet poſitum, & quia Z eſt 4to loco à litera U; ideo pro prima litera ſecreti ſcribes Z non vero U. deinde quia litera altera ſecreti ſupra poſiti eſt R notatum numero 3. vide quæ ſit litera tertia ab R & quia hinc tertia eſt litera T. pro litera ſecreti penes Z penes T non verò R; & ſic de alijs fiet ſemper ad numerum literis inſcriptum attendendo; licebit tamen alios numeros (ſi libebit) inſcribere ſecreto.

Poſſet præterea Cryptographus aliqua vocabula ſignificantia ſecre-

tis

tis permiſcere, etiam impertinenter, juxta condictum. Sic ergo ſecretum illud ſcriberet, qui modo ſeptimo Comitis inſiſteret.

Zthnx. xxrk nxr ſqlq. luyy py pu pm.bau

Octavum modum Athanaſij Kircheri Societ. IESV

Vide in Magia naturali Gregorij Schotti.

III.

Criptographia per Cifram numericam.

Laus Cifræ.

Cifra ubiq́ue pretij exſors, niſi cum numero fædus ineat: huic ſocia, dubium, utri plus conferat, ſibi an cui adhæſit? Ita ſola omnino, nulla eſt; intra numeri conſortia, par numeris, & implet æraria ſeipsâ, antea merum inane. Adeò nil tam

tam vile, quo non aliquando intumeſcas? imô tanti eſt fædus colere, quod te in familiam fæderati inſerit! nempe *Cifra eſt veluti ocellus*, qui alibi caligo, in fronte fidus eſt, & quædam capitis Pharus. Etiam *rotæ affinis eadem*, quæ niſi vehiculo affixa, deſes in ſtabulo hæret, at axis currûſq; bajula, orbem pervagatur. *Poſtponi tamen cifra numero gaudet*; ne valore faſtum induat: cifram ſe fuiſſe meminit, & nativæ vilitati metuens, *valere mavult, quàm prævalere*. nam valorem adimit vel ſolitudo, vel arrogantia; adeoq; ſi *præponatur cifra, in nihilum redit*. Adeò *ubiq; faſtus vapulat; modeſtia faſtigii ſecura*.

Laus Cifræ Criptographicæ

Eò ſe provehit uſus Cifræ, ut *arcana etiam ab illa nubem depoſcant* Nulli vel

li vel maximo non fidus Achates eſt cifra, cui ſecreta credantur. Hæc enim ſi eorum conſcia, *Sigalione haud opus*, Deuſque ille veterũ non magis ſiluit. *It per aulas: & Regiæ cifram nôrunt*, quæ utique *malunt cifrâ, quàm ſuâ linguâ loqui*. Nimirum ſecura eſt armis patria, cifris arcana. *Sic præfatus*, cifram tibi Criptographicam, in ſecreti umbram tutelamque offero.

Eget res imprimis tabellâ, quam numerus & literæ implent. Numerus incipiat vel ab unitate vel à quocunq; pro libitu. Literæ in quinque ordines ſeu claſſes, redigantur. Hujus tabellæ parodigma accipe.

a	n	kl	i	u	41
b	o	m	kl	xz	42
c	p	n	m	a	43
d	q	o	n	b	44
e	r	p	o	c	45
f	ſ	q	p	d	46
g	t	r	q	e	47
h	u	ſ	r	f	48
i	xz	t	ſ	g	49
k	a	u	t	h	51
m	b	xz	u	i	52
n	c	a	xz	kl	53
o	d	b	a	m	54
p	e	c	b	n	55
q	f	d	c	o	56
r	g	e	d	p	57
ſ	h	f	e	q	58
t	i	g	f	r	59
u	kl	h	g	ſ	61
xz	m	i	h	t	62

Quia verò ſub uno eodemq; numero

mero ponitur tum K & L, tum L & Z ideò, quando prima ex his exprimenda litera fuerit ponetur numerus sine cifra: quando secunda, idē numerus cum cifra ponetur.

Usus tabulæ hic esto. 1. Numeris utendum pro literis secreti. 2. Cuique numero cifra adhæreat; si libeat, quò magis implexo lectori illudas. 3. Literæ secreti ita ex quinque classibus literarum in tabella descriptis capiantur, ut prima litera secreti sumatur ex primo ordine literarum tabellæ inscriptarum; Secunda litera ex secundo; tertia, quarta, quinta ex tertio, quarto, quinto: rursus litera sexta ex primo ordine capienda; septima ex secundo, & sic deinceps. 4. Nunquam ex uno eodemq; ordine duæ simul literæ petantur. 5. Pro literis secreti, numeri literarum ex aliquo

liquo ordine sumptarum, qui literis sumptis imminent, scribantur, adiecta cuique numero cifra, ut monui, si libuerit.

Sic ergo hujus artificij perito Duci scriberes metum hostium illi eximendo, qui tantùm *possunt, quia posse videntur confligere, alioquin metu pænè exan'mes.*

570.	450.	480	460.	610.	550.	510.
p	o	s	s	u	n	t
460.	480.	490.	430.	460.	440.	460.
q	u	i	a	p	o	s-
580.	470.	520.	620.	540.	450.	550
s	e	v	i	d	e	n-
		510.	510.	450.		
		t	u	r.		

IV.

Duo speciales modi Tritemianæ Criptographiæ.

Primus est, si loco literarum tuam sententiam exprimentium, po-

nas vocabula vel syllabas quascunque pro tuo arbitratu literis illis tuæ sententiæ respondentes. Possunt autem pro literis alphabeti supponi vocabula vel syllabæ vel Latinæ vel Græcæ, vel cujuscunq; linguæ. Inprimis ergo alphabetũ disponatur, & supponatur cuique literæ alphabeti dictio aliqua pro libitu vel syllaba; cujus suppositionis sit conscius amicus ad quem his suppositis vocabulis vel syllabis scriberes. Deinde syllabæ alphabeti similiter cum suppositis dictionibus pro libitu delectis vel syllabis in alia seriè scribantur.

Possent autem vocabula quævis barbara & prolatu difficilia poni & his loco literarum secreti uteretur Criptographus Et expediret habere varijs modis alphabetum sic expositum seu fictis dictionibus occul-

occultatum, eoque loco literarum, quibus secretum continetur, ex condicto uti.

V.

Criptographia Cabalistica.

Inter Latinos primus Cabalisticum morem nomenq; invexit Ioannes Mirandulanus, aliàs veteribus usitatum. Hebræis varia Cabalæ ratio. hic tantùm Criptographo in literis alphabeti Latini indicabitur, etsi k litera apponetur quâ etiam veteres Latini usi in exprimẽda kalumnia vel kalendis.

Sciendum igitur inprimis quòd literæ alphabeti significent numerũ triplicem. Primò Monades, seu numeros ab unitate incipientes usque ad novem inclusivè; & hi numeri primis literis alphabeti significantur ac respondent ab a, usque

ad literam i. Secundò significant literæ alphabeti decades à 10. usq; ad 90. Et hi numeri significantur literis à k incipiendo usq; ad ſ. Tertiò significant centenarios numeros, qui literis reliquis à t incipiendo respondent. Patet id in hac tabella.

1.	2	3.	4.	5.	6.	7.	8.
a	b	c	d	e	f	g	h
9.	10.	20.	30.	40.	50.	60.	70.
i	k	l	m	n	o	p	q.
80.	90.	100.	200.	300.	400	500.	
r	ſ	t	u	x	y	z.	

Duplici modo fit Criptographia Cabalistica per numeros sic descriptos.

Primò, cùm numeri prædicti scribuntur loco literarum. Sic Cabalisticè Sacrosanctum IESU nomē à Sibyllis descriptum est per nume-

ros

ros Græcis literis Ιησουσ respondentes. Inprimis nomen Christi Sibylla expressit acrostichide, id est, multorum versuum literis initialibus, ita ut si primæ tantùm literæ cujusvis versus sumantur & componantur, efficiant hæc verba Græca. Ιησȣ̃σ χρίστος θεȣ̃ υἱὸς σοτηρ id est, IESUS Christus Dei Filius, Salvator. Exstant hæc Sibyllæ carmina apud Augustinum *lib.18. de Civ Dei c.23. & in Salmer.*

Insuper idem Sanctissimum nomen sic numeros describit Sibylla.

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipsis
In terris similis, natus Patris Omnipotētis
Corpore vestitus: vocales quatuor autem
Fert; non vocalesq; duas, binûm geniorū:
Sed quæ sit numeri totius summa docebo
Namq; octo Monades, totidem decadas super istas,
Atq; hecatontadas octo infidis significavit
Nominibus Nomen

Nimi-

Nimirum nomen Ἰησους Græcum, constat quatuor vocalibus Græcis & duabus consonantibus; nempe duplici sigma à quibus incipiunt nomina duorum Principalium Angelorum, boni scilicet, quẽ pleriq; Sathàélem vocant; & mali, qui Satanas appellatur. Numerus autem ejusdem Sacri nominis, qui ex Græcis literis colligitur est iste.

ι --	10
η - -	8.
σ · :	200
ο · ·	700
υ - -	400
σ - -	200

Summa 888. Hic ergo numerus indicat Sanctissimum IESU nomen Græcis literis expressum, quatum singulis adscriptus est numerus proprius, & ex omnibus simul sumptis illa summa colligitur. 888

Sic item nomen *Antichristi* (ut communiùs sentitur) in Apocalypsi per numerum 666 est descriptũ. Affert Viegas quindecim nomina à varijs excogitata, Græco idiomate, quæ dictum numerum conflant; inter hæc est Græcum ἄντεμος id est, contrarius. Item ὁ νικητὴς id est victor. Nam de Antichristo dicitur c. 13. *Datum est illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos*; literæ dispositæ numerum illum significant ut patet

ο	70
ν	50
ι	10
κ	20
η	8
τ	300
η	8
σ	200

Summa 666. Secun-

Secundo per artem Cabalisticam loco numerorum scribuntur literæ numeris illis respondentes ac æquivalentes. Sic si velles Annum aliquem cabalisticè exprimere, assumere deberes aliquam sententiam vel carmen pro libitu excogitare, tamdiu verba mutando, donec ex literis illius sententiæ vel carminis, summa vel numerus Anni illius prodeat; quod investigatur, facta additione numerorum; primò inter se in literis cujusque seorsum dictionis; deinde additione omnium invicem summarum particularium cujusvis dictionis in unam summam, quæ dabit numerum Anni quæsitum, si sententia vel carmen Cabalisticum est aptum: sic versus ille in adventu hospitis Bernardi N cui stella pro Stemmate, Annum 1656 epprimebat, quo anno adven-

tus ille hoc carmine celebratus Cabalistico.

Sidereis tua Stella plagis, Bernarde, refulget. Quòd autem hic versus contineat exprimatq; Cabalisticè Annum illum 1656 ostenditur dispositione dictionum cum suis numeris, seu sibi respondentibus juxta supra datam tabellam, qui numeri inprimis seorsim adduntur in quavis dictione; deinde omnes simul additi quoad suas summas, Annum illum reddunt.

S 90	t 100	s 90	p 60	B 2	r 80
i 9	u 200	t 100	l 20	e 5	e 5
d 4	a 1	e 5	a 1	r 8	f 6
e 5	*Summa* 3011	l 20	g 7	n 40	u 200
r 80		l 20	d 9	a 1	l 20
e 5		a 1	s 90	r 80	g 7
i 9		*Summa* 236	*Summa* 187	d 4	e 5
s 90				e 5	t 100
Summa 292.				*Summa* 217.	*Sum* 423

 Hæ

Hæ summæ particulares invicē additæ dabunt annum quæsitum.

292
301
236 Quare alterutro modo
187 ex prædictis Cripto-
217 graphus utetur.
423
1656

VI.

Criptographia vel Criptologia per Ænigmata.

I.

Ænigmatica scribendi ratio, omnino Criptographia est. Nemo rem occultiùs pandit, aut intricatiùs involvit, quam qui Sphingem exprimit lingua vel pagina. id verò etiam Oratori cōgruere, Sphinx Hortensij probat. Nam *etsi obscuritas Oratori laudem deterat*; non item

item solertia rerum dissimulatrix. Nec *nucem* reijcis, *quæ putamen oculis offert, nucleum tegit* Imò aliter loqui detrectat, ubi per similium umbras ttaducitur oratio. *Hic stylus fuit Mennenii Agrippæ*, dum Sacrum collem invaderet prima urbis seditio. *Hic Cyri*, dum novam agitaret rempublicam. Ægyptij nihil aliter locuti, nisi quod conjectura caperet, alias reconditis imaginibus inclusum Barclai Argenis longo circuitu aliena perstringit, ac simul involvit; & Oedipo ad illam Sphingem opus est. Eloquentia hæc muta est & quoad sensum & significationem, etsi non muta quoad vocum sonum.

Criptographi non alia lingua vel stylus; totus hic, ænigma est, aut adinstar: nihil in apertum profert, quod non obtegat, nec aliud

ars hæc novit. Quare in partem umbræ, ænigma trahat, si solem res non ferat, sed tenebras amet; Cimmerium est, quod sic protruditur; & perinde est, ac si nil dixeris, cùm nemo intelligit

An enim illud non Criptologicum Samsonis *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* ubi ænigma latuit de favo mellis in faucibus leonis mortui reperto. An non Criptologum sapiunt illa vaticinia ænigmatis in morem effusa ante complures annos de serie Romanorum Pontificum, quæ in Fascino dedi, ubi etiam post Summum Ecclesiæ Antistitem Innocentium XI is qui in ejusdem Universalis Ecclesiæ regimen ei succedet, hoc ænigmate involvitur: *Pœnitentia gloriosa.* Illius deinde proximus successor, ænigmate: *Rastrum in porta*:

ta: secundus ab hoc, ænigmate: *Flores cirlumdati*; tertius ænigmate: *De bona religione*; & sic deinceps alij pari ænigmate tacitè innuntur describunturq; ad ultima mundi tempota & occasum? Ergo & ab ænigmate Criptographus ac Criptologus arcanis doctas tenebras mutuabitur, & mutæ eloquentiæ speciem geret non intellectus.

VII.

Criptographia per Hieroglyphica & Symbola.

Etiam his muta inest eloquentia: in ijs namque pictura ipsa loquitur, & linguæ vicem arripit. *Hieroglyphica* nec verbum adhibent ad rerum colores, & mutas earum imagines: *Symbolum* etsi per brevem addat epigraphen; plus tamen menti loquitur, quàm auri vel oculo.

Ægyptijs ſic uſitatum loqui, nec enim literis ſolis uſi, ſed pictura & mutis coloribus, res, non verba gerentibus. Attuli ſub § V. de Arte memoriæ illorum Hieroglyphica.

Ivit & per alias ætates genteſque par loquendi ſtudium, & latibula dictis quæſita. Sic & legatio locuta aliquando Nam *Scythæ ſic hoſti minati* per Hieroglyphica. *Avem, murem, ranam, & laqueum* per legatum *miſerunt, adiecto iaculo ac enſe falcato.* Nec aliud per internuntium minarum locuti. Senſus legationis fuit: niſi vel in auras ac cœlũ ſubvolarent inſtar volucris; vel in aquis aut ſcrobe lociſq; ſubterraneis ſe ſe abderent veluti ranæ vel mures, aut laqueo gulam obſtringerent; ſua jacula ferrumq; non evaſuros.

Sic & Duci re infeliciter in bello geſta

geſtá reduci *pellem leporinam* & *colum muliebrem* Boleſlaus Rex Poloniæ miſit; quo illius perſtrictus timor imbellis, nec virile pectus: quo munere ad laqueum adegit Ducem illum pudor.

Sic *Tritone* exprimimus Nuntium maritimum: *Ciconiâ*, amorem in Parentes: *Pelicano*, in Filios: *echino* procraſtinationem, quod partum differat: *per taurum caprifico redimitum*; ferociam & petulantiam coercitam; *per equum à lupo admorſum*, fortunatum infortunium: hinc enim equus agilior: *per filicem arundini alligatam*; inimicitias malè ſociatorum: *per roſam inter allia ſpirantem meliùs*, virtutem inter adverſa: *per vulpanſerem*, amantem filij, nam ut proles evadat libera, ſeſe venatoribus offert vulpanſer.

Adverte, quòd Hieroglyphica alia

lia ſint rerum, quæ modo attuli; alia vocabulorum, ſeu nominum; cùm etiam hæc pictura vel re, quam vocabulum ſyllabis involvit, exprimantur. Sic nomen *Muſtela* exprimit Mus & tela: *Sic quidam pictura monitus*, quæ tum pocula, tum vites coloribus referebat, fuitque picturæ ſenſus & parænesis: *Pocula vites*. Sic & illud carmen; *Cor offerens Deo*, literas picturis adumbrat; eſtque ibi ænigma Hieroglyphicum.

Sis nova Luna, Globus, tum canis ira Deo.

1. Symbola Criptologiæ.

Attuli ſuperiùs Pythagoræ Symbola, ſed non omnia. Illis hæc adde ex eodem.

1. *Adoraturus ſede*, id eſt, animũ ad quietem compone. 2 *Ne ſine farina*

farina ſacrifices, id eſt, non ſine puritate. 3. *Ex non putatis vitibus Deo ne libaveris*: id eſt, Vitioſa à victimis reſecanda. 4. *Dextram ne cuivis iniice*: id eſt, cum delectu fidendum. 5. *Angulum anguſtum ne feras*: id eſt, non nimis ſtrictè, nec obſtrictus alijs vive. 6. *In nive ne ſcribas*: id eſt, mollibus levibuſque ne fide. Idem eſt: *In arundineto ne confabuleris*. 7. *Lyram illotis manibus ne attinge*: id eſt, Ne ſis improbus ipſe, qui doces probitatem. 8. *In meridie non dormito*: id eſt, in aperta cauſa & veritate ne malè conniveas. 9. *Ne ſpeculum ad lucernam intuere*: id eſt, adulatori ne crede. 10. *Sudorem ferro non abſtergas*. id eſt, labore parta alijs vi ne eripias. 11 *Lapidem in fontem ne iacito*: id eſt, Ne impetas eum, qui publicæ utilitati ſervit. 12. *Quadrupe-*

drupedi poëma ne canas: id est, idiotis subtilia ne dicas. 13. *Sepiam ne edas*, nec erithynum (seu rubellionem piscem) id est, abstine à dolosis & sanguine seu vindicta.

2. Symbola Criptographicæ

Symbola etiam ad Criptographiam accedunt etsi lemmate loquantur; quæ tamen sola pictura loqui posset, suppresſa epigraphe. An non Criptographia est; dum *effectus censurarum* tacitè effingit forfex, hortense topiarium attondens, cui additur Lemma: *Detrahit, & decorat*? An non Criptographia, dum *famæ studium vitâ potiùs*, exprimit Pyrobolus accensus, ceu diceret. *Dum luceam peream*: vel, *Concremer, ut specter*. Item dum *res diiudicandas citra affectum* augentem vel minuentem, indicat *tubus opticus* & epigraphe: *Auget & minuit*? Item

Item dum *familiæ splendor* ab hærede factis insignibus auctus phialâ exprimitur, quæ adjecto lumine: *Quod accipit, auget*?

Similiter dum *aulicæ vitæ illicia* trigonum adumbrat, oculis luciq; interpositum, quod apparentibus tunc miris coloribus. *Delectat & decipit*?

Item dum *voluptuarium* exprimit urna in fonte, quæ *mergitur, cum impletur*.

Vel cùm diversæ *Divorum virtutes ad imitadum propositæ*, per glomeres auri sericiq; in opus Phrygium destinatos, expressæ, qui *parantur in unum*.

Aut cùm *discretio* tempori alijsque adjunctis accommoda, phialâ Mathematica designatur, quæ *scit frigus & æstum*.

Aut dum *privata exercitia publi-*

cis præmiſſa per ſtatuam ſub ſipario expreſſeris, quæ *celatur dum cæletur*.

Item dum *virtutis ſuggillatores* adumbrãtur per ſpeculum concavum, quod *Recta diſtorquet*.

Item dum *in adverſis gaudium* per olivam in ſolo ſaxeo, quæ *Inter dura dulceſcit*. Et fulmen inter nubes *Inter frigida fervet*.

Item cùm *in nulla re volubili quieſcentem* exprimit accipiter in pertica verſatili, cui *Adimit vertigo quietem*.

Aut cùm in *exercitatos* pingetur ſtruthiocamelus fruſtra ad volatum alas erigens, cui quadrat *Non penna ſed uſus*.

Vel cùm *Ducis ſequela* per gregẽ, qui totus caprum ex ponte deſilientem ſequitur: lemma: *Sic Ducis urget amor*!

Item cùm *Creaturas ceu Dei ſpeculum*

culum exprimunt perſpicilia. Lemma. *Non ipſa, ſed per ipſa*.

Similiter dum *Vim exemplorum*, ſol in vitro reflexo accendens ſomenta exprimit: *Vniùs ſplẽdor, alterius ardor*.

Criptographia eſt. *Modeſtioris animi* imago, bombyx in ſuo ergaſtulo: *Operitur, dum operatur*.

An non Criptographicum eſt illud etiam laboris continui ſymbolum, ſidera cum cœlo rotata, quæ *Vertigine proſunt*. Nam Martyrem in cauſa fidei, Phœnix in rogo accenſo Criptographicẽ exprimit addita epigraphe: *Perit, ne pereat*. vel *ut vivam morior*.

§ 2.

Elingues Oratores

Secunda ſpecies Mutæ Eloquentiæ.

Evagari extra Scholas libet, atq; alîud

aliud, quàm quod illæ nôrint, Oratorum genus inquirere. Nempe *rostra non Rhetorum tantum sunt, sed avium naviumq́;* ut proinde terra marique, nec non per aëra vestigare disertos liceat. Hic tamen alios non audies, quàm Elingues; sed qui tacendo plus efficiant, quàm alij loquendo. Ergo Muti Oratores rostra conscendite; ac tu inprimis omni Suada disertior necessitas. *Nemo sic perorat, vt dum tu etiam taces:* alij suadent, tu cogis & jugum injicis: nemo nemo deliberat, ubi unum eligi debet, ad quod adigis.

I.

Necessitas

Mutus Orator, efficax ad persuadendum.

Primas in persuadendo semper tenuit tenetq; necessitas. si tamen suade-

suadere dixeris, quæ cogit, & obtorto veluti collo trahit nolentem. *Violentum illi ingenium*, eoq; mētem redigit, ut, vel si jugum nolit, ferat. *Tacitus* enim hic *libertatis invasor* est; *cuius Oratio coactio est.* ut nempe *ineluctabiliter agit omnis violentia*, quæ non evaditur, nisi eundo, quò vi præcipitat. Alibi leges opponimus, ut frenum capiat licentia; vel ut in utrumlibet expedita libertas in recti confinia flectatur: at nullæ sunt contra vim necessitatis leges viresq;. Hinc etsi pleraque imperio, pleraque pænis vel præmio coërceas; neutro proficies, ubi libertatem abstulit violentus hic Orator. Quidquid proferas, *unum prævalet à necessitate argumentum.* Nimirum *in coactis, nec consilium in expedito*, nec ratio sine duri consorte imperij animum regit.

Suffi-

Sufficit tunc cogi, ut pareas: obluctari animus volet, facta pænè nequeunt: agendum est, quod vix suadere incipiunt, mox persuadēt obliqua libertati imperia. Hæc vel pudoris jura quandoque abrogant, & *verecundiam sceleri auferunt* apud necessitatis mancipia; *quasi nullam labem incurrat coactum scelus.* Hæc quandoque pietatis nexu animos solvunt, coguntq; esse domi crudelem, ne vel in te, vel aliquos impius videare.

Adeo *durum semper est necessitatis telum*, & cui rarò non succumbas! Nescit hic deliberare Oraror, nec auditores amat, sed mancipia.

II.

Fames & Sitis

Mutus Orator, persuadendi non rudis

Proxima necessitati Fames. hæc etsi

etsi male-suada dicitur, ubi tamen rostra conscendit, etiam fædum inceptu, turpe exitu persuadet. Sic & frontem deterit, ac præposteris addicit, dum venter latrat potiùs, quàm perorat. Suasit hic etiam, quæ barbaries horret, nec feritas belluarum ferat. nam in alimenta sæpè Parentibus ivêre pignora, & culinam fædavit liberorum cruor: mēsas reliqui filiorum artus onerârunt! adeoq; tunc depulit famem gula crudelis, aut cæna Thyestæa! ô quantùm cogis mortalium pectora, imperiosa fames! Scilicet Orator hic, hostis simul est intestinus, quem cùm sola vincant cibaria, jejuno ac exhausto ventre, canit victoriam. Torpet enim in bella manus, cùm vires corripit inedia; nec bella tunc placent, sed Mensarum bellaria. Usque adeò non Venus

tantùm, ſed Mars etiam friget abſque Cerere! Hinc Urbibus inſultant temporum faſti, quarum viribus unica fames illuſit; nec deditio intra labem fuit. Sic ſubacta Theſſaliæ Melus, ſic Saguntum Hiſpaniæ: ſic alij, quorum nomina inde tantùm noſcuntur, quòd vivere ſaturi mallent, quàm mori famelici, nihilque ultrò deditis fuit in jugo turpè ſub cibatûs penuria. Major Demoſthene fames, qui Philippo Græciæ tantùm urbes linguâ ſubegit; cùm hæc eat latiùs, orbemque ac ætates omnes ducat in vincula.

Non impar & Siti vis ac facundia. Siccus quidem hic Orator, ſed gravior, quàm ut animi, ſub pondere non fatiſcant. Linguæ & palato loquitur, quod ubi ſemel accendit, tormentum eſt illius Oratio, præ quo Ætnæ incendia non magis horreas

reas. Nec virium tunc quidquàm ſæpiùs gerit, *alias invicta virtus*, hic *ſine lymphis pænè lymphatica*; quæ ut incendium hoc reſtinguat, effundit ærarium, & aquis pretium facit. *Dum aridas fauces perluat, vel turbidum potat*, potiorque Opimiani cado, vel ſtilla frigidæ. In Thrace *Lyſimacho diſce*, quò ſitis agat, ac ut Suadam omnem ſuperet. Copias ille duxit, quæ cum orbe confligerent: ſceptris eundem beârat Thracia *feliciorem niſi ſitis feciſſet infelicẽ*. hæc ut regnis ſe armiſque exueret, unica adegit; cui pellendæ dum aquam emit, dominatum prodegit cum armorum imperio; nec ut Papinius alibi, *pulſa ſitis fluvio*, ſed ultima ſervitute: hanc enim in urceo exſorpſit, & pænè *in Cratere fecit naufragium libertatis*; cùm mallet tantillũ bibere, quàm regnare. I nunc!

& Sitim Famemque ab Oratorum rostris prohibe; quæ tantâ vi polleant in animis, quoquò versum inflectendis!

III.

Forma Corporis.

Eximius inter mutos Orator.

Etiam *nativa oris gratia tacitus Orator est.* Taceat fama & Roma Tullium; *hoc muto Tullio nec Romanus ille disertior, plusq́; hic proficit silentio, quàm alter eloquio*, quòd *potior apud quosdam sit oris elegantia, quàm orationis.* Tot tibi *Suadæ*, quot *in vultu Charites*, nec fandi felicitatem postulat, seipsa beatior formæ liberalitas. *Sat hûc Oratorem vidisse, ubi* emicuit, *iam feliciter peroravit, dixitq́; tacendo.* nimirum blandum id Suadelæ genus, *non auribus, sed oculo soli loquitur*; ibi *tantum sine*

plausu

plausu ubi cæcum reperit auditorem: quamvis *spectatore* potiùs *opus* sit, *cum pro rostris constitit pulchritudo.* Hæc enim censorem oculum exambit, *nec de ea, uti nec de coloribus, cæcus iudicat.* Eadem quid in animos per oculum præducem possit; ignorat, cui pulchra desipiunt. Certè vel barbariem *emollit hausta oculis venustas*; fortes etiam Heróäs; adeoque invictos manu, scitissimo vultu post Martis connubium profligat genarum color, Docent idem *pudoris certamina, qui sæpenumero victus, dum forma vicit.* Nec Dij veterum fortiores, *si Ganimedem & alia vultûs prodigia* recolas. Narcyssum fabulæ norunt ex oris gratia. quæ illum aquis præfocavit, cum in aquæ speculo blandiretur. nempe *vt trahit sua quemque voluptas, sic & venustas.* Belli fax Helena fuit Græciæ

 facem-

facemq; hanc decennium non restinxit, quam accenderat forma liberalis. Quid quòd judicium Paridis & Deas præteriit, præter pulcherrimam? Quid item, quòd cuidam accinit vates - - - *regnum poteras ex ore mereri*? Tam latè hoc evanidum oris decus imperat? tam larè *vincit blanda hæc tyrannis* & muta eloquentia! &c.

IV.

Verbera & Catasta, ac Inopia.

Durus Orator, sed natus ad persuadendum.

Qui ad molliorem facundiam induruit; *Nemesi, credo, cedet.* Rarus omnino, cui dura non effringant animum, illucque adigant, quò agere velint flagella. *Malè ubi Orator idem, qui tortor: idem Tullius, qui Phalaris*; *nec aliam* à te *vocem exprimit, quàm gemitum* Audire quidem cogeris, dum tibi *in fidiculis canit*; sed linqui animo, necesse est, dum tibi *crus in nervo.* Prodigia virtutis ne spera, nisi per prodigia; alioquin *fœda etiam persuadet in equuleo, animi imbecillitas.* Quod si *durat* aliquamdiu *in catasta virtus, morâ tandem expugnatur; nec placet diu fortem fuisse.* Vincuntur ergo demum sæpius invicti, quando defectionem suadere cœpit *mali accerbitas, vel,* si molliùs id tangat angatque, *eiusdem diuturnitas.* Exemplis haud opus, vel Româ, vel petitis aliunde: *quotidie hæc proferunt, acerba; & nemo est non inter exempla.* Nec enim *inter molesta* locum habet *apathia Stoicorum,* quæ sensum malorum adimat

Neq; semper verbere aut Phalaride opus est, ut in pessima proru-

as; minor adverſorum Ilias idem perſuadet. Quò enim ſola rerum penuria multos non perpulit? Hinc *Autolycorum familiæ*, ac plures plagiarij: hinc *noctium famam temerârunt furta*, vias funeſtarunt latrocinia, quibus potiùs inopiæ levamen viſum, quàm honeſti ratio, aut famæ integritatis. Fæda hæc; ſed *crevit parricidiis ſcelus*, quibus aucta latrocinij labes. major enim injuria ſæpe placuit; & vitæ rapina poſt ſpolia Gazæ. At *neq; pudor ſine diſcrimine*, quem prodidit non rarò *inopia, auxitque proſtibula per ſummũ dedecus*. Tanti ſunt vitæ adminicula, *vt virtutis exitio* quærantur, *aut Venere Ceres*, id eſt alimenta emantur nullo pretio verecundiæ. *Ire ſub haſtam cogitur venalis virtus*, non alio ſceleris duce vel authore, niſi qui perſuaſit. At ſic ſæpe *rei domeſticæ*

ſticæ penuria ſuadet, *flexanimus in probra* hujuſmodi *Orator*!

V.

Aurum & dona

Mutus Orator, ſed Præpotens.

Aureus Orator prodit poſt ferreos. Sic auſim vocitare dona, quæ auro aut minore metallo, id nomen ſibi aſſerunt; &, quia *in pretio pretium eſt*, æſtimanrur. Chryſoſtomum, aut *Chryſologum avarus vix malit*, quàm ſi manu profuſiore illi loquaris, aut cornucopiæ in eum affatim effundas. *Sic* nempe *cupiditati peroratur, quæ non tam capitur verbis, quàm nummis, & argento vincitur, non argumento*! Hinc *potior* animorum *motus* ſequitur, *cùm dediſti; quàm cùm dixiſti. Qui dare ſcit, non quidicere, Rhetor erit*. Tanti eſt *fulgor auro* inſitus, qui nativâ luce *illuſtre dicendi*

genus mentitur, ac superat! Idem Orator, quàm sit vehemens, Olynthus probat, nam urbem hanc nihil ceperat, nisi cepisset aurum: tam diu infractam, quamdiu *sine argenteis telis* Philippus hæc ubi admovit; cessere mænia, *nec graviores ullæ fuerunt Philippicæ*. Quin & Romam risit venalem Iugurtha, cùm non inaccessam donis adverteret. Fædum id mercimonij genus, suasit tunc Civium *avaritia, maior ante Arpinatem Tullium Orator*! At etiam alibi *Auro pulsa fides, aurò venalia iura*; &, ut *nil ferro nocentiùs*, sic *nil* esse *potentiùs auro* ubique, vidit luxitque ille vatum Ocellus, seu injusta urgeat, seu hoc idem aurũ de scelere paciscatur. Proclive est capienti munera, ut fidem in utrumlibet obstringat, *puteta, iniuriam, pretio virtutem* etiam *non exuisse*.

Tanta

Tanta vis & facundia muneribus inest, *tantumque ille his inaccessus, qui contempsit*! VI.

Beneficia.

Non semper felix Orator.

Donis adjungo beneficia. *His linguam inesse* autumo, *sed quæ crebriùs auditore careat*. Surdis hæc loquitur, eò quòd *gratia sæpe spargitur in ingratos*; ac velut sterili solo committitur aurea hæc sementis. In oblivia desinunt, quæ prodigè in quosdam congesseris; quòd alieno parta munere felicitas oblivionem sui & Mecænatis inducat. Quid ergo hic Orator beneficus? præter effusa congiaria, vocem etiam perdit, dum gratias exigit pro gratijs. *Beneficia feruntur. metitur ingratitudo vel contumelia* Facit eadem, quod finxit Poësis, quæ Grati-

 as

as juvenili ſpecie fingit. Nam ingratis non diu hæret gratia, nec in animo ſeneſcit. *Sunt tamen*, quibus non irritus, beneficij clamor Arrigunt, ut manus ad congia, vel ſportulam; ſic aures ad munerantis vocem, eamque paribus gratijs reponunt. Si crimen fuit aliena profuſio, pænam talionis apud ſe illi deſtinant. Nihil quippe graviùs apud memores ſuæ fortunæ, quàm oblivio Mecænatis; quam tamen hi manu æque munifica proſcribunt. Vel ſi votis penu haud congruat, *cum Furio ſi accuſant, quòd cogantur ingrati vivere.* Ita his, dantis memoriam neutra fortuna obliterat, *nec obliterari, hinc ſinit Gratianus, hic Orator!*

VII.

Exempla, egregius Orator.

Nihil tam arduum, quod *exempla non tam ſuadent, quàm imperent.*

Nemo

Nemo proinde tam facile virtutem ac vitium exigit, quàm ſi *facinora pro imperio*; geſta ſint pro exemplo. *Meliús iubet, qui facit.* In facto nempe *auctoritas virtutis*, imo & ſceleris *placet*; ac utrobique ſe parem probare ſatagit, quiſquis agentem vidit. Nil inauſum poſt audaciam præeuntis; viluitque difficultas, ſi effractam à quoquam vidimus. *Primis* enim *tantúm auſibus Duce opus*; hinc non grave virtutis experimentum eſt, *cum poſſe fieri quis didicit exemplo*: imò *nec improbum eſſe pudet, cùm non ſolus hanc labem poſt exempla feres.* Etiam periculis ſic ademptus terror, quòd ea quis, te conſcio contempſerit. *Audes ergo, quia non nemo auſus*: agis acta; & pateris, quod alijs dulce pati. *Tamdiu* quippe *abſterret ardua, quamdiu nullius contemptu viluerunt*, alioquin *poſt*

C 7 *duces*

duces in aspera, amātur pericula; ut post Scævolam ardentes foci ridentur. Quin & somnum abrumpet laudis æmulatio, post alieni facinoris spectacula; pigetque torporis, quem aliena excitat damnatque virtus!

VIII
Idem Mutus, Orator,
Seu Exempla & Acta illustrantur.

Taceant alia; *meliùs opera loquuntur*. Mutus hic quidem Orator, sed cui cedat Arpinatis lingua. Nam *disertior, qui quod agendum suadet, agit.* Sic enim *docet & fieri posse*, dum *faciat* & debere; dum opus, quod videt approbat. *Adeo manus, linguæ munus obit feliciùs.* Fabula est, Oratorum facundia, quæ tantum linguæ crepitaculo aures tenet; beatior, quæ movet exemplis: uti & fe-

licior

licior auditor, qui ijsdem sapit Inest his etiam sua loquela, nec ulla citiùs persuadet. Mutum natura, vel fortuita te fecerint, *nondum elinguis es, si pulchra, quæ in publicum profers, opera loquuntur.* Hucusque *muti sunt tot Herôúm cineres, sed eorū facinora, lingua sunt*, adeoque *in his etiam cinis ipse, Orator est.* Frigent quidem extinctorum manes, sed -- *pariunt quoq; frigida flammas*, & ad egregia exemplo accendunt. Hinc est illud: *Est etiam quod ex tacente viro egregio discas* Ajax etiam, Ulyssem adhuc factis increpat, dum apud Nasonem gloriatur --- *Melior mihi dextera, linguâ est.* Denique operum insignia vocaliora esse testantur, tot alienæ laudis æmuli, & præeuntium sequaces. Meliùs post Uticensem Radolphus, ante utrumque Alexander sitim tolerare, do-

cuit

cuit exemplo exercitum, dum arentia sola fontes negarent. *Puduit tunc sitim non vincere, à Ducibus victam.* Quare exempla inter Oratores sunto.

IV.

Machina Universi Divinus Orator.

Omnia mihi clamant, Deus meus, ut amem te. Augustinus.

Plena sunt Oratorum omnia: nihil in mole Universi non disertum. *Materia dicendi est, Deus: hunc omnia dicunt,* & nimis *obsurduit, qui Stentores hos non audit.* In cælo *quot sidera, tot linguæ, ac Præcones Numinis:* luce suâ indicant Auctorem luminum: situ & admirabili in effectis motu, Sapiẽtiam Conditoris. Nam tonitrua & *aer fulminum officina* ad majestatis illius reverentiam nos com-

ponunt; *nullusq́; sic fulminavit, Pericles!* In terrenis, quæ color venustat, vestigium sunt primæ in Deo venustatis: quæ dulcor, Hyblæ aut Hymetto adæquat; *ex illo* dulcium *boniq́; Archipelago* rivulum ducunt. I. per summa, i per minima, quæ tellus parit fovetque; quæ miratur & deperit, omnibus his linguam indidit Auctor ille, quæ dicat *Si tanti vitrum quid margaritum, si tanti rivulus & scatebra; quid Oceanus?* Si tanti teruntius, quid Gaza illa, & ingens ærarium? *Si tanti radius, quid ille æternus Tira? Præeminet, qui supra nos eminet:* ibi animũ defige, ubi bonum perennat, quod in nobis in momenta decrescit, tandemque perit: illud sine modo exundat, cujus in nobis stilla tibi non desipit. Hucusque hic Orator, nec unquam sic loqui desinit, quamdiu sui parte aliqua durat.

§ III.

Alij Muti Oratores.

Seu Vocis Prodigia in elinguibus.

Ne *Rhetorica mutorum*, credatur Paradoxum; dicta hactenus pænè tribunitio more vetant Si paucos protuli ex hac gymnade, *plures adhuc* non ſine prodigio *mutos auſculta.*

I.

Vocis prodigia in rebus mutis.

Sunt, quæ mutis inſerit natura; quibus tamen *vocem aliquando laxârunt prodigia, vel docilitas* Propiora ſuperſtitioni veterum fides retexuit, nec eorum Faſti tacent. Parum eſt quòd muta memorent lingvæ officium inijſſe: etiam fatidica fuiſſe perhibent, *nec dixiſſe tantùm, ſed prædi-*

prædixiſſe; quaſi non ſat eſſet loquaces prodere, niſi etiam vates novos afferant?

Fluvijs nemo linguam tribuerit: *Surda eorum & muta litera* vel *nullo vel minimo* ſono *labuntur*; atque hic tantùm aquarum vel fluctuum eſt ſermo: Tamen Cauſum amnem ajunt ſalutaſſe Pythagoram. *Portentum amnis!*

Minor loquendi uſus arbuſtis; ulmus tamen *Apollonium, infame veneficiis nomen* compellavit; & Dodonæa quercus, uti & carina Argonautica hominis linguam mentita; & fagus apud Orpheum. Quin *& muta animalia non ſemper muta*; quæ in vaticinia etiam, poſt aſinæ illius exemplum proficiant. Sic Achillis equus hero prædixit obitum: Sic bello Punico ſecundo, urbem bos humana voce exterruit, exclamans

Cave

Cave tibi Roma! Eloquentior bos ante Augusti imperium, auditus agricolam arguere agrarij laboris, frustra in agricultura hunc insumi, cum brevi non frumenta, sed homines essent defuturi. *En vox non tam bovis, quàm hominis* vatisque!

Prisca hæc, atque è Profanis: Sacratius illud ac recentiùs ex Ecclesiæ fastis. *Bedam audiêrunt Scopuli*, mutumque littus respondit sanctiùs peroranti. Eundem tunc titulo veneratus auditor amnis, *& auctoritas nominis à surdis cautibus deducta*, in omnes ætates abijt, auditque Venerabilis hucusque Divus ille, *ut amnis volvit nomenclator.*

2. Stella, cælorum lingua ac Orator.

Siderum iam vocem audi. Primus, Oriens eam audiit, cum infantiam Verbi

Verbi adorare juberetur. Nec rudis auditor fuit, qui linguam cælestem caperet; dignior cum astris ultro citroque loqui, qui Deum in terris requireret. Idem illi Orator, qui dux viæ: *non alia* namque *ad Solem via, quàm per sidera.* Difficile fuit errare in tanta luce, quâ nulla major in Oriente patrio illuxit; imò antequam Oriens ille fuit mera nox, & Patria tenebrarum. Illustris tandem hic è cælis Orator, à seipso dicendi lumina mutuatus, *Orientis tenebras, sudum effecit meridiem.* Sic Regum ternioni fuerat perorandum; ne non splendidior lingua videretur, quàm vel auditorium, vel *argumentum de Sole in terris nato.* At quanta vis dicendi inerat Cælesti linguæ, cùm Infantis Dei cunas ediceret? Suasit omnino, quod terra vix aure credula digna-

gnaretur, Deum mortalem tonantem vagire, immensitatem ivisse in fascias; cœpisse primò, qui æternaverit; pro sceptro stipulam fæni, pro regia caulam, pro Solio fænile. Quàm item arduum erat regna linquere, longinqum iter capessere, Pusioni Reges in genu submittere? Sed arduum esse desiit perorante Stellà. *I nunc & Rhetoricam cœlo exclude; totus Oriens reclamabit.*

3. *Mira Epistolæ vox, & lingua paginæ.*

Quisquis per epistolas loqui docuit, *paginæ linguam dedit*. Diu sic loqui nescit, donec subita docerent etiam *calamum loqui posse*. Legatio in usu fuit; sed per Oratores. Placuit tandem *mutus Orator epistola*, qui idem diceret tacens, quòd Orator aliàs loquens. Et probavit hoc linguæ

linguæ genus, usus longior, additusque honorariùs literis comes, tabellarius. Nam *Epistola, peregrè loquentem ut audias, efficit; idque illius prodigium est*. ubique eadem reponit alloquentem, & *alibi degere, alibi loqui docet*; vel certè & ubiq; esse, ut loqui ubique, quò scilicet literæ legentis, tanquam vox internuntia pertigère. Iungimur sic amicis, & intimè confabulamur. Cui sors imperium obtulit, scripto id adjuvat, *iubetq; litera, quò vox Principis non peruenit*. Hinc licet solatia peregrè capere, hinc frenũ, hinc calcar, hinc animum scriptoris eminus intueri: hinc *in distans agere*, etsi id Philosophi pernegent toti naturæ. tanta vis mutæ paginæ! tanta vox elinguis epistolæ! Nec tabellarios non auximus, per quos peregre vox ista iret. Nam per

per cælos ire nuntium docuit prior ætas: *Aues tabellarias Soldanus habuit Lipsius canem.* Sagittis in idem obsequium usi alij. Neque arcano sua fides non constat: nihil paginâ hujusmodi tam diserta taciturnius, quod illi os claudatur, nec loqui liceat, nisi remoto pessulo vel obicei aut ulli alteri loqui nisi quem pagina nôrit, & tabellio designet &c.

Literæ loquaces Peruanæ.

Iuvat legere Pia Hilaria Gazæi. Occurret tibi Scazon, & *splenem in Cachinnos resolnet* de servo Peruano. Ficus hic ad amicum peregre deferre jussus, & *literas, doni indices.* Viæ iter ingressus, cùm *missile donum* oculi primò, deinde gula delibavit, & quia sapor illecebram fecit, absumpsit. Herili amico *prodidêre gulam literæ*, nec ille dissimulavit quin

quin *literas loqui* diceret de transmisso munere. Pernegat verna, illud unicum miratus, quòd gulæ suæ tam esset conscia, etiam *Charta loquax.* Cautior deinde, aliam eidem sportulam detulit, quam etiam pari ingluvie invasit; audacior, quòd *ante per gulæ facinus*, literas saxo opprimert, ut eas lateret dictum facinus. *Mentem hominis!* Sed didicit iterum *literas non loqui tantum*, sed *saxa etiam visu penetrare.* Nec herum id pòst latuit, *ausumq; geminum fustuario eluit gula*, & repetitò illusa mancipij fides.

Scazon Gazæi rem festiviùs denarrat, risuque dissolvit. Lege & ride, quantum ilia sinent.

4. Ferrum loquax

In ultima terrarum tantisper abeo, & vos mecum: quamvis domi

etiam ſpectare liceat, intactis exteris, quod illuc intulit Europæus Princeps. Hic barbaro Regi *Xenii loco horologium* tranſmiſit, inviſum ante inibi munus. Arti nihil deerat, quæ horas ac diei noctiſq; ſpatia ſic metiri jubet; & *materiam ſuperabat opus*, cui frontem aurata anaglypha affabre exararant, & dentatas è ferro rotulas invicem implicitas, ars ſcitiſſimè occultàrat. Sonuit tandem *vocalis machinula*, & aulam tinnitus in horas diſpar, attonitam fecit. Diu tenuit error. *Ferrum id loquax eſſe, nec rationis egêre, quod numerum calleat*, & in horis diſtinguat. Quin etiam crevit ſemel illuſa barbariæ fides, viſa dentium ferrata ſerie, quam ori loquẽtis ars inſervit. *Vſus tandem ſtuporẽ abſtulit*, patuitque tinnitum eſſe inanimem, quem ferri ſermonẽ primò aula

aula crediderat, *à lingua ferrea* frontem operis occupante.

II.

Vocis Prodigia in avibus.

Volucrum lingua in ſermonem docilior. hinc prodigij nomen vix obtinet, quod plures afficiat loquax hæc garrulitas. *Rara* tamen *in prodigiis cenſentur*; & talia hic propoſitum pandere.

I. *Corvus Salutator.*

Corvos inter Pöetas retulit Perſius, & *avem aliam inter Poetrias*. crevit ſub Auguſto alitum honor à pretio, *Tanti tunc Corvus, quanti nec plures Pöetæ, aut Perſii familia*. Profuit alitis docilitas, quæ ad urbanitatis officia profecit, fuitque, cùm poſt Actiacam pugnam Roma plauderet, Corvus applauderet Principis

Salutator. *Ibat* cum Augusto *in Capitolium triumphus, nec urbis silebant gaudia*; vicit tamen populi plausum vox erudita corvi, illud Cæsari Occinentis. *Ave Cæsar Victor*: Attonitus ad vocis prodigium Augustus, *comitatem volucris triumpho prætulit*; & ne literatæ voci præmium deesset, *auem* in palatium recepit *viginti millibus emptam.* Tanti prodigia oris constant, *& ales Palatinus!* Par pretium psittaco idem vrbanitatis audenti ac edocto. Et certè, *cui rostra magis, quàm auibus addicat eloquentia* etiam ante Oratores?

Excitavit avaritiam liberalitas Augusti *quare scholam Coruorum aperuit spes amorq́ pretii.* Fuit, ubi Corvus plus profecerat cùm primi præitoris Oratio volucri hæreret; edoctæ insuper (*si minoris iam eadē constaret salutatio*) illud adjicere: *O-*

pera & impensa periit. Nec alius rei eventus. Salutantem audiit, contempsitque Cæsar, empti antea *corvi officiis satur*; sed cùm illusam operam alter doleret, majus pretium accepit *maior docilitas, respondere docta contemptui*, repentè questa, se operam & impensam perdidisse. *Plus certè fuit, esse coruum Cæsaris, quàm Apollinis.*

2. *Religio & mira vox Psittaci.*

Memorat doctas aves Pampinius, - - *quêis nobile fandi. Ius natura dedit.* Sic sturnius *auditas memor dimittere voces.* Sic *àëriæ cætera gentis gloria.* Sed Melioris Psittacus felix Domino, felicior Statio laudatore.

Ille salutator Regum nomenq́ locutus
Cæsareum - meditataq́ reddere verba

Tam facilis - Domini facūda voluptas Humanæ solers imitator linguæ. - Sed nunc æterna silentia Lethes Ille canorus habet; non item silentur alij *linguæ nostratis mimi, eiusdem nidi & familiæ*; sed quos discrevit vocis religio.

I. Hos inter ille Psittacus, cui *primum Orientis lumen Calaminæ extinctum*, id est, *Thomas Apostolus* in ore non loqui, sed *precari didicit ales Catholica, melior sectariis, quorum id lingua discere nequit*. Ne morer; Oratio Psittaci fuit: *Sancte Thoma. Ora pro nobis*. Sic ille in dies, sic in horas etiam precatus, Cœlitum cultor. *Nec irritum id supplex carmen*. In milvum inciderat *hic Orator* pugnæ inscius, *prædæ propior*, nisi suppetias solito precatu cœlitus evocasset. Divum pro more inclamat, *sentitq; auxiliarem*, subito *milui funere*

nere lætus liberque. Adeò *Vincit vel in aue religio!* I nunc, & cœlitum imploratam opem sugilla, hic te Psittacus, illâ securior, refutabit.

II. Majus in alio prodigium; nec *Ascanio, uni è purpuratis Romæ Patribus*, parvo constitit. Centum Philippeis æstimatus ales, & exile id talis reminiscentiæ pretium. *Rarò cauea tam nobilem captivum tenuit*, & pari facundia. Psittaci eruditor, sacrum argumentum in garritum destinarat, quô dogmata fidei longa serie continentur. Symbolum Apostolorum vulgò dicimus. Id ergo Psittaco memoriæ argumentum, quâ ita omnia complexus, ut *non meliùs promptiùsq; magister*. Nemo non Orthodoxam avem dixerat, quisquis audivit tam prolixè & ex asse credulam.

III. Sed *nec in profana minus facun-*

cundiæ Pſittaco. Gelaſimus is erat à riſu, quo hominem mentitus. In cachinnos nonnemo pepulit lætam volucrem; & ſæpiùs eoſdem voluit, illud avi ingeminans: *Ride Pſittace ride.* Nec fruſtra, ſed riſum excepit Oraaio, quâ provocatorem increpitans: O inſigniter fatuum (inquit) qui me ad ridendum provocat! *Sic ille qui riſum voluit, irriſus ab alite!*

3. Calandra avis piè eloquens.

Diſertas volucres auſcultâſti: *ſuperat, quod audies. Ne fides fluctuet, Roma vetat,* quæ alitem vidit: auditor, qut prodidit. Calandræ aviculæ nomen vix notum; ſed fama vulgavit, & *ars iniuriā putet tacuiſſe.* Huic ſanctior Romæ familia & altrix, & linguæ magiſtra, *linguæ, qualem nulla alitum ſcivit, & hominē, pulchrum ſit calluiſſe.* Cœlitum nomina, quæ ſanctior ſyllabus ex ordine recenſet, dum mplorat, (Litanias dicimus) impreſſa tenuit, ales illa, fuitq; cùm ſeptuaginta nominum memor, *Divos percenſeret, ſingulis ſupplex, receptâ orandi formulâ.* Poſt tot demum nomina plus dixit, cùm unum dixit publicæ ſalutis interpres nomen IE VS *Crucifixus.* Sanè *de hac maximè dicēdum illud: Rara auis in terris,* imò nulla, quam par linguæ religio vociſque pietas commendet.

III.

Vocis & linguæ prodigia in artefactis.

Artem altiùs protulit labor; ut *induſtriæ nil imperium,* quæ *loqui* etiam *iubet rerum infantiam.* Hæc lapides vel arbuſta in ſtatuas refingit, & ne

& ne hominem duntaxat ſtatua formet, Mercurium etiam refert eloquentem.

1. *Statuæ loquaces.*

Ars efficit, ut etiam *ſtatuæ loquantur*. Talem vocis architectum inprimis accipe Albertum re & cognomento Magnum. Libramenta ſtatuæ intus pro anima dederat, quibus condendis (ne quid non ſoli induſtriæ tribuas,) triginta annos *novus hic dicendi artifex* impendit. Adeò *ſaxei hi vel lignei Memnones*, ac emortuæ linguæ, *ſerò ſermocinandi artem ediſcunt*; & hebes omnino Saxis arbuſtiſque ingenium. Quid ergo? *audita tandem loqui ſtatua*, quæ eloqui occulta libratio dedit. Adfuit auditor; *Theologiæ apex Phœnixque Thomas*, cui *ligneus hic Mercurius*, *& ſilueſtris lingua* diſplicuit; *nec enim*

artem linguæ illius motricem credidit, *ſed præſtigias*. Ergo ſtatuam invadit, & ne loqui ſciat, terræ illiſam ruina lapſuque corrumpit. *Indoluit Magnus artifex*, & opus triginta annorum labefieri exclamavit; *nec tamdiu præſtigiæ laborant*. En primum linguæ ab arte prodigium!

Alterum dedit *Athanaſius Kircher Matheſeos Ocellus*, & hac ætate, quæ illum fatis amiſit, facilè Princeps. Sueciæ Regnatrix, Romæ jam incola, in Romano Societatis noſtræ Collegio hoſpes fuit. *Rarior hoſpitalitas nobis placuit. & ſalutator præter morem*. Ergo *architecturam novæ vocis* ac Oratoris iniit Athanaſius, & *quia numen quoddam Mathematicum videbatur*, ſtatuæ inſpiravit, quæ intus veluti animata tum inſita vi magneti, tum artis opificio peroraret. Parum eſt fuiſſe locutam, & ſalutandi

di officia obijsse, etiam responsa dedit alloquenti Magnæ Hospiti. Sic etiam è stirpe muti, ab arte diserti fiunt Oratores! *sic è ligno fit Mercurius!*

2, Vis soni vocisq; harmonicæ.

Sonus etiam *Musurgicus*, ac harmonia, quidam est sermo & *sine lingua Orator*, qui tamen sæpiùs effecerit, quod nulla efficiat Oratio. Congero per Satyram hæc harmoniæ seu Musurgiæ prodigia.

Harmonia flexanimus Orator, etsi elinguis.

Animus dictis regit, & pectora mulcet Orator, quod Maro cecinit: idē in animos imperium est sono tonoque Musico, qui quædam vocis & *Organi eloquentia est?*

Ne-

Nescio quidnam Suadæ insit Phrygio tono, quo modulatus carmen Timotheus illius Musices non rudis, *Alexandrum fama & maximis maiorem* in arma efferabat. Tamdiu hic ardor Martius Regem tenuit, *quamdiu sonuit feralis tonus*: quo remissiore *Bellona in Cererem desiit*, seu *post bella itum ad mensæ bellaria.*

Quin & *sceleri frenum fuit, haustum auribus melos*. Siculum Tauromitanum adolescentem in rivalem furor accenderat; nec aliud quàm incendium agitabat æger animus, quod æmuli ædes depasceret. *Restinxit animi æstum Spondæi sonitus*, quo Pythagoras tunc ex arte usus. Hinc illud Arpinatis: *Si tibiarum cantu impulsi adolescentes facinus aggrederentur, tibicine Spondæum canente retrahi, & modorum gravitate furentem licentiam componi.* Accinit Theophra-

phrastus, qui sedandis animi perturbationibus musicos adhibuit sonos. Idem expertus *Empedocles*, qui convitiantis *iram retorto canendi modo fregit*, & velut Arionem audissent, *fluctus illi desierunt in halcyonia.*

Rariùs est, quod inter Symphoniacos, *pudor* etiam *canat victoriam.* Clytemnestra est argumento, cujus pudicitiæ timuit Agamemnon, dum illum Troja ducem posceret. Ivit ergo in arma, sed *priùs domi virtutem tutatus*: nec aliter nisi cytharædo relicto, quid fidium cantum in pudoris tutelam acueret. Et profecit tamdiu cantus, quamdiu vixit Cytharædus, ante cædem illius illæso pudore. Hinc *Ægystus iam notior parricida*, idem & adulter.

Nec hominum tantùm *animi cantu mansuescunt*; equas etiam Libycas tibia repressit, & luporum impe-

impetum, id quod de Pithiochare tibicine prodidit Ælianus. Nam *Delphinas Cytharæ capi*, Arion inter Delphinas docuit; *elephantos tympano*, indicat Strabo: *olores lyrâ*, *camelos quovis carmine delinias.*

Etiam vi medica sonus præpollet supra vim eloquentiæ. Hinc Milesius Thales in pestilentiam cytharâ: Hermenias Thebanus in coxæ dolores numeris usus Musicis. Nec abfuêre quædam veluti prodigia. Nam Asclepiades surdastris tubâ profuit: Xenocrates lymphaticis, quos *carminũ modulis menti restituit*. Favet Gellius, qui Ischiacis dolorem imminui ad tibiæ concentum monuit. Favet iterum Theophrastus, qui viperarum morsibus eundem adhibendum suasit; etsi *in experimentum remedii nec ipse huiusmodi morsum vellet*,

Prodi-

Prodigium Cytharæ Davicæ.

Id quidem de Macedone ſuprà; ſed *crevit vis prodigii* in Erico Daniæ Rege; vel, ut alij, in *Henrico à doticus Boni cognomen ſortito.* Acta Principis in operto: Cytharæ tantùm facti meminere, quæ ubi ſonuit, flexit Principem, quò cantus impulit. Si leſſus per carmen lugubre aures perculit, *egit in pupillam dolor*, & nunc genas Principis fædarunt lacrymæ, nunc planctibus & ſingultu temerata aulæ gaudia, gemitu completa regia, & jactatum mærore corpus Princeps ſolo vel parieti afflixit: *Troiam crederes captam, vel Pyrrhæ tempora rediiſſe.* Quodſi leſſis *ſubiêre ludibra*, & lætior muſurgia, *Orgia crederes aut Mænadum intemperaria*; ita ſub læta fidium Princeps in

in riſum immodice ſolui, cachinnis, complodere manus, in tripudia & pyrrichas agi, curſitare, in gyrum circumagi, vociferari, & *Principe poſito hiſtrioniam exercere*. Denique *Si claſſicum ſonuêre fides*; arma conclamavit Princeps, ruere in duella viſus, diſtricto in obvios ferro ſævire, *ceu aula, Martis eſſet arena*: imò *etiam extra regiã emicuit furor*, & atria cædibus funeſtavit, *tamdiu ferox, quamdiu in* Sævitiem *cogeret cythara*; & *verſus rediit dolor poſt tot funera*, ſibi reddito Principe inter numeros molliores. Quis unquam Orator rem egit facundiùs, aut feliciùs flexit animos, quocunq; libuiſſet, quàm *elinguis Orator ſonus*?

IV.

Vocis prodigia in Infantibus & Divis elinguibus

Infan-

Infantiam à muto vix discernas, nisi vagitu: cætera mutorum familiæ transcribas. Fuit tamẽ disertá quorundam infantia. Sic Ambrosio infans tiaram Antistitis depoposcit. Sic sonti alteri Antistitis crimẽ impegit infans, quò alterius innocentiam assereret. *Nec Crœsi filius non inter hæc prodigia*, cui vocem extorsit parricidium, *quæ parricidam perculit, ne feriret.*

Plus fortè prodigij in elinguibus, si loquantur; & tamen sic locutos audiimus. *Tyrannus in elingues semper intentior*, quibusdam quos cœlo asserta veritas intulit, *linguas ferro ademerat. Displicuit veritas*, canoro vocis præconio inculcata: *puduit vinci* à disertis, & erroris lubricum linguâ detegi, castigari vitia libertate dicendi. *Non tenuit se tyrannis*, quin ora Divorum clauderet, *ne ru;eret*

eret deprensus error. In linguas ergo *ferrum distrinxit*, & vivere jussit elingues: quasi etiam ferociæ causa pro elinguibus non sat loqueretur. excisa igitur instrumenta fandi, & ora suo sanguine purpurata, intus pro linguis cruore diffluxerant. *Nec segniùs linguam protulit* Martyr, *quàm tortor posceret*: & libentiùs eâ caruit, cùm esset suo sat munere perfunctus, victrix post errorũ excidia. Parum iterum erat linguas adimi, cùm & vitam prodigeret, imò pulchriùs visum est *linguas* sic etiam *immolari veritati*, & quo nemo alias coluit *Deum, colere linguarum sacrificio.* Lætus hoc excidio tyrannus, jam sibi à linguis non timuit. *Sed rupêre vocem prodigia*, & ora in linguæ officium relaxârunt. Muti ergo tunc auditi Oratores, nec disertiùs locuti unquam, quàm cum sine lin-

linguæ ſubſidio loquerentur. *Nemo* enim *facundior, quã ubi & ora perorant, & prodigia.* Expalluit Tyrannus, & vocem ſtupor attonito abſtulit: & neſcio quod majus prodigium, an loqui elingues, an *tali ſtupore linguam adimi.* Nempè *linguæ tunc maximè timendæ, cùm plectuntur. Maior illis poſt* hujuſmodi *vulnera virtus.* Vel *ſi ora taceant, cruor perorat,* aut fandi licentiam reddit innocentia. Sanè Præſules Libyæ ab Arrianis linguá mutilati, perinde locuti, ac ante hanc oris lanienam.

V.

Votum Tyrannidis & Invidiæ, ſunt omnes muti.

Utrique in votis eſt linguarum æterna taciturnitas: & voti cauſa in aperto. De crudelibus liquet; nam

nam *prima illis creat periculum lingua miſerorum*; hinc *prima cautio tyrannidis in linguas* Ceſſat ab his formido, cum æternum ſilere coguntur ferro exciſæ. Nimirum *lingua* ſæpè audacior eſt, *ac pro armis*; quæ ne ſint terrori, *excidium oris* facit. *Mutos* ergo *amat, ac vovet tyrannis*, at *vovet & invidia*. Nam *odit æmulos, qui vinci timet.* Atqui *hoc venenum livor affatim bibit,* qui *nulli infeſtior, quàm æmulo*; vel pari vel ſuperiori. Hincille *Pharſalicus turbo*, & Magni cum Cæſare arma civilia. *Nec Cæſar priorem voluit, nec Pompeius parem.* Si ergo livori obtrudat arena eloquio parem; vel linguæ gratiâ, aut, *quod magis invidum urit, maiorẽ,* quid hic æmulo velit, niſi vel fata, vel infantiam? Elinguem primus reddere tentaret; niſi amaret latebram, quam illi aperta hæc alicui oris

oris laniena auferret. Porrò paritas illi eſt in odio; quia duos hæc patitur, cùm *livor ſe vnum in faſtigio laudis velit. eminentia* tamen *maior odii fomes*; quòd nec unum eſſe illum jam ſinat, nec duos eadem pares relinquat. Quare votis & animo pugnat, cùm aliter neſcit invidia, & facundos exuit laude per deſideria, cùm mutos æternum velit. *Pereat, quæ terris talia vovet!*

§ IV.

Quarta ſpecies Mutæ Eloquentiæ in Actione Oratoriâ.

Adhuc muta tenent, augentque admirationem diuturnitate loquendi, Tacere fruſtra mutum prohibeas, cùm aliud non poſſit, ſed his quos mutis Oratoribus inſeruimus, loqui prohibendum. Cave tamen adhuc

adhuc dixeris Tribunitium illud *Veto*, quo ſilentia hic imperes; nam *mutus adhuc ſupereſt, quem pigeret non audiſſe.* Audi, & tunc Tribuneplebis mutæ, *vetabis.*

Actio Oratoria, Mutus Orator: Isque, an ſtylus in Oratore potior?

Apex eloquentiæ in actione Demoſtheni; nec illi tantùm, ſed idem omnium ſenſus. Quippe *ſine actione velut, emortua vel elumbis Oratio,* tantùmque *loquitur, non eloquitur.* Hinc illi *motum* potiùs *pedum* omiſeris, *quàm animorum, nec tam plauſum auditoris, quàm fugam.* Scilicet languor perorantis, & quidam corporis ſtupor, ſtatuæ non difformis, aliter excitet, niſi ſurdis loquatur. at oculi aureſque geminam volunt facundiam, oris & corporis. Ad hæc

hæc *nemo alium erigit, dum languet ipse*, aut sonum verborum ciet, voce & actione rebus dissonâ, vel tacente. Nil agit, qui non Oratoriè agit: Si *sufficit quævis loquela, etiam hæc amentis est*. In utroque Orator sit eximius; & loquatur, & agat: nam *si agit tantùm, histrio est; si tantùm loquitur, graculus vel recitator*. Roscium quidem laudavit theatrũ, in quo tamen is nihil protulit: Sed *Pantomimo gestus sufficit ex histrionia lege*, non tamen Oratori. Ut is ferat omne punctum, elocutio non prævalet, nisi comes erigat actio & pronuntiatio, qualem Æschines in *bellua illa* (sic *Demosthenem* hic ejus æmulus *vocitabat*) semper suspexit ac prætulit. Sanè haud aliter hæc bellua Athenas exterruit, & quo libuit, circũduxit. Fateor stylo vim & aculeum inesse, quem libri etiam gerunt,

gerunt, muti aliàs Oratores; sed si motum in animis hi muti excitant, is non scriptæ sententiæ, sed quem animus tunc format, & scriptis accommodat, scriptoris genio tribuendus. Perorat tunc in audientium mente, dum legitur; & auditoris cogitatio actionem illi tribuit, qualem styli acrimonia jubet affingere. Hac ergo efficit, dum animum legendo afficit & compescit. Imò si elinguis Oratio, vim illam exerit; quanta pollebit, si ánimet eandem actionem? Nec aliter rem definiet, nisi qui non tam Tullius, quàm Isocrates haberi malit, in schola tantùm Orator, non in foro, vel ad populum.

§ VI.

Infantia Diserta, seu Muti Orátoris subita Eloquentia per quædam adminicula.

Sæpè contingit, ut mutum efficiat Oratorem, vel oblivio, vel timor subitus, vel majestas Principis. Sic obmutuit coram Philippo Demosthenes, sic coram Antonino Herodes Atticus, sic coram Severo Hiraclitus Lycius, sic coram Carolo V. Bruxellanus Orator, sic alibi plerique. Quid ergo tunc agat Orator, ne penitùs sileat, vel ne vitium lapsæ memoriæ prodat? Aliquot adminicula ei suggeram, & ex muto faciam subito disertum, ne illi etiam Poëta illudat.

-- *Non potuit tria dicere verba Philippus:*
Si vultis causam nôsse, disertus erat.

Primò, illum juvabit aliquis modus ex ijs, qui inferiùs in Eloquentia Facili & extemporanea traduntur.

Secun-

Secundò ex hoc ipso eventu suo, quo mutus pænè effectus est, sumat subitam dicendi materiem. Nimirum, quòd coram Principe peroraturi & *facundi efficimur, & elingues.* facundos efficit ipsa argumenti ubertas, cùm de illo tam multa dicenda suppetant, ut dignè plurima non possint, nec finem in ejus laudibus inveniat omnis Oratio, at simul elingues id ipsum reddit alioqui disertissimos, ita ut quilibet hîc etiam fateri cogatur: *Inopem me copia fecit.* Plura sunt, quæ dici de te queant, quàm quæ ex æquo possint. Ad hæc percellimur majestate &c.

Tertiò, eadem subita taciturnitas te redderet sic disertum. *Diceres, quòd quosdam Principum*, linguæ facundia, alios taciturnitas meliùs exornet. Nempè tam *Tullius*, *quàm Tacitus* nota literatis aulisque nomi-

na, aliter *aures demulcent*; & dubitò, uter alicubi plausum præripiat. Equidem nec Tacitum rostra rejecerint, cùm in argumenti majestate, ad quam facundia non pertingat, silere potiùs præstat, quam loqui. Tutior tunc ampliorq; laus à silentio & Muto Oratore, quàm diserto. Nimirum tunc Oratori *Princeps ille Numen quoddam est, quia pænè Infallibilis.* Neque alium in me nactus es, ô Princeps, Oratorem, quem ipsa tui vultûs majestas, & argumenti opprimit amplitudo. Si quod ille ait, *amicus silentii Deus est, nec linguâ pulchriùs, quàm illo colitur,* in te Divinum aliquid lingua perorantis persentiscit, quando inter vota æterenaturæ & indignæ hâc fortunâ solioque gloriæ conticescit.

SPE-

SPECIMEN II.

Admirabilis Eloquentiæ, ELOQUENTIA OMNIGENA

Seu

Orator omnium Linguarū.

NOvam rem molior, & quam successus in admirandis poneret. Nolim te unius linguæ Oratorem, sed omnium; vel ut omnibus loqui noris, quos terrarum ambitus per dissita gentium linguarumque distingnit distrahitque. Sic *Orbis & gentium Orator audies!* Latium sit, an Græcia, Thrax, an Sarmata; Cantaber, an Britannus; Gallus an Æthiops; Arcticus an Antipoda, perinde est: Scies alloqui, & coram ijs eloqui. Erudire sic linguam, mihi propositum.

§ I.

§ I.

1. *Mira hujus Eloquentiæ Paradoxa.*

Nomen hæc gerit Eloquentia, quod fidem ſuperat: quod ſub nomine hæret occultum, pænè eandem fidem abrogat. nam quædam mira occurrunt & dubiæ fidei, ignaris. *Primum illud*, quòd qui hujuſmodi eloquentiâ inſtructus eſt, linguam omnium ſciet, quam tamen neſciet; ſciet, ſi reſpondeant: Neſciet, quia rebus, non verbis loquetur, & reſponſa accipiet. Huic *geminum & illud*: Hujus eloquentiæ gnarus, & omni linguâ loquetur, & nullâ: eadem hujus paradoxi, quæ primi ratio. Denique talis Orator, omnium linguarum gentibus loquetur, & mutuò eas intelliget; etſi earum linguas non intelligat.

Neque abire à vero hæc paradoxa ſcies, cùm artem ſcies.

2. *Homines plurium Linguarum.*

Natura etiam plurium linguarū Oratores format, ac efficit. Provoco ad Diodorum Siculum. *Is Auſtralibus populis bifidam à radice linguam* tribuit, quâ & diverſa ſimul cum diverſis colloquia biſulcæ linguæ divortio partiri; & avicularum cantus ſcitiſſimè æmulari dicuntur.

Ars naturam quandoque ſuperat, & in linguarum numero donoque perſæpè. Pridem *Ennium tricordem ſua dixit ætas*; quaſi tot corda gereret, quot linguas, arte ſortitus. *tanti eſt Græcè, Oſcè, & Latinè locutum fuiſſe!* Major Ennio *Mithridates*, non ſolij tantùm dignitate, ſed linguarum diſcrimine. Gentes im-

perio coërcuit duas supra viginti:
neç idem mos omnibus; nec lingua.
Plus in Principe valuit dicendi facultas, qui linguarum numerum subjectis gentibus adæquavit. Pulchrum id Regibus, quibus *sic conciliatur popularium amor. Facilè coalescunt animi, inter eiusdem sermonis commercia, promores in principem, qui nec linguâ à civibus dissentit:* tantùm *imperio dispar*, cæterum *affectu civis*.

Post veteres nulla dissimilis ætas: ars damnat naturam, quæ linguarũ parcior, unicam tantùm donat: quare palæstræ, ut ingeniorum, sic linguarum visuntur. Multiplex placet sermocinandi ratio, & in se uno quisque orbem referre satagit, velut origine multiplex, quia linguâ & idiomate.

Nec linguarum studium absq; gloria. Ubique id; sed Turcæ altiùs attollunt.

lunt. totidem naturas tribuunt ei, qui linguas complures edidicit Argumento illis est discreta naturis multitudo & varietas nationum, quas dum brevi ambitu lingua comprehendit, eas repræsentat.

§ II.

Oratores plurium linguarum.

Quosdam profero, quibus & tu accedes, ijs gradibus, per quos deducam.

I.

ECHO

Orator omnium Linguarũ.

Nemo uspiam disertus, cui par non sit vocalis Echo: omnium hæc æmula, linguas omnium callet, ac facundiam adæquat: *semel audita, statim didicit par magistro*: statim totidem

tidem verba reponit, ut nec ſyllaba excidat; nec *eloquio, nec tono ulli diſpar.* Quodcunque idioma ſonuerit, idem replicat; nec meliùs id novit cui nativa hæc, vel ab arte lingua. Nullus ſcivit, quod mima hæc, ignoret. Carmen, ſeu Proſa; rudis, ſeu polita ſit oratio, perinde habet: ſufficit ſemel aliquid vel ornatiſſimum auſcultaſſe, ut ornatiſſimè dicat, tibique parem gloriam invadat, Tullius aut Demoſthenes tonet; mox illa Tullius alter, alter Demoſthenes: Tacitus aut Seneca, vel quodcunque demum nomen, inter ſacra vel profana roſtra, recentium vel veterum more agat, ajatq; aut Periclis adinſtar fulminet; *pariter fulminat mimus hic Iupiter. Omnis in hac vna reciproca voce Orator*, omnis Poëta; & altior ſcientia nullo, quem audierit uſquam, inferior eidem

dem

dem ineſt. Nec illâ æmulus major, ſi dicta utriuſque conferas: *hoc tantùm Echo inferior quòd ſua nequeat promere, alieno diſerta: Quod item mente non valeat, ſed voce*; etſi eadem mente cõſtare videantur ſonus ab ea redditus, ac illi prævius. Nunquam tamen præit hæc, Oratorum & cujuſvis linguæ pediſſequa; *comes loquelæ, non prodroma*, ſeu id nativa ſit modeſtia, tám facundæ vocis; ſeu quod aliena erudiri, alienà in publicum laudis evadere velit ſemper facundiâ, *cui ſcilicet ſat is ſit, fuiſſe omnibus parem, & ſi nunquam priorem. Filiam vocis* vocitat recutitus Apella; Poëtis fugitiva eſt Nympha, aut *effuſæ vocis imago reſultans*, imò *vox prætereaque nihil.* Roſtra illius, ubi reſilit ſonus. *Sic reddunt nomen concava ſaxa tuum: ſic reſponden omnia ſylvæ*, quæ à canoro acceperint præ-

 itore

itore: ſic putei loquuntur, aquâ intima ſonum cum quadam repulſa reſtituente. *Facundior tamen Echo alicubi*: nam Syracuſana, totum è regione portus urbiſque diſertiſſimè reponit, quod ſonitu vel loquelâ præduce præcepit. ſecus quam aliæ quæ poſtremis vocibus inhærent, eaſque ſonant tantummodo aut loquuntur. *Par Syracuſanæ Carducenſis Echo*: vel ſi ſuſurres, congeminat ex integro ſuſurrum. At vero diſertiorem ars effecit. Sic *Ferdinandi Gonzagæ ædes* Magnificæ, in ſummo ambulacri vocem editam reddunt vigeſies, tricieſque. En miraculum vocis & omnium linguarum!

2.

Oratores omnium linguarum Hieroſolymis Apoſtoli

Prima tale Oratorum genus vidit

dit audiitque Hieroſolyma, *ibi linguis omnibus cœlum pluit*; nec pluviæ non reſpondit beata telluris fæcunditas. Ortæ ſubitò linguæ, *nulliſque ibi non Orator omnium linguarum*, quem eruditis imbribus procella ſuavior perfudit. Nullibi talis nimbus, cum quò Eloquentia omnigena in terras defluat. Primum *Hieroſolymis facunda hæc tempeſtas detonuit*, ubi ignes depluit Ignis ille, & *Verbum linguas*. Quidni illuſtre nec frigidum dicendi genus, Divinis Oratoribus ineſſet, ab ignea lingua? flãmas jacere, non verba videbantur, & *quidquid dixiſſent, in faculam exarſit, vel in fulmen*. Adeò *Columba illa non gemit tantùm ſed tonat*! Obſtupuit frequens auditor ad hæc Rhetoricæ Cœleſtis prodigia, & *momento traditam Encyclopædiam linguarum*! Nullus adfuit, qui cùm hos audiſſet

ſet Tullius, non ſuos juraſſet indigenas, æquè Latinæ, ac omnis facundiæ per prodigium gnaros. Fuêre quidem. qui lymphaticam crederēt à muſto eloquentiam; ſed *nunquam crapula fecit ſic diſertos, quæ linguam infamat veriús, qùàm erudit*; & verba mutilat & deformat potiùs, quàm eadem ſuppeditat. Miraculum igitur fuit illa linguæ varietas, ſubito comprehenſa.

3.

Vir omnium linguarum
Divus in Indijs Franciſcus
Xaverius.

Apoſtolis adnecto Apoſtolum, etiam linguarum *iudicio parem*. uſq; adeò *non Solyma tantùm linguarum omnium magiſtra! & in ultima terrarum ſe mira provehunt*. Indiam ajunt ab Aquilone in Auſtrum, ad inſtar lin-

gu*æ*

guæ potrigi: nec deeſt quod loquatur, cùm Xaverium audit tot linguis prodigio inſtructum, quot India nôſſet, vel adventitias hoſpitari apud ſe ſineret. Vir omnium linguarum primus ille in Indijs, ſeu plurium idioma promeret, ſeu *una Illius lingua, omnium inſtar* eſſet, in ſe unica, ſed quam caperent omnes, qui ſuam tantùm noſsēt ab Oratoris ſermone alienam. Ante hæc linguarum portenta *Oriens ille, quantumvis Auroræ vicinus diem pariat, non* tam *diei*, quàm *noctis incunabula geſſit*, donec tot luminum, quot linguarum lucem ſpargeret tenebris & orco exitialem, hic *Occidētis Orator illuſtris*. Ad nos etiam ab India toto orbe diviſa vox illius pervenit. miraculo magis quàm ſtrepitu canora. *Vnâ* hæc *laudari linguâ, vix poterit, quæ omnium meretur*, Quidquid en-

comi-

comiorum in eam rostra vel orbis effuderit, *merum est silentium*. Unus hic Orator sua decora dicendo æquare poterit, cujus in ore novus terrarum orbis resonabat. Omnes ergo suis in laudibus elingues fecit, dum unus omnium linguas in se transtulit, hocq; *meritus, vt de ipso omnes linguæ loquantur. &c.*

§ III.

Artificia omnigenæ linguæ proponuntur scriptori, vel Oratori omnium linguarum.

Modum indagare iam audeat labor, quo unius linguæ Orator, linguis omnibus, & cujusvis loqui, etiam disertè, & scribere & respondere queat. Iuvisset *Polygraphia Kircheri vniversalis*, nisi cum auctore & Augustis Principibus, modi arcani cōsciis, terris effluxisset, qui ejus notitiam

tiam ad augustal perductam, inde emanare noluerunt. *Est tamen geminus Auctor* apud Gregorium Schottum Societatis nostræ, qui sic linguam & calamum instruat. Est Ioannes Becherus Spirensis, cujus libello nomen: *Clavis convenientiæ linguarum*, seu *character ad notitiam linguarum vniversalem*; seu *Inventũ Steganographicum*, quo suam aliquis legendo vernaculam, omnes linguas, brevi methodo intelligere ac explicare possit. Alter est nostræ Societatis Cantaber, cujus artificium primo loco ponetur. Porrò qui artem sic scribendi & loquendi cōprehenderit; quidni & eloquendi, seu ex Oratorum legibus res exornandi calleat, atq; sic Orator omnium linguarum, seu *Orator vniversi* evadat.

Arti-

I.

Artificium unum: omniũ linguarum.

Cantaber prædictus ad quatuor leges id revocat, docetq; in hoc consistere, ut quævis natio ex mutuo consensu sua vocabula, eandem rem denotantia, ijsdem Arithmeticis characteribus, aut similibus quibusvis notis exprimat, reductis antea rebus omnibus, vel præcipuis, sermone vel scripto exprimi solitis, ad certas classes. Quare

Primò vocabula reduc ad suas classes. Auctor ille ad 46 Classes illa revocat.

In prima Classe, ponit elementa, & ad illa spectantes dictiones numeris distinctas; ut sunt, 1. *Ignis*, 2. *Flamma*, 3. *Fumus*, 4. *Cinis*, 5. *àér*, 6, *Ventus*, 7, *Aura*, 8. *Ventus orientalis*, 9 *Ven-*

tus occidentalis, 10. *Ventus meridionalis*, 11. *Ventus septemtrionalis*, 12. *Aqua*, 13. *Mare*, 14, *Mare Multiplex*, 15. *Nubes*, 16: *Pluvia*, 17. *Nix*, 18 *Flumen*, 19, *Torrens*, 20. *Mons*, 21. *Vallis*, 22. *Species*, 23. *Infernus*. 24. *Purgatorium*, &c.

In secunda Classe ponitur cœlum & cœlestia, 1. *Sol*, 2. *Luna*, 3. *Stellæ*, 4, *Polus*, 5. *Lucifer*, 6, *Galaxia seu via lactea*. 7. *Eclypsis*, 8. *Firmamentum*.

In tertia Classe ponuntur intelligentia. 1. *Deus*, 2. *Christus*, 3. *Beata Virgo*, 4. *Angeli*, 5. *Sancti*, 6 *Homo*, 7. *Discursus mentis*, 8, *Cognitio*, 9. *Opinio*, 10. *Error*, 8. *Voluntas*, 9. *Liberum arbitrium*, 10. *Passiones animi*, *vt amor*, *desiderium*, *gaudium*, *odium*, *fuga*

In quarta Classe status secularis reponitur. 1. *Cæsar*, 2. *Rex*, 3. *Princeps*, 4. *Comes*, 5 *Palatinus*, 6 *Satrapa*, 7. *Prætor*, 8. *Quæstor*, 9. *Eques*, 10 *Consul* &c.

In

In quinta Classe Status Spiritualis, 1. *Papa*, 2. *Cardinalis*, 3. *Patriarcha*, 4. *Episcopus*, 5. *Abbas*, 6. *Presbyter*, *&c.*

In sexta Classe Artifices, ut 1. *Aurifex*, 2 *Ærarius*, 3. *Fabri varii.* Item *Sartor*, & varij opifices.

In septima ponuntur nomina scientiarum & Artium, 1. *Theologia*, 2 *Philosophia*, 3. *Mathematica*. 4. *Rhetorica*, 5. *Poësis*, 6 *Syntaxis*, *&c.* Item *ars Musica*, *Architectonica*, *&c.*

In octava ponuntur variæ virtutes, & vitia, numeris item & suo ordine distincta.

In Nona, Religio & quæ ad cultum Dei pertinent, ut 1. *Sacrificia*, 2. *Oratio*, 3. *Adoratio*, 4. *Imagines* &c *Dii veterum.*

In decima ponuntur septem Sacramenta, & ad hæc spectantia, itẽ Sacramentalia per numeros dispuncta.

In

In vndecima ponuntur Iudicialia, ut 1. *Iudex*, 2. *Actor*, 3. *Testis*, 4. *Curia*, 5, *Leges &c.*

In 12. ponuntur militia, arma, & his adjuncta sub suis signis seu numeris.

In 13. ponuntur Medici & Medicinæ, & hæc concernentia, numeris singula discernentibus.

In 14 ponuntur pisces numeris distincti.

In 15. *Aves.* *In* 16. *Reptilia*, *In* 17. *Bruta.* *In* 18 *Partes animantium.*

In 19. *Cibariorum genera.* *In* 29. *Potus & poculenta.* *In* 21. *Vestes*, *In* 22. *Telæ*, *& textura* *In* 23. *Nautæ & nautica suppellex.*

In 24. *Metalla varia* *In* 25. *Artefacta.* *In* 26. *Lapides*, *In* 27 *Vniones.* *In* 28, *Arbores & plantæ*, *Terra.*

In 29. *Horti flores.* In alijs classibus distinctis, ponuntur. *Pondera*,

Men-

Menſuræ, Numeri, tempus. Item in alijs Nomina communia, ut *opus, actio, miniſterium, officium, genus, forma, modus, cauſa, mandatum, ſitus.* Item nomina propria, *verba contrahendi, verba ad ſenſus & potentias ſpectantia.* Item in alijs claſſibus *Adiectiva, Verba, Caſus, Adverbia, Præpoſitiones &c.* Item *Perſonæ, Viatoria, Modi, Numerus ſingularis &c.*

Secundo. Res ad quamlibet Claſſem ſpectantes exprimantur notis Arithmeticis, jam verò ſignum cujuſque Claſſis quæ dictæ ſunt eſſe quadraginta ſex; poteſt eſſe numerus Eccleſiaſticus, vel alius ex condicto.

Tertiò. Qui loqui vel ſcribere vult hoc artificio, ſumat vocabula ſuis Claſſibus, & inter ſcribendum ponat inprimis indicium Claſſis numericum, id eſt numerum Eccleſiaſticum

ſticum

ſticum claſſi reſpondentem: *Deinde* ponat numerum vocabula ad claſſem illam ſpectantis. *Tertio loco* ponet numerum Grammaticum, quo ſignificantur caſus Nominum, tempus, & modus verborum, numerus ſingularis, vel pluralis, quod ut ſcias additur.

Quartò: Notas Grammaticas & Orthographicas ſic numeris exprimendas, vel aliter ex conventione.

4 ſignificabit rem quartam cujuſque gradûs ſeu Claſſis.
4' ſignificet numerum pluralem.
4" ſignificet numerum ſingularem
4\ ſit nota poſſeſſionis.
4? ſit nota ſignificationis paſſivæ.
4· ſignificet tempus præſens Verbi
·4· ſignificet tempus futurum.
·4\ ſignificet tempus præteritum.
.4 ſignificet participium temporis præſentis.

4. ſi-

.4. significet participium futuri.
4* significet participium præteriti
*4 significet infinitum 4' Indicativum. 4'' Imperativum 4''' Optativum 4:: Conjunctivum . significet Nominativum . . genitivũ . . . Dativum . . . . Accusativum . . . . . Vocativum . . . . . . Ablativum. Commata & interpunctiones scribant solito modo, loco periodi lineola, vel prout condixeris: Personæ Cifris significabuntur. Prima o 2da. oo 3tia. ooo &c.

Quod si dicas, non omnes Nationes uti notis Arithmeticis; proinde non posse omnium nationum usui quadrare hoc artificium. *Dicam sufficere* aliquibus notas esse, prætcrea omnibus quoad ram sunt notæ, etsi non quoad figuram. Denique vel rudis numerandi ratio, per unitates aut puncta, ad hoc sufficeret loco

loco numerorum, vel aliud quodvis signum ex placito & mutuo consensu.

Sic ergo scriberes iuxta leges huius artificii, si velles exprimere hanc sententiam.

Deus creavit solẽ, lunã, stellas Angelum & hominem.

III,I,XL,I,2. ooo, 4*, III,I,3, ..., III, 4, ..., XLIII, 6 . . .

Ubi per III, I, . intelligitur Deus, qui est in tertia classe significata per numerum Ecclesiasticnm III. estque in dicta classe sub uumero primo Arithmrtico, I, ideoque ponitur I; punctum quod additur, significat nomen hoc Deus in nominativo poni.

Per XLI, 2, ooo, 4* intelligitur creavit. Quia in classe XLI seu quadragesima prima numero Ecclesiastico expressa, ponuntur verba,

 quo-

quotum primum eſt Sum, numero Arithmetico 1. exprimendum. Secundum verbum Creo, Arithmetico numero 2 denotandum, ideo ponitur XL 1,2, quo ſignificatur dictionem hanc eſſe acceptam ex claſſe Verborum, inter quæ ſecundum eſt Creo; adduntur tres cifræ, ut indicetur tertia perſona, quæ ſic exprimitur, 000. ut ſciatur autem cujus ſit numeri, ſingularis numerus exprimitur per 4

Tertio ponitur II, 1, 4 2, 4 3, 34′ .... id eſt Solem, Lunam, Stellas. Nam hæc tria ponuntur in ſecunda claſſe, ſignificata per II. & ibidem ponitur Sol ſub numero Arithmetico 1. Luna ſub 2. Stellæ ſub 3 Quia verò hæc in accuſativo ponuntur, additur nota accuſativi .... Sol & Luna quia in ſingulari accuſativo, additur ad 1,4 & ad 24.

Quia

Quia verò Stellæ in accuſativo plurali additur ad 3,4′ quo ſunt notæ pluralis vel ſingularis numeri, & ſic de cæteris.

Quodſi aliquæ Nationes ſcribunt à dextra ad ſiniſtram, ut Hebræi & Arabes; aliæ à capite deorſum per lineas perpendiculares, ut ſcribunt Sinenſes; poſſet eorum modo ſcribi, ſi noſtrum retinere nolint.

Denique obſerva ea vocabula, quæ ad claſſes 46 aut ad plures reduci deberent, debere diſponi, prout exemplum in primis claſſibus ex parte vides appoſitum.

Quia verò modus hic deſervire poteſt non tantùm ad colloquium amicum in ſcripto cum gente cujuſcunque linguæ & in omni lingua; ſed etiam ad eloquium, ſeu ad rem quamvis Oratoriè efferendam; non immeritò dicitur hic *modus* eſſe E-

 loquen-

loquentiæ omnigenæ, & formare *Oratorem omnium linguarum.*

II.

Artificium linguarum omnium Spirense.

Tria hoc artificium requirit, quæ indico.

Primum Lexicon seu vocabularium aut dictionarium triplex est. Ptimum sit Latinum, in quo per ordinem alphabeij disponentur Latina voccabula, ut sunt in Calepino vel Indice Cnapij incipiendo ab A: sed unicuique vocabulo numerus Arithmeticus apponatur ordine naturali v. g. ab 1. abacus 2. Abavus 3. &c.

Secundum Lexicon seu dictionarium continebit vocabula aliarum linguarum latinis vocabulis correspondentia; sicut in Calepino cuilibet

bet Latinæ dictioni apponitur idem vocabulum, 12 linguis. His verò peregrinis vocabulis singulis apponatur similiter numerus Arithmeticus idem, qui Latinis vocabulis, idem significantibus.

Tertium Lexicon seu vocabularium sit, in quo peregrina vocabula ordine alphabeti disponentur. Nam in secundo Lexico, ad id non attenditur, sed tantùm ibi ponuntur eo ordine, quem latinæ dictiones & earum significatio exigit. At verò in tertio hoc Lexico cuilibet peregrino vocabulo, addi debet numerus ille. quem eadem vocabula habent in Lexico secundo, quod quoad eũdem numerum correspondet Lexico primo, Affero exemplar triplicis hujus Lexici saltem quoad aliquas dictiones.

Lexicon 1.	Lexicon 2.	Lexicon 3.
Ab. 1. 1.		v.g. Germ:
Abacus 2,	Hebr. Lauch 2	*Abt.* 4
Abaus 3,	Germ. Tiſch 2	*Angeſicht* 8
Abbas 4	Ger: *Groſuatter* 3	*Aufzug* 24
Abbrevio 5	Ger. *Abt* 4.	
	Ger. *Vertkurtzës*	
Baculus 6	Ger. *Stock* 6,	*Bart.* 6
Barba 7	*Bart.* 7,	*Blind.* 16.

Secundò ad hoc artificium requiritur tabula variationis ſenſuum, id eſt, ad declinationes, conjugationes, aliaſque vocabulorum variationes. Hæc tabula ſolis numeris conſtat, ordine naturali diſpoſitis, ad ſignificandos caſus nominum, genera & perſonas verborum, patticipia, genera nominum, gradus &c. & ſic nominativi ſingulâris ſignum eſt 1. Genitivi 2. Dativi 3. Accuſativi 4 Vocativi 5. Ablativi 6. Nominativi Pluralis 7. Genitivi 8. &c.

Ver-

Verbum activum amo, ſignificatur per numerum 13. amas, per 14. amat, per 15; & ſic conſequenter deſignabuntur per numeros, Nomina, Verba, & aliarum partium Orationis attributa.

Tertiò ad idem artificium ſpectat (etſi non omninò) character ſeu forma charâcteris certis ductibus formati, certiſque punctis, ac lineolis ſignati. Hic verò character duas habet partes, ſiniſtram literis, ad id ſignatam, cui inſcribuntur certis lineolis & punctis, numeri vocabulis appoſiti in Lexico & indice: habet & dextram partem literis e f g h ſignatam, cui inſcribuntur punctis & lineolis numeri poſiti, in tabula variationis. Spatio E & A unitates punctis inſcribuntur; quinarij tranſversà lineolà. Spatio b & f, denarios punctis inſcribes; quinqua

 gena-

genarios lineola transversâ: Spatio c g centenarios punctis, quingentos lineolâ: Spatio, d h, millenarios punctis, quinque millia lineola, ut videre licet apposita tabella.



Primò igitur in charta separata scribe id, quod voles per artificium hoc, perito cujuscunque linguæ insinuare. Deinde quære singula vocabula, scripti illius in Lexico Latino, ijsque super pone numeros in Lexico appositos Insuper formabis in alia charta & hoc artificio scribenda characterem in lineis transversis, tot autem characteres erunt, quot vocabula continet scriptum

illud, seu per modum Orationis, seu Epistolæ: vocabula ordine notabuntur punctis & lineolis, quæ numerũ in Lexicis & tabula variationis positum exprimẽt; primo quidem numerum vocabulorum seu Laxicorum; deinde numerum tabulæ variationis v.g. si hoc scribendum esset Germanicè: Equus comedit gramen; quia tres sunt dictiones, tres formandæ essent formæ, seu tabellæ characteris.

Quià verò numeri in Laxico, & tabula variationis, prædictis tribus vocabulis hi apponuntur, nempè vocabulo equus 231: vocabulo, comedit, 15. 15 vocabulo gramen 35. 4. Ideo sic formaretur character triplex.



Per primum significatur Equus, per secundum Comedit; per tertiũ Gramen.

Qui ergo legit, resolvat puncta & lineolas in numeros: Nempè primi characteris duo puncta superiora, quæ duos denarios significát, seu viginti, & tria puncta inferiora, quæ significant tres unitates, resolvat in 23. Item secundi characteris unum punctum unitatis significativum resolvat in unum. Similiter alij characteres resolvendi in numeros. Deinde numeri ordine scribendi in charta, ijque tam in Lexico tam tabula variationis quærendi: tum demum intelligetur lingua, qua scribitur oratio vel epistola,

Posset tamen per hoc artificium scribi, sine forma characteris tertio loco requisita, sed omnia posset fieri

fieri per solos numeros. Sic prædictæ tres voces, equus comedit gramen, à volente id significare perito linguæ Germanicæ, deberet pro illis verbis Germanicis: Das pferdt isset graasz, id tantùm scribi: 23. 1. 15, 15. 35, 4. qui numeri in Lexico & in tabula variationis reperti rem indicarent illi Germanico.

§ 4

PRINCIPATUS LINGUÆ.

Seu

Quænam Linguarum sit prima princepsque ?

Duplex linguarum primatus inquiritur; tum quænam illarum prima usu præiverit; tum quæ omnibus præeat dignitate?

De Primo non constat; sed ratio inter opiniones dimicet, auctoritas decernat.

I.

Quænam linguarum antiquior & prima?

Sunt, qui Hebraicum idioma primũ fuisse contendant: Hæc illis lingua linguarum, ut Hieronymo earundẽ Matrix; Salmeroni fons & origo, utpote à qua orientales linguæ propaginem ducant, ut est Syriaca, Chaldaica, Arabica, Ægyptia, Indica; quod etiam commune his omnibus, quoad aliqua alphabetum probat, ut Salmeron demonstrat. Nec primum hominem aliter locutum idem autumat, id quod plura nomina Adæ, Evæ, Abelis, Melchisedechi, Nabalis, radice & origine Hebraica luculenter astruunt. *It tamen in oppositum docta Authorum series*, qui Hebraicam linguam, in Heber pronepotem Semi Noetici filij

filij, velut in authorem primum reducunt, nomenque consentit; cùm tamen ante Heber tot anni fluxerint, qui aliter locuti. Prima etiam hominis lingua (quæ Cluveris sententia est) divinitus infusa, nullibi exstat, olim Beatis reddenda.

Pro Syriaca alii certant, eique vetustatem præ alijs concedunt. Sic Ephrem censuit, sic Theodoretus, *tanta nomina*: Sic Nazianzenus, qui *Deum Adamo Syriacè locutum* putat; & quia lingua hæc simplex, facilis, gloriosa, expedita. *Sic & Servator noster locutus; nec Judæa aliter post captivitatem* & restauratam Hierosolymam *ad Christi tempora*. Hinc illud Sophoniæ vaticinium: *Reddam populis labium electum*; de Syriaca lingua ab ejusdem assertoribus accipitur. *Idem Phœnicensium* (qui in Syria) *laus adstruit*, qui literarum elementa

menta reperisse primi dicantur, ex quibus sermo contexitur. *HAc quidem* pro Syriaca lingua, eruditè dicuntur.

At Deum Syriacè Adamo locutum, unde conijcitur? alia *pro* principatu ejusdem linguæ non conuincunt, & ante Phænicensium inventum Cataclysmus; ante hunc, alterius linguæ usus fuit, quàm, quæ postea reperta.

Alius Chaldaicus sermo vetustior priorque omnibus; nam plerique ajunt Hebræam gentem & linguam, è Chaldaica emanasse; item in Chaldæa fuit linguarum confusio, ubi etiam erigebatur turris Babel. *At his authoribus excidit* Chaldæos fuisse posteros Heber, à quo Hebraica secundùm plurium sentẽtiam lingua, quæ proinde fuerit ante Chaldaicam.

Aliter Goropius, qui in aliis linguæ Thogormanæ antiquitatem primatum que præ reliquis gentium linguis asrit: hæc autem est vel *Phrygia lingua* vel *Cimbrica, Ascania, Scythica*. Et certè Phrygas Ægyptijs priores fuisse, indubium videtur, ex Psalmetichi Ægyptij Regis historia, qui experturus; quænam nativa hominum lingua esset, infantes duos ab hominum cõmercio semotos, gregum ergastulo inclusit, à quibus audita vox illa *Bekos*; & quia Phrygum linguà panem significat, Phrygum linguam esse homini nativam & Coævam potiùs quàm Ægyptiam intulit; de quo Poëta:

- - - nec Rex Ægyptius ultra
Restitit, humani postquam puer vberis expers,
In Phrygiam primùm laxavit murmura linguam.

Sanè à Cimbricâ linguâ videntur pleraque deduci vetusta nomina; *Adam* quasi odium aggeris: *Eva* vas sæculi, *Abel* odium belli. etsi ab Arabica lingua possint plura deduci. Sic *MARIA, ô signum! ô prodigium!* Item Arabicè *Emmanuel*, Robur generale, potentia populi. *Nazaræus* idem, quod auxiliator: *Diabolus* idē, quod non Pater: *Satanas* idem, quod extremus: *Thomas*, idem, quod delinquens: *Mathæus*, idem, quod electus: *Marcus*; purificatus: *Lucas*, dignus, docens, gratus &c.

Arcadica lingua nonne item antiquior Phrygia, alijsque? cum & Arcades ante Lunam geniti dicantur, & mutatione linguarum priores. *Sed hæc asserit opinio*, non probat de Arcadibus.

Nec de Græca Latinaq; lingua suaserim, ut contendas. Nam Græciæ pri-

primordia novimus, quæ serò post longum linguarum usum emerserint; fuitque ante Græcos Persarum imperium, ante Persas Assyriorum, quos tamen à primatu linguæ rejecimus. *Latii seriùs historiæ meminere*; & quæ de Saturno ibi latente, sunt meræ fabulæ, cùm tamen in veram inquiramus linguarum originem & principatum. *Latina lingua* item è Græca plurimum mutuatur, hoc ipso haud quaquam prima quòd Græcia prior mutatione, alijs posterior. *Imò cum Romæ primordiis Latinorum nomen innotuit*; at Roma serò caput & linguam extulit, *totq; ante illius cunabula Olympiades*; & ante has, aliæ *annorum* gentiumque *Chiliades*. Nec aliud videtur sacra pagina indicare, dum inter linguas hunc ordinem ponit de titulo Divinæ Crucis differens, quod scriptus fue-

fuerit, *Hebraicè. Græcè, & Latinè.* Is nempe fuit linguarum ordo: Latinæ Græca prævit tempore, Græcæ Hebræa. Et nescio, *an etiam hinc primam Hebræam non liceat statuere,* quam Divinæ literæ principe loco reponunt. maximè cùm pro nullo idiomate plura, vel ab auctoritate, vel à ratione passim congerantur. Hactenus quænam linguarum antiquior; nunc quænam dignior inquiramus.

II.

Quæ princeps Linguarum?

Seu Quænam dignior Lingua?

De Linguis par est aliquid in earum decus decernere. Præcellentia illarum in ambiguo, etsi non una fastigio digna. Neque de barbaro idiomate Arbiter exigitur, quod ipsa *barbaries à solio linguarum exclusit*

sit, & *colere piget, quod non noveris*, atque rancidum aliquid ac asperum, ipso etiam sono immurmurat, malique moris gentibus placet. Principes linguæ de culmine contendũt, quæ non usu notiores, quàm nomine. Comperta illarum dignitas; & tantùm, quæ major inquiritur. *De Hebræa* scilicet, *de Græca, de Latina lingua sententiæ exiguntur.* Nolim, suffragium illi à sua gente & conscia: nam *vt prona cuique in suam rem studia, sic obnoxia errori arbitria & affectui gerit.* Medius partium decernat, aut ratio sola, non affectus illuc inclinent suffragia, quò vera dignitas, & nativa sermonis celsitudo. Hæc esto princeps linguarum omnium, hæc earum sceptra capiat, quæ nobilior potiorque.

I. *Pro Hebraicæ Linguæ principatu dissseritur.*

Itur in linguarum suffragia; & adhuc de Hebrææ principatu hæc fluctuent? *Primam omnium linguam* esse agnouimus, & *nolimus principem*? In hac primum ora laxavit orbis conditus; & nunc ultimas, vel medias ferat ac occupet? Non gaudeat exul eadem Principe, qua ptimus Paradisi incola? sanè beatior rerum hominumque status fuit, *dum lingua hæc conderet rerum nomina*, primusq; universi conditus Princeps non aliam nôsset, ut nec alio sermone tunc excepit oracula. Quin eodem tunc homo, eodem Deus idiomate sermonem ultrò citroq; miscuit. Iure hinc, quod de Pomo illo Eridis dictum à Paride, dixerim de primatu linguarum: *Detur dignissimæ. Quæ autem dignior, quàm quæ divinior!* Injurij in Deum sumus si quæ illius sunt, postponimus: nec satis religio mentem imbuit, si sacra reliquis posthabet. *Divinam hanc linguam probant plurima.* Nam in Deum suam originem refundit, qui Adæ solus eam indiderit. Adeo *nulla dignior primo* & summo homine *visa sub illud rerum opificium*, quas molita est tunc architecta vis Numinis; *primusq; in terris innotuit auctore Deo Hebraismus. Nec aliter* postea, quàm ut sub mundi incunabula *Deus in carne loqui auditus*, cùm illi tam origo, quàm lingua Hebraica placuisset. Perstat adhuc eadem Hebraismi gloria: sic hucusque loquitur Deus in sacratiori codice, qui ejusdem sermo est! Unde Sacram hanc linguā dicimus. quæ sacra contexuit volumina, quibus Divina inest authoritas.

tas. *Quid, quòd eadem* Divinum olim nomen condidit, quod tetragrammaton Iudæa nôrat, enuntiare tamē haud ausa, quod sub elementis suæ linguæ tacita religione adorabat? quàm insuper hæc lingua sit mysteriorum ferax, *Cabalistica* loquitur scientia, quæ *reconditam gerit, sub hoc putamine, sapientiæ medullam*. Multa omninò imperant, ut lingua hæc reliquis præsit ac imperet, si sapientum senatus consentiat.

II. *Pro Græca Lingua primatu.*

Cedat recutitus Apella: nec linguam præesse decet, cùm gens subesse cunctis cogitur. *Sit illa sanè sacra, nec aliæ omninò profanæ.* Equidem *pudet nunc Hebraicè orbem loqui*; & discere id, suam etiam gentem piget. Plus in Græco idiomate relucet dignita-

tis,

tis, ad regium inter linguas nomen. *Lingua hæc sapientum est*, quotquot Græcia coluit, & adhuc omnis literatura colit. Hac Athenæ bonarū artium inventrices personuere, hac theatra: *hæc oracula fudit*: Hæc Parnassum, *hæc Stoam & Peripatum*, hæc Academi umbras, *hæc Aristotelis Lyceum implevit gloriâ; & hucusq; implet famâ*. Et latè abijt hoc loquendi genus, seu ætates, seu oras nationū decurras. Orientem primò, mox orbem pervasit, ac ubique pervulgatum id fuit semper, estque idioma. Etiam illo usi diutiùs *Hæbræi, notiorq; illis Pelasga lingua, quàm sua*, postquam Græcis literis Hæbreum codicem Divinum, Septuaginta Interpret: labor, Ptolomæi jussu retexuit. *Vocum Græcis affatim, & docta fæcūditas*: etiam in seipsis tot admittunt discrimina, quot Dialectos,

seu

ſeu Eolicam ſpectes, ſeu Doricam, ſen Ionicam aliaſve. *Hinc etiam Latium ſapit*, nec tantùm Eloquentiæ fonte,, & ideam deducit, aut Philoſophari diſcit ab Ariſtolele; divinè dicere à Platone, digna Cothurno ptoferre à Sophocle; ſed verba etiã ſuorum ſæpiùs inops è Græciæ penu mutuò deſumit. *Nec non Divina hæc dicendi ratio.* Nam non minùs per Septuaginta Græcos interpretes, quàm per Hebraicum divinorum ſcriptorem, locutum numen; adeoque *Helleniſmus etiam Auctore Deo gaudet, non Hebraiſmus tantùm.* Idem ſtylus pleraqne novæ Legis contexuit volumina, adeoque *idem à ſacris Auctoribus, Ioanne tonitrui filio & Paulo Tharſenſi oraculo* Divini Pneumatis oraculis conſecratus. *Quid tot orientis lumina* recolam, *& novos Græciæ ſoles, quibus* tum *Orientis Eccleſiæ*

cleſiæ, tum Empyreum illuxit? *Nil diviniùs linguâ quæ Cœlites parit*, & illuſtres tot Divorum colonias! Plura congererem; niſi vel hæc, quæ ſtrictim percenſui, *Argolico charaсteri linguarum culmen* meritò deſtinarent.

Pro Latina lingua decernitur.

Me Latium trahit in ſuffragia; nec fas eſt reluctari Imò ſerò Latino idiomate, ſuffragabimur in ſolium, poſtquam jam illud inſedit. *Tam pridem hæc linguarum Domina, cùm orbis regnatrix adorari cæpit Roma.* Nihil utrâque tunc celſiùs; nec latiùs Urbis illius imperium, quàm linguæ principatus excurrit. Trans Alpes & Herculis Gades; trans Carpatum, & inhoſpitalem Caucaſum trãſiit, & quâ ſol infra ſupràq; præ-

 ter-

termeat, *Latium vbiq; reperit*. Propagant idem tot per orbem Academiæ, & *eruditi moris orisq; Palestræ*. Pudet sic rudem esse in summa Fortuna, nec nativæ sermocinationi Latialem immiscere; qua dum populariùs ajunt, *linguam studio venustant*. Quin & regna quædam hinc vernaculam derivant. Sic Italia, sic Galliæ, sic Hispania, sic Portugalia, sic ex parte Anglia, Idioma proprium ostentant, cui Patria sit apud se prima origo in Latio, à quo linguæ vocabula transumunt, & in propria deformant. *At nunc sanctius Romæ solium*, summusque inibi Orbis Antistes, *linguam hanc quadam Apotheosi consecrat*, & cum alibi per omnem fortunam evagetur, *in Divorum delubra transfert*, *Non aliter ad Aras iam loquimur, nisi Romano more: nec cum Deo, cum superis aliter quàm Latio*
sermo-

sermone rem transigere Roma solet iubetq;. Ita nec huic linguæ non inest quiddam Divinum! *Par sub eadē* & sacro volumini auctoritas, adeòque *Deus ibi latinè loquitur*. Neque Patrum numerus superat, quos non doctiores videri Græcia, quàm Latium, aut Divorum fastis inseruerit. par quoad summos Divosque Romanus Occidens, majorq; quòd Divorum apotheosim à Roma & Latij oraculo deposcere cogatur semper oriens, & quævis lingua ut principem adoret. *Quid quòd linguæ* huic major, gratia, & expedita proferendi ratio; in qua nil duriùs nil barbarum, *nil asperius & sono ipso terribile*, sed ad omnem elegantiam & aurium leporem facta omnia. *At nec senium Hebraismi prævalet*. Nam in solia etiam juvenilis adoptatur ætas, *rariùs silicernia coronantur*; &

 Galbæ

Galbæ ideo breve ac exosum Romæ imperium, quia in devexa annisq́; præfracta ætate. Imò nec ætas Latinæ dictioni non suffragatur, si vetustas in pretio. *Tot annos* illa, *quot Roma etiam vetus computat, & adhuc Latium à Deorum primò parente Saturno, cui latibulum præstitit,* vetus agnomen trahit Sed orbis suffragia mihi potiora; quæ quia in Latium inclinata; illa linguarum Princeps esto.

§ 5.

EXERCITIUM VARIARUM LINGUARUM DE EODEM ARGUMENTO.

Id quidem ab omnigena eloquentia & omnium linguarum Oratore non est alienum; nec mihi animus defuit, ut unum idemq́; argumentũ pluribus linguis concinnatum Lectori proferrem; sed neque typus favit tot characterum inops, quot lin-

linguas tum Orientales, tum Europæas destinaveram, & alij mihi in hujusmodi paradigmate præivêre. Vidi salutationem Magni Hospitis linguis sexdecim elaboratam: Symbolum Apostolicum, & illud carmẽ Iessæi vatis; *A solis ortu usq́; ad occasum laudabile nomen Domini,* quatuor supra viginti linguis elucubratum. Ego Paradigmati linguarum complurium salutandum hospitem designâram. Materiam profero, tu illi, si libet licetq́; linguas accommoda.

Hospes desideratissime

Quod est sol tenebris, imber sitientibus agris; id tuus nobis videtur, tot desideriorum meta, conspectus. Tenebras quasdam animis absens offuderas, sed sole alio non egemus, qui has discutiat, cùm tu illuxisti. Solo eminus desiderij æstu torrebas pe-

ctora, & tormentum erat hic ardor quamdiu abfuisti; sed hunc te solo temperas hospes, & desideria gaudijs permutas. ut proinde *incolam te malimus* apud nos, *quàm hosp tem*. Adde huic lætitiæ, qua animos inundas, perpetuitatem, nec oculis tam dulce spectaculum te subtrahe. cui enim tales oriuntur soles, odit vel tantillum moræ, quæ luce illâ beatam non sinat palpebram.

SPECIMEN III.

Admirabilis Eloquentiæ ELOQUENTIA INCREDIBILIS, PARADOXA.

ac incredibilia persuadens.

PLurium votis congruit, quæ paradoxis insistit, & incredibili argumento fidem adstruit Eloquentia.

Eadem mirum in modum flexanima. Nam *in imo laudum consistis, si nôris tantùm animos dictis regere, vbi nemo non regi queat; aut elicere assensum à paratis*: Sed *invitis tardiùs imperatur*, nec jugum aut deditionem illis quævis persuadet oratio. Hæc tamen, quam hic molior, facundia sic imperat; nec reluctari nôrunt ingenia huic Imperio; aut excutere jugum, sub quod ratio dicendi inopina, suaviter captivum agit.

§ I.

DUPLEX HUIUSMODI ELOQUENTIA.

Primum huius Eloquentiæ genus, assumit argumentum dicendi, quod primo mentis aggressu fidem vix elicit & assensum, quem tamen non sine fausta admurmuratione recipit. Tale argumentum est: *Vva ambulas;*

de racemo uni ex eremi incolis oblato, & ab hoc ad alios in vicina transmisso, quem nullus retinuit, quin ad vicina transferri juberet. Tale & illud: *Arbor tabellaria*, de tabellario virgultis mobilibus circũducto, cujus opera Vladislaus IV. Rex Poloniæ, Smolensci obsessis animum deditionis excussit, suppetiarum nuntio.

Alterum genus Eloquentiæ Paradoxo insistentis, quod rem omninò incredibilem, & sensui ac experimẽtis reluctantem asserit, sed argumẽtis sic evictam, ut sensui errorem, experientiæ convitium quoddam, impingat oratio. Sic Philosophi *humidiorem aquâ aërem volunt*, & ratio vincit. Sic alius in aëre navigari posse: alius senio juventutem posse postliminio redire reddique, persuadere conatus. Sanè utroque hoc

hoc Eloquentiæ Incredibilis genere mirificè capiuntur auditorum animi, & attentio extorquetur.

§ II.
LEGES ET MODUS ELOQUENTIÆ INCREDIBILIS.

1. Inprimis Paradoxum seu Incredibile attenditur in Propositione: deinde in modo eandem argumentis rarioribus fulciendi.

Propositio talis fit Primò per rariorem & abstrusiorem sententiam. Sic illa est Philonis: *Virtus caret tempore*. Sic illa Statij: *Ferroq; nocentiùs aurum*. Sic & illud ejusdem: *Primus in orbe Deos fecit timor*.

Secundò, per contraria sensui & experientiæ. Sic illa Propositio: *Terra extra centrum consistens*, de Ascensu Christi in cœlum, de quo argumento est oratio in Oratore Pe-

ripatetico. Sic illa: *Glacies comburens obvia.* cùm tamē id fieri possit si convexa glacies ex aqua vasi concavo infusa & gelu constricta habeatur. hæc enim æquè ac vitrum convexum soli oppositum urit.

Tertiò, ex eventu miro in historicis cognito. Sic est illa assertio: *Bos volans.* nam Princeps Fulginei, urbis in Umbria, omen regni in suis nepotibus perennaturi hinc ceperat, quòd inaudisset, tunc regum titulis suam posteritatem exuendā, *cùm* ad urbis illius mænia *boves volarent.* Factum id tamen, omenq; elusum, cùm Ioannes Vitellensis Alexandrinus Antistes Urbem obsedit. Vexillis illius par boum pro insigni inerat, qui vento signa agitante volitare visi, prædicentis fidem sanxerunt. *Sic* & illa Propositio: *Scala in Amphora*, de qua infra &c.

Quar-

Quartò, per nexum repugnātium, seu per mira Antitheta. Sic illud: *Nox in meridie.* De Christi lugubri nece. Et *Nusquam est, qui vbiq; est.* Sic illud: *Vt gaudeas diu lugendum.* Et illud: *Nullum caput in Vrbe, si multiplex* id est, multi imperant, nullum videtur regimē Et illud: *Malè impe-rat, qui imperat tantùm. Incipe Princeps, quæ præcipis* Et illud: *Magnum infortunium est. Magna fortuna. &c.* Et illud de maturis moribus adolescentis: *Senium in pueritia.*

Quintò per auxeses & hyperbolas Paradoxum. Sic illud: *Prodigium est fœminam esse, & tacere.* Et illud: *Cupiditati ipsa tarda celeritas.*

Sextò, ex eruditione trahitur Paradoxum. Sic illud ex eruditione Poetica: *Minerva pudica est, & draconem parit?* Et illud: *Novum aliquid audit Græcia, Helenam castam. &c.*

2. Quo-

2. *Quoad modum* in Paradoxis oratoriè exornandis ac deducendis; id obſervandum. *Primò* exaggeranda rei difficultas. *Deinde* fides oppoſitæ experientiæ ac ſenſui communi deroganda tum à ſimili, vel exemplo; tum à ratione ingenio quæſita ac reperta. *Denq;* ita argumentum decurre, ut illud nondum deſinat admirabile.

§ III.
PARADOXA ETIAM IN SACRIS.

Paſſim hæc adhibentur in ſanctiori argumento, *gratiùsq;* id, *dum fucus hic veritatem venuſtat*, nec ſine admiratione illam auditor approbat. Hinc plures in hoc eximij, ſeu ſcholas, ſeu templa erudiant. Rara Propoſitio, quæ à Paradoxo colorē non ducat. Sic in ſcholis locuti, quibus Methodus Oratoria Ioannis Bapti-

Baptiſtæ Ferrarienſis placuit: Sic in Moralibus ingenij monimentis loquuntur Baëza, Mendoza, Celada, Naxera, Scherlogus, Nyſſenus, tolle, lege, & fateberis.

Sic & Patres quandoque ſanctiora enuntiant. An non Paradoxum illud in Hieronymi libris: *Dives aut iniquus, aut iniqui hæres?* Et illud ejuſdem: *Cibus dæmonum, ſunt carmina Poëtarum.* An non Paradoxum illud Leonis: *Semper virtuti cibus ieiunium fuit?*

Imò Pellegrinus grande volumē è Sacris contexuit Paradoxis. Tale eſt illius Paradoxum: *Vitia, ſunt ſchola virtutum.* Tale & illud: *Nil peccato laborioſiùs.* Et illud: *Voluptatis fuga, voluptas eſt maxima.* Et illud *Calamitas magiſtra morum.* Et illud: *Aſſentatores magicam artem exercent.* Et ilud: *Iuſtum labor roborat, quies fatigat. &c.*

§ 4.

§ IV.
PARADOXA ORATORIA.
Seu Ideæ aliquot Eloquentiæ Incredibilis. seu Paradoxè loquentis.

Duplicem Idéam propono; extra, & intra ſacram Materiam.

I.
Paradoxa Curioſa Oratoriè.

Quæ præeunt, in utramque partem diſceptant; nec aſſerunt Paradoxum, antequam negent, ut major Paradoxo contingat admiratio.

I Quæſtio.
An in àére navigari poſſit?

Aſſeram id', ſed priùs communé ſententiam, quæ id naturæ viribus negat, Oratoriè accipe.

In

In aëre navigari non poſſe præmittitur.

Temperate votis, Mortales, volatum Icarus tentavit in aëre, vos navigia? *Neuter auſus ſine temeritate, Princeps timeat, qui ſic hominum vel navigat, vel volat.* Avium iter per aërem, & non navium, vel arborũ, *Nec in aquis ſemper ſecuræ rates*, quid in aëre? Ibi fluctus; hic fulmina, & *turbinum ſedes mutuat periculum.* Alias etiam *niſi fingat natura, ars non dabit*, fruſtra proinde idem attentent navigia velorũ remigio, quod volucris remigio alarum *Periculũ* ſemper illis eſt à pondere, quod gravia peſſundat. Pavent hæc ruinam, ni fulcias: & malè fulciet navem aër, quem illa continuo dividit, donec peſſum abeat, & in terris ſubſidat. Nimirum aëri nihil ſuperſtat,

niſi

nisi vel aër, vel æther ignisvè. Gerit quidem tantillum navis de aëre, sed quod nativo ponderi ceu plumam conferas: nihil igneum gerit eadem, nisi dum conflagrat: hinc nisi navem accendas, frustra in aëre velificari velis: sola flammæ & fumi levitas illam in auras subvehet. Ad hæc subesse cògitur aëri, quod infra eundem insita sibi gravitas deprimit. *Subvolant quidem in äërem & paleæ* plumæque, sed illas tandem levitas nonnihil gravis deorsum revocat, nec volare diu patitur, quin terris allidat. Adeò *nil ponderi cum volatu, vel novo per Æoli ditiones remigio.* Quare navigia in Oceani fluctus vel vasta fluminum transferte, aër avium propagini, linquatur; amnes & æquora Argonautis; nec ars nativa plus evincet.

Para-

Paradoxum I.
Posse in àëre navigari asseritur.

Hactenus *velis per flumina itum;* etiam per auras remigare licet. Volitant per aërem navium summa, cur non ima etiam, si ars modusvé opituletur? sed gravitas, inquis, prohibet? *volant per altum & gravia;* in quo ad fidem oculorum provoco. Sic avium corpora in sublime efferunt pennæ, quorum utrumque non sine pondere. hinc perinde corpus, atque pennæ volucrum deorsum vergunt, si separes. Quin & ignes ab arte conditi sursum deferunt nitrum prægrave, quod tamen in terras non redit, longiori tractu per auras iturum, nisi paulatim flamma absumeret. Imò *est, cùm gravitas* agnata *in cœlum faciliùs propellit.* Sic *plumbum ferrumq́; excussiùs vo-*

ùs volat: Sic globus majore impetu ſurſum agitur, quàm ſi plumam excutias, & in volatum cogas. Mitto violenta, & quæ vacui terreſtris metu ſuopte ingenio in ſublimia feruntur, nec natale pondus retardat. En ut *gravitas in àëris profundo fert remigem!* Et ſanè præivit illuc *cœleſtis Argo*, & *navigari per àërem poſſe docuit*, cùm per liquida cœli ſideribus contexti, pridem feratur; nec Matheſis ſolertiſſima veri exploratrix id perneget. *Quid ſi onerariam*, aëris ſumma ſuperficies veluti dorſo excipiat infra ætherem, ubi æther pro aëre carinam impleat, vel ignis elementaris, à quo nullum rati vitium timere jubet illius flammæ raritas, urendi neſcia? Equidem aëri tunc ſubdito perinde navis incubaret, ac undis incubat, ignisque levior, ac ſubtilior æther rui-

ruinam vetaret; adeoque, *vt aquæ àëri contiguæ navigia patiuntur, ſic àër igni contiguus* remigium ferret. *Quid enim?* an pelvis & vaſa ferrea, ſi aërem intus accipiant, non aquis innatant ac ſuperſtant? an ligneas trabes uti aqua graviores aër poris earūdem incluſus demergi patitur? at cùm æther, aër ſit defecatiſſimus, quidni hoc plenior oneraria, æquè per ſubjectum àërem, ac trabium graviſſimæ, per fluminum ſumma deferri queat? Quare ſi quæ aut humana, aut major hác vis attollat navem ſuper aëra, atque igni elementari ætherique admoveat, expedita ibi navigandi ratio, & *Typhin me illi offero.*

2. Quæſtio.

An poſſit Iuventus ſeni reſtitui?

Præeat vulgi ſententia ante meam.
Vos arbitri utriuſq; eſtote. *Com-*

Communis opinio negativa

Senium curamus erigere, quod ætas in ima dejicit. Una illi in votis eſt, quam amiſit, juventa: redire hanc ſibi non poſſe novit; & vovet. *Nihil enim ſenectæ ſeipsâ graviùs*, atque *ſe perimeret*, ſi ex vulnere primæva ætas naſceretur. *Nec Peliæ ahenum terret*, ſi recoquere in ævum tenerius culina illa & focus poſſet. *Sed de Pelia ſene fabula*; non minor eſt, quæ ſenio juventam promittit. Fruſtra juvenilis ſperetur vigor, quem in dies magis effætæ vires atterunt. Vis illa euntis ævi mora ſubruitur, nec ſeſe refici ſinit. *Tempus vt rerum, ſic virium edax eſt*, paulatimq; omnia corrodit conſumitque. *Quæ vetuſta, propiora ſunt fini, quàm principio* Sat opis ab Hippocrate & Seplaſiirijs, ſi morbum expugnent

pugnent

pugnent: Non perinde eſt vires ægro reducere, ac juventam. Alioquin æternum ſic vivere liceret mortalibus, & *fata omnium, Galeni ars eluderet*; adeòq; nulla unquam *Libitinæ iura eſſent formidini, niſi Medicus abſit*, qui ſenium ad primævum florem revocet, & *vivere faciat ſilicernium. Vita eſt veluti ardens facula*, quam ignis continuò depaſcitur, nec abſumptam ars ulla in integrũ reparat. *Nimirum mora ætatis in metam agitur, non in primordia. &c.*

Paradoxum II.

Poſſe iuventam ſenibus reſtitui.

Non credat, qui id nolit. Credere tamen jubet annalium fides, nec ratio repugnat. *Morbo affine ſenium* creditur, quod ut ægrimonia, ſic illud vires atterat. Sunt tamen & inviolenta

lenta

lenta morborum, herbæ medicæ: *eſt contra Febroniam Æſculapius*, à quo vis morbi frangitur, & vires collapſæ eriguntur. Nempè *quod contagio diſſipat*, *ars colligit* corrigitque; quam nec ſenectæ, ſi morbidam jure dicimus, deſperem propitiam, daturam potius nova ſenij remedia, & *primarum virium quandam anaſtaſim*. Nec *naturæ beneuolentia*, canis ſeu provectæ ætati obliqua, quæ *ſenio exuit ætatem aquilæ*: ſerpenti etiam *inventæ ſpeciem & inſignia reducit*, Plantæ hyeme arent & caneſcunt; ſed pubeſcere illas iterum jubet verna temperies An verò deterior humanæ ratio ſenectæ, quæ nil naturæ auxilijs, nil arti & fomentis concedat? *ſi color nativus*, pabulum, quo alitur, conſumat; an artem modumque ſuperet, inveniet quo calor deferueſcat, & humido radia-

radicali (ut vocant) ſuus reddatur vigor?

Sanè id contigiſſe teſtis temporum docet Hiſtoria. *Nam Tarentum. centenarium ſenem vidit, de ſene iuvenem.* Defluxerat cutis in rugas contractior? Succum repentè imbibit juvenilem. Vultum exſanguis pallor deformarat? *Subitæ in eo vernârunt roſæ, & quædam Narcyſſi illius effigies.* elumbes greſſus Scipio fulciebat? Non eguit hac baſi redux virium vigor. Nempe *ſquallor depontanus & ſenectutis inſignia* momento periere, nullo ſui relicto veſtigio; productaque in quinquageſimum annum ætas, juvenilem redorſa. *Ad Maſſæi faſtos adhuc te reiicio. Indum hi memorant* priori ſæculo à noſtris viſum & agnitum, *qui ter exaruerit, ter refloruerit*. Quin & *Inſulam* (Bonicæ cognomen) *novus orbis detexit*, fonte ille

illo beatã, cujus aquæ, potatoribus ſenium juventâ permutent. Adeò facile ibi eſt ſenem pueraſcere; *nec tam aqua bibitur, quàm in ſenio iuventa!* I nunc, & canos revireſcere poſſe obſtinatiùs pernega.

Paradoxum III.

Arbor tabellaria Vladislai IV. Regis Poloniæ.

Etiam *arbor quandoq́, Orator extitit*; nec linguam tantùm movit in verba, ſed virgulta etiam in greſsũ, quæ radicem figere haut permiſſa, quin eam motu continuò transferrent. *Ivit ergo viator ramus*, ac *vt arbor inverſa homo, ſic arbuſcula etiam recta*, tunc *viſa eſt incedere*. Indidit loquelam pedeſque arbuſtis dura ſemper neceſſitas. Smolenſcum regiam urbem arctior premebat obſidio: Moſchus ad Mænia: *portas quatie-*

quatiebat metus. gravior, ut in anguſtis ſolet, *& dilatis auxiliis mora*. Quare dubia timebatur in obſeſſis fides; *quòd diuturnis in anguſtiis abſit deditioni pudor*. Attrocior intus hoſtis fames; &, quia diuturna, pænè in extrema agebat obſeſſos; *ut nempe in malis nil morâ graviùs*. Ibant ſuppetiæ, quæ malis occurrerent; ſed qui obſidia paſſis id indicaret, aberat. Solis, qui per cœlos irent, nuntijs patuit iter; fuitq́, prodigijs opus, ſi aliud velles. Reperit tamẽ Vladiſlaus tabellarium, qui hoſtem lateret, tegeretque ingenio dolum. *Arbor* in tabellarium adhibita, ut *quæ pridem in Troiano etiam equo didicit fraudem occulere*. Arbuſta invicem innexa contexerant *Oratorem*: *hic illis pro anima, hic pro Intelligentia motrice fuit. Orphei* planè tunc *fabula in hiſtoriam verſa*; niſi *quod hîc*

 ad tu-

ad tubam reptarint arbores, ibi ad cytharam. Reptárunt ergo virgulta, dum silvester graderetur Orator stetêre, cùm subsistere jussit spectatricis Moscuæ timor; ac dum sisteret, egisse ibi radicem crederes. Meta itineris, fuerunt urbis Mænia: *tam peregrè astus ivit, latuitq;!* Ventum tandem ad mænia hic *iam silva vocalis, & arbor locuta*, nihil silvestre proiicere: hic Orator ille qua voce qua literis perorare: animos firmare in obsidia: Regium robur apprómittere: durarent, auxilia ex voto affutura Persuasit nutantibus fidem, desiitq; esse Paradoxum, *arbusta etiam posse tabellarii, posse Oratoris vice rite persungi.*

II.

Paradoxa aliquot erudita, Historica.

1. Scala

1. *Scala in amphora*

Amphoram cœlo Mathesis indidit, ubi Ganymedes Aquarius. *Fœda origo fastigii, & quæ Iovem infamat.* Potior causa tanti culminis, *si cui ex amphora non tam Cæcuba fluxerunt, quàm salus.* Atque *Andronico salus parta.* Imperium is gessit, *priùs tor quatus, deinde catenatus.* Catenæ servili implicuit captivitas, & in ergastulum redegit. Turrim insederat, de qua nec Icarus, præceps eligeret: sed *altior fuit fortuna, cui vel in compede aula servivit.* Ephebus erat obsonator, idemque pincerna. Principis adhuc inter lautitias miseri: quamdiu vinctum loci squallor tenuisset. *Amphora propinavit salutem*, locumque Paradoxo dedit. Ephebi pietas vino funes nervosq; tenues abdiderat. *Hinc Andronico*

 scala

ſcala ex edito arcis clivo, *& gradus ad priſtinum culmen* Nam demiſſi deſuper funes, arcteque unco ergaſtuli impliciti nervi, in ima arcis captivum admiſerunt. *Repetiit ergo ſolium, quod amphoræ debet.* Parum eſt, ſi dixeris ſcalam in ea latuiſſe, *latuit & regni fortuna*, quam his gradibus adiit *auguſta ſervitus. Plus ille funibus debuit, quam filo Theſeus.*

2. Campana mirabilis.

Nondum *Nola vel Divorum ædes campano ære ſonuit*, quale audiit Aragonia. Nullo fuſore id coaluit, ſed gladius molem tam ſonoram conflavit. quanquam auctor operis Princeps; & ſcelus, opificij hujus cauſa. Petrus tunc in Arragonum ſolio, *dignum hoc faſtigio nomen, niſi cruor fœdâſſet.* Is *haud communi ære ſonandum* ratus, cùm rebel-

lio

lio novum poſceret; Procerum arbitrio, quos perduellionis reo noverat, conflandi modum per ſpeciē committit Quare ad regian & comitium invitat. honos invitentis, ſuſpicionē facinoris exement, nihilquè minus honorata rebellio, quàm funeſta pertimuit. Frequenti jam Comitio, mox Princeps: *Poſt grandia operum, quæ egi, inſedit anim. Campanam condere, quæ Arragoniam ſonitu pervadat.* Sannis accepta Oratio, *nec vota elicuit, ſed riſum.* Tenuitq; *offenſa intra pectus*; mox tamē clàm vindicatura ſcelus. Igitur velut à ſingulis ſententiam ſine arbitro excerpturus, ſeorſim quemque in aliud conclave Princeps evocat, & *mox iugulum, non conſilium dare iubet. Dura imperia, ſed vicêre ferales inſidiæ.* Sic ſingulis actum, nemine fatorum alteriùs conſcio: demptiſ-

que

que tot Quiritium capitibus, *mutila cæsorum corpora in orbem composita, Campanæ speciem dederunt*. Supererat summus Optimatium, & ad Tragicum campanile deductus postulatus, quid campanæ augustali deesset? Perculit hæc superstitem percunctatio, *& timor disertum esse vetuit*: vix illud adhæsè: *Cor* inquit, *tu malleum, quo intus campana sonet, abesse video*: Tu ergo (subintulit Princeps) *cor illi dabis, tu malleus hic esto*: fuitque post parem lanienam. Spectatores aberant. Primi campanam jussi videre & audire cæsorum liberi, parentum funere ab eorum molimine deterriti. Iuit deinde latiùs fama, & tam canorum facinus exterruit Arragoniam. *Trepidatum, dum hæc Campana personuit.*

3. Ex torque flagellum.

Quandoque *torques aurei cruentant, &*, ne à suo abludant nomine, *torquent*. *Virtutis hæc interdum laniena est*, & ingenium amoris, quo in æterna ferũtur insignes animæ. Hispaniæ id non Paradoxum, sed exploratum decus. Comitem hæc vidit, & *adhuc fasti celebrant* suppresso nomine. nam *virtutis prodigia sese proferunt, nòmen occultant*. Huic Hymen domesticus & nuptialis lætitia, *abditæ virtutis theatrum fuit*. Sub Symphoniacum carmen mentem subiit, se omisisse, quo laudati moris constantia diem illum à reliquis distingueret. Flagellis in se desævire hoc ipso stato die illi solenne fuit, - - *& morem fecerat usus*. Castigata mox oblivio, & omissa tripudia; *satiusq́ visum, orgia rumpere. vt conti-*

nuaretur virtus. ut quibusdam nec nuptiæ dulces, nisi per egregia transigantur. Ergo in conclave se se dissimulanter recipit, editurus exemplum, quod aulæ nesciunt, & ille dies. Deerat flagellum, quo se insontem plecteret? torques aureus pro flagello fuit, pulchriùs tunc cruentus, quàm antea decorus. Insonuit ictibus repetitis aula, patuitq; celata virtus. Et nonne hic grandior Torquatus, veteris Romæ Torquatis.

4. Corvus piscator.

Retibus hucusque paracta piscatio: Sinensium mensa aliter piscatur. non verna, vel hominum ullus in id operis destinatur; sed Corvus illic piscator, rostrumque pro nassa vel hamo. Rapax omnino ales, nec à quo prædæ aliquid speres: sed jam domi alitur in hunc usum & operam.

Prædæ

Prædæ integritati nodus præcavet, qui collum piscantis illaqueat, ut respirare tantùm, non item glutire piscem, illi sit integrum. Nec infelix aut lenta hæc piscatio; & solertiam usus ac natura indidit, cùm sub aquis prædam rimetur, nec rostrum hæc effugiat. Minor captivus gulam delinit: Summates piscium intacti, in mensam herilem abeunt: Sic Corvi non in voces tantùm humanas erudiuntur, sed & in labores, quibus alant etiam novam Corvinorum familiã.

5. Tormentum, seu grandior sclopus homine pro globo plumbeo oneratus.

Nondum crudele ingenium exhausit Sævitia; post Taurum Phalaridis, post lectum Procustæ, post Neronis & Caligulæ catastas, in humanum

genus aliter ferocire docuit. Facinus fidem adstruit, quod oriens vidit, & horruit. Ne ludibrium fides timeat, Auctoris religio prohibet, & omnium testes oculi. *Maffæus est Orientalium scriptor*, à quo id didici: Facinus Didaco Mesquitæ tribuitur. Quid ergo? Sclopum & tormenta ærea, nitro plumboque, vel sphærâ ferreâ hucusque oneravimus; sed veluti hæc jam Martius furor exhausisset, iam caput etiam humanum, in globum militarem cessit. Fuit, qui primus id ferale genus jaculandi exemplo traderet, ut pro plumbeo telo tormentariæ fistulæ, hominem ingereret. Sic onerata, ænea moles tunc fulminavit. fulmenque excusissimum, homo fuit O globos ferales! o telum miserabile!

6. Philo;

6. *Philoxeni gula.*

Philoxeni gula jam notior, quàm ut paradoxum videri possit. Nullius sic esurivit ingluvies; *nec facundius exemplum* unquam *dedit intemperantia*. Palatum ad ignes pæne vorandos etudierat. Prælibator ciborum, primus ille in culina: illic *ferventes ollæ, prima illi promulsis* & ante cænium; *ibi bullientem offam, perinde avidior exhausit, ac si frigidam bibisset.* nec palati vulnus vel incendia terruerunt: potius Polyxeno gulæ lenimen, quàm palati sanitas, quod si flamma in cibatu adussit, sapor convivij lenivit. Denique *ademit dolorem usus*, & ad linguæ dolorem, obtorpuit ardentior edacitas Nec *inter convivas* ille intolerantior. Culina illi fuit pro gymnade & palæstra, ubi prima prolusio palatum sic

 exer-

exercuit, ut in mensa aciem fumantium patinarum haud extimuerit. *Quin etiam* cum culinæ arbitris pactus, ut nonnisi ferventiores missûs mensa exciperet. Et constitit sua pactis culinarijs fides, adhucq; sorbiles lautitiæ fervebant, cùm darentur. Quare nullus non palato extimuit, si quid è fumanti atagene delibaret, aut ne gammaro vel sorbilibus gemmis os adureret. *Omnes ergo Convivæ famelici*, quamdiu fervor cibariorum absterruit. Solus ibi Philoxenus conviva, *gavisus se inter Tantalos non* esurisse unum, cùm omnia solus impunè exsorberet, nec fervidior intinctus ac bulliens embamma gulam frenaret. *Risit exercitatam ingluviem convivarum fames, iamquè spectaculi voluptate saturata, vesci noluit.*

7. Arbor hospitalis.

Alias domos architecti commendat labor; *Lycia invitat in silvestrem regiam, naturæ solius opificium.* Illa domûs illius architecta, *nec laudem cum artifice partita.* Accedit ad naturæ miraculum, quòd una id arbos efficit; *seipsâ & domus & arbor.* Ramis desuper vernat, intus hospitiũ præbet. Id unum defuit, ut, cùm vel umbra æstum defendant, vel fructuum copia famem exsatient, etiam ab urbaniori comitate, *arbores audirent hospitales.* Nec aliud facit Lyciæ arbor viæ publicæ cohærens, ubi viatorem aperto ostio præstolatur, fessumque ab itinere invitat. Nam domicilium intus est, ubi radici proximæ superstat; *nec labor, sed natura excavat,* & ingressum in arborem, ceu ædem obviam offert.

Cava interiùs hæc *vrbanissima arbor* ad unum ſupra octoginta pedes: Nemoroſus vertex frondes prolixè explicat, & velut alterũ ab interno tectum domui oppandit, agros productiore umbrâ obtinens, protegésque. Quin, ne quid ſpeluncæ imaginis deſit, Saxea intus crepidinis corona, muſcoſos pumices complexa; digna omninò quàm Lucinius Mutianus, ter Conſul, ac demum ejus Provinciæ Legatus hoſpes ſubjerit; epulatus inibi cum duodeviginti comitibus. atque hoc cavatæ arboris triclinium, potius viſum convivis, quàm ſubſtratum domi, Parium aut Laconicum marmor, picturæ mira varietas, vel intexta auro laquearia. En ut laxum ædiũ caſtigat, caſa tam facilis!

III,

III.

Paradoxa ſacra Oratoriè.

aliquot Scholaſtico more proferam: ſæpè talia Oratores.

Paradoxum I.

Vva ambulans.

Ad Feſtum Theophoriæ accommodata.

Audijmus miraculum virtutis, quod ante ſeptem orbis miracula meritò reponas. Uva miraculo locum dedit, cùm vaſtiſſimam eremũ impleret una, *latiuſq; iret virtus*; quàm ut *ſilvæ*, aut unius ævi *ſpatio famam teneret*. Uva hæc famem adhuc poſt tot ætates irritat, *ſapitque meliùs non guſtata*. Erat, qui ſolitariam Macarij virtutem hoc dono coleret; ut, cùm *vitem integram abſtinentia nollet, botrum ſaltem famelica deguſtaret*. At ſcilicet *tanti eſſet virtu-*

Virtuti ramus, cui arbor desipuit; vel uva cor invaderet, cum vineæ vilu-issent! quid igitur ad hæc munera, *duris exercita virtus!* Puduit ſeſe *uvæ acino oppugnari*, jam exercitatiorem quam *vt eam tota Campania & Lesbos* vitibus operta deijceret. Sat miſſili racemo datum, ut de illo *aliquid oculi delibârint*; quæreret proinde, cujus palato illuderet. *Ivit ergo per plurium manus* miſſilis botrus, ſemperque in vicina proirruſit latorem muneris, grandæva virtus. Sic totam eremum brevi uva pervaſit, *illæsâ ubiq; temperantia*; veluti vicinus quiſque accola, oblata ſibi hac offula diceret: *Nondum ſic eſurio, vt abſtinentiæ probrum eligam: non tanti mihi botrus, quanti virtus:* alios lares ſubeat id obſonij, *vbi gula cupedias amet:* mihi mea ſufficit menſa. *& meliùs ſaginat ſanctior fames. Pudeat*

ſi uva

ſi uva vincat, quem terrena omnia victorem colunt. Itaque totam ſolitudinem pervagatus *ubiq; abſtinentiæ prod gio nobilis racemus*, didicit *inter illius eremi arbuſta, viti non fuiſſe locum.* Quæris, quò demum poſt tot repulſas reciderit? *ne miracula morer*; rediit ad primum Macarii larē, unde primò poſt dona exijt munus translatitium. Hæſit attonitus, reduce botro, primus ſui victor *per inediam triumphalem*; demum uvæ gratulatus, *quòd plus gloriæ duxerit à contemptu, quàm ſi palato omnium probaretur.* Sic per euntes in gyrum caſas, uva pertranſiit! majus ſpectaculum eſt, cibus per fora, per compita viarum inambulans, id eſt obſonatrix Verbi Caro! ſic enim *Vt ſatiet populos, ambulat ipſe cibus! &c.*

Para-

Paradoxum 2.

India capit duos soles.

Quis ille cecinit -- *non patitur duos soles Olympus*? at India patitur, cùm alterum ab Europa solem accepit Xaverium; mirata, *etiam in occidènte soles oriri.* quid enim in eo, quod umbram ferat? quid quod mille solibus non sudiùs micet, diemq; terris alium accendat? *Hoc sole eguit cæca Indorum Iaponumq; superstitio, quæ dum animis caliginem offudit, nec meridies lucem reddit*, aliaque tunc luce error indiget. Sed *cessêre tenebræ*, & ad novi solis exortum extincta superstitio! quin & mortales umbræ lucem tulère, cùm è Francisci imperio vivere coacti manes &c.

Para-

Paradoxum 3.

Miles Infulatus.

Divus Martinus è milite Antistes.

Præter galeam, *iam & Infulæ militem exornent.* Primus sic immutat belligerãtium insignia, idem Christi, qui Constantij miles Martinus. Dubium, quid pulchriùs frontem illam ambierit; *cassis Martia, an Pontificum tiara.* Certè utrique par caput animumque gessit, *non miles melior, quàm Antistes.* Sic *ubique Virtus arenam aperit & triumphat, ubique pugil, ubiq; victrix.* Nimis arctat illi spatia, qui ad aram tantùm adigit & pacis stativa; *quasi etiam inter arma non canat triumphos.* Martino *haud galea mentem oppressit*, ut in Divina sub ferro segniùs evolaret. Nec illi manum gladiùs implevit meliùs, quàm *profusum in miseros*

Cornu-

Cornucopiæ, utrique fatalem dexteram gessit, seu hostem expugnaret armis, alienam seu inopiam donis. Nunquam item hostili ferro succubuit tanta virtus: *Sola illius chlamys, Vulnus pertulit*, quod inflixit prodiga in egenos liberalitas. Quippe ne miseros cerneret, seipsum miles hic miserum effecit! ne algeret aliena egestas, sua nuditas placuit. *Nec plausu caruit pulchrum facinus*. Nam *Chlamys dimidia totum contexit Deum*, cùm mendicabulum vix tegeret; imò immensitas cœli ivit in dimidiatæ vestis pretium. Usque *adeò parvo venale cœlum est, si mercatorem habeat!* aut, oppugnandum sit, *non est valido ariete opus, quod tantillo vellere expugnatur!* Quid ergo? cœlum emeruit virtus, & non Insulam tulisset? &c.

Para-

Paradoxum 4.

Eques Deus.

Comes Austriæ Rudolphus, augusta Paradoxi Origo. *Equitem hic Deum effecit*, & cùm Altissimum pronus coleret, nonnihil altiorem reddidit. Obvium sibi Numen viderat, cùm in vitali ferculo itinere pedestri ægrum reviseret tanta dignatio. Grande hinc in animo vulnus accepit pone adequitans Comes; *puduitq; se* tantillum in equo eminere aut equitare, *eunte per terras ac pedestri dapsili Deo*. Damnavit hoc equestre fastigium, celatæ Divinitatis demissio; hinc Comes hæc secum revolvere: *Ergonè Deus Homo pedibus reptat, Rudolphus equitat! Sol ille humi; umbra & exile limi frustulũ in alto! Tu potiùs Divine Mystes, Magni Tonantis baiule Atlas, altum obtine,*

ne, ergo in ima cernuus ruo: eat potiùs eques Deus, quàm Comes Rudolphus: Sic velociùs ad ægrum adequitabit salus; & mihi satis est Comitem esse equitantis Dei, quàm Comitem Imperii. Quidni saltem equo vehatur Maiestas, quæ cœlo incubat? sit hæc etiam equi felicitas post asellum; ne in cœlo tantùm sol quadrigam habeat. Hæc secum Rudolphus, mox ex equo desilit; & simul cum attonito Mysta Deum attollit, atque sic equitatem adorat, primò, mox etiam ad febricientis tugurium comitatur. *Macte Rudolphe, nunquam altior incessisti, cœlis propior, cùm in terrā sic desilires! Hoc* sanè *descensu te in culmen Imperii* Romani *evasisse credidit fama*, nec mentitur. *Sic desultorio gradu itur in solium augustale!*

Paradoxum 5.

Melius alunt jejunia.

Ieiunium si exclusit ingluvies, revocet virtus; ut, si vicit toties gula, *abstinentia tandem triumphet.* Quid enim! an gulæ servitus placeat? *turpe est, vbi abdomen dominatur, & in mensa virtutem debellat*, postquam culinæ focus bellum accendit. Age temperantia, arma hæc excute: probrum sit, si venter triumphum de te agat, & adhuc in Capitolio victimas velit, Tot jam cæsæ illi hostiæ, ut jam vix armenta aris genialibus supersint. Succedat tandem tot armentorum cædibus pax incruenta.

Adhæc si vivere libet, *mensæ lautiores perimunt, & sæpè morti victimā saginant.* Nempè immoderatio victûs, morbos accersit; hi mortem, Si morbi ex intemperie corporis;

hæc crebriùs ex intemperantia ducit originem. Idem hic, quod in *navium iactura* vel naufragio cernas; *quæ non soli scopuli, aut scyllæ hauriunt*, verùm & onera. *Non sat* ergo *indulges vitæ, dum genio indulges*: sæpè morti victimam saginas, dum te obsonijs imples; & dum vim nutriendi superat copia, vitam præfocas. *Meliùs alunt ieiunia*, quæ vitæ spatia producunt. *Saturos tantũ invadunt morbi, inediam timent*; ut proinde illa non invideat Paradisi Elisiis Arborem, vitæ productricem contra morbida, vel lethi viciniã; cum ipsa vim non imparem in morbos gerat. Videris, quos eremus alimentornm inops vidit aluitque. Vixerunt hi *annos, quos nunquam sperare possit ingluvies & mensa plenior*. Datum id eorum frugalitati, ut tot lustra, vel Olympiades numerârint,

ac velut Olympia vitæ longiora, decurrerint. Non id *satietati* conceditur, quæ *dum temperantiæ metas transilit, metam vitæ* subitò *incurrit*. Usque adeò *vitæ adiicitur, quantúm adimitur gulæ!* An ergo non satius inter abstinentiæ condimenta vivere quàm inter Vitellij aut Luculli cœnas emori?

Paradoxum 6.

Quod Regnum capiat duos imò plures Reges.

Tace Macedo, taceat & Tragædus: *Iam capit Regnum duos*; imò *tot Regũ millia, quot Divos, cæli regia capit*. Regum hæc nomina sunt, nec uni destinatur ibi solium; sed omnibus, *vbi esse regnare est*. Alibi *adstrictior Principum thronus, præter unum non patitur*; & *solitudo placet, vbi cordi maiestas*: eò quòd terrena dignitas,

ſæpè faſtûs & livoris quædam ſit regia, *vbi parem excludit ambitio*; & de ſuo decedere faſtigio putat, ſi plures id occupent: *Sic ibi nullus Princeps, ſi non vnus*; ſi plures quis addat, bella provocat, iterum experturus. quòd *omnis poteſtas impatiens ſit conſortis*. Miſera regnorum conditio! *quaſi non pulchriùs ſe prodat imperii maieſtas, quò plures inceſſerint coronati!* vel *quaſi beatiùs ſit civibus, quàm regibus abundare*. Alia omnino Regni facies inter cælites. Nemo ibi non ſceptri princeps, qui cœli Deique æternus Hæres; adeoq; *beata illa Civitas eoſdem Reges, quos Cives gerit*. Tot Regiæ in illa urbe; *tot in vno regno ſolia!* nullibi meliùs coronantur merita; quàm ubi omnibus beata Perennitas ſidera in coronam, ſolē in trabeam Regalem devovet; Nulluſq; ibi non ſiderum ex aſſe tantiq; impe-

imperij hæres. Huc te huc vota transfer, *ſanctior ambitus*: malis hos inter Reges è tantis Regibus unus æternùm coronatus incedere, quàm exulare in terris &c.

IV.

Paradoxa Artificioſa Oratoriè proponuntur.

Plurimùm in his deſudant nonnulli, qui audent quædam artis prodigia &, quod auſum commendat, felici exitu. Profero aliqua.

Paradoxum Artificioſum I.

Aquam elementarem accendi poſſe.

Aquis hactenus *datum ſopire incendia*, & igni afferre exitium. ita utrumque id elementum, hoſtile quidpiam mutuò gerit, nec pax unquam hæc inter coaluit. Sed ſat odijs datum: juvat nova ſancire fæ-

dera inter par tam diſcors ac inimicum. Pudet jam igneas vires ab aquarum eluvie toties victas obrutaſque, nec cum Neptuno & humore aqueo illuſtre elementum cohærere. Reperit tandem ars modum, qua flammæ ſuos ardores aquis impertiant, & ſuas imprimant cum natura dotes, ac, quævis amoris eſt, aquas in ignem transforment. Ita extinctæ inimicitiæ, ac odia in amores tranſiêre! etſi hæc ultrix videatur amicitia, qua ignis reponat injuriam, auſus jam aquas incendere, ut his ignem ſolenne fuit extinguere. Novum ergo Paradoxum, rerum naturæ mirantur, aquas ignescere, ac in flammas accendi poſſe: imò ſi vel ignem reſtinxeris, aquis reaccendi Ut ſua inſolenti dicto conſtet veritas, à paucis ſuppetias ars capit. Camphora vel napħta

phta malthavè omnino amica igni Nomina ſufficiunt, ſi in lymphas conjeceris; aut ſi globo niveo vel glaciali ſtiriæ inſerueris ſeu ſuperfuderis: mox enim ignis admotus undam nivemq; corripiet, & ardere coget tam frigida inſtar coruſcæ lampadis: eritque pabulum aqua, quæ igni ante fuerat venenum. Uſque adeo ſociales tædas & nova amicitiæ jura, tam hoſtilia inire poſſunt elementa! ita nôrunt jam igni aquæ parcere, ſeque potiùs uri comburique permittunt!

Paradoxum Artificioſum 2

Architæ columbam factitiam exhibere volantem,

Iter per aëra volucrum eſt, quas nidus & natura parit. Sed Architas idem voluit & arti licere, dum columbam effinxit; cui cum volatu pen-

pennas indidit, quibus ales factitia per auras libraretur, & *cum avibus certaret de nativi volatûs gloria.* Nolim hanc solius Architæ laudem fuisse, nec ætas hæc patitur, quæ volatilem columbam ex arte dare jam novit, ac (ut Architæ prodigium inumbretur & vilescat) plures etiã pro una columba aquilas aut olores. Ibit omninò per aëra gregatim non unica ales, atq; attonitis spectatoribus ceu vera illudet. *Ita ars velut melior naturæ simia*, cum illa concurrit, satisq; gloriæ putat se similem esse, etsi non omnino parem. Nec modum artemq; id superat, ut inanimis volatus tribuatur. Quàm enim exilis labor rem perficiet? si nempè tum machinula erecta, pro tholo tenuem gerat laminam, cui rotula in omnem partem versatilis cum valido magnete sibi affixo insistat

sistat: tum columba vel olor è charta factitius cum acu chalybea intus latente elaboretur: tum in pauimẽto machinulæ, Architæ levior statua, ad cujus protensam manum filum tenue alligetur, simulq; ad columbæ vel oloris pedem, vel extensas in volatu pennas. Equidem si hanc alitem attollas, donec eam sentias à latente supra tholum magnete attrahi ac in aere suspendi, hærebit primò velut tremula in aëre, mox si rotulam in tholo occultatam cum magnete huc illucq; circumducas, sequetur ales eadem magnetis ductũ, acu illa chalybea columbæ se ad amicum lapidem circumagente. Habes architæ prodigium, quod plures tholi similes, pluresque similes factitiæ alites augebunt. *Plura huiusmodi Paradoxa vide sub Miraculis Eloquentiæ Thaumaturgæ.*

SPECIMEN IV.

Admirabilis Eloquentiæ ARS MEMORIÆ.

MEmoria quarto loco apud Rhetores: ſed quædam eſt injuria memoriæ, ſerò illius meminiſſe. Reponet loci honorem, reminiſcentiæ dono; damnabitque alium ordinem, adjuta per illam oblivio,

§ I.

MEMORIÆ MIRACULA

Memoria in quibuſdam ad miraculum propè acceſſit. An illuc natura, an arte evaſerint, in medio relinquo. Conſtat in pleroſque decus hoc è cunabulis emanaſſe: potior tamen *qui naturæ artem ſubrogat, & tantæ laudis ipſe ſibi author eſt, ac ori-*

go. Iuvat alterutrius prodigia percenſere.

Sacra præeant, ne quis Infulatis etiam capitibus id laudis neget. *Roma* imprimis *hic eminet ſuis collibus maior ac ſublimior*. Ibi *Paulus Quartus* primus inter hæc miracula. Tantus hic in Eccleſiæ ſolio, in quod ſecũ & memoriam intulit! ut eam metiare, ſacri Codicis vaſtitatem vide, quam is memoriâ comprehendit. Nil nova, nil vetus ſacra pagina premit, quod promptè non promeret ut omittam minora voluminũ, quæ eadem memoria dignatus. Nec ſenecta octogenarij deterior, quà integras paginas è ſalernitana ſchola, è Tullio item & Marone, linguâ citra lapſum memori deprompſit. In eodem throno, nec impari laude *Gregorius Tertius & Clemens VI*. hic enim lecta ſemel, retinuit ſemper,

nec oblivio temerare id decus valuit: Ille Iessæi Vatis carmina animo sic impressit, ut marmori, non ceræ inducta dixisses.

Nec minores Antistites sine hac gloriâ Ammonius omnino Pauli IV. æmulus, fastigio tantùm, non reminiscendi facultate minor. Nam Nepotiano plus tribuitur; nec galea primò dein cucullus mentem illi oppressit, quin eruditè prolata, quæ audisset, fixiùs retineret, cum eadiscernendi felicitate, ut hoc Tertulliani, illud Cypriani, vel Lactantij esse dignosceret. Inde promere licuit, quod inter plures Bibliothecas labor congessit.

Quin & in Regiam eadem Mnemosyne penetravit. Sanè *Alexander* hinc etiam *Magnus*, quòd æquè memoria, ac gestorum fama regnantium fortunam præverteret. *Mnemosynes, non Olympiadis filium iurasses*, qui & totam Homeri Iliadem, & magnā Odysseæ partem, plurium adhuc, memoria complexus.

Pontum adhuc revise; & ibi sceptra tenuit memorandi felicitas in Mithridate. Duas supra viginti Nationes imperio coërcebat, quarum linguas omnium unus calluit; valuitq; *ad popularium amorem, agnatæ singulis linguæ commercium.*

Persidem tenuere Cyrus & Cosroës, dispari tempore, pari felicitate memoriæ. Ille cùm immensos ductaret exercitus (nam *Persarum copiæ numero semper valuêre*) singulos milites suo nomine compellavit; Alter Aristotelis libros (qui etiam quendam rerum & sententiarū exercitum conflant) fide integra regessit, si Regis memoriam tentasses. *Et pulchrum omnino sapientum sancita in Regum animis recondi.* Ne-

Neque veterum tantùm Regum id encomium. Galliæ Regem Franciſcum reminiſcendi fortuna ſui ſeculi Regibus antetulit. Quid, & quantum commeatûs cum ferret quævis Provincia, rationes & compendia itinerum, nauigationes fluminum, Civitatum copias, præcipua locorum ſubſidia, velut è penu memoriæ depromebat.

Adhuc Roma oſtentat Cæſares in eiuſdem laudis faſtigio. Poſt Iulium, qui ſeptenis ſimul epiſtolas dictare ſolitus non fallente aut titubante memoriâ; vidit Adrianum, regionum nomina, negotia, milites quorum nomina ipſe numerus aboleret viritim ſingulos recenſentem. Quãvis illud non inconcinnè Scipio parem jactanti memoriã Appio Claudio repoſuerit: Ego, non ut multos cognoſcerem, ſed ne ab ullo ignorarer, annisus ſum.

At neq; minorem fortunam præteriit par aut maior reminiſcentia. Promiſcue quoſdam accipe; *nec refert ordinem tenere inter æquales.* Theodectẽ Cilicia extulit, cui nil eorum effluxerit è mente, quæ ſemel influxiſſent: id quod etiam Cardulus Narnienſis præſtitit: tum recto verborũ ordine, tũ cõverſo. Nec Genethlius aut Palæſtinus his diſpar. Nil protulit horarum plurium declamator, quin geminus hic auditor pari fide reponeret audita ſemel. Nefas adhuc tacere *Senecam qui totidem oraculis quot libris famæ ſibi vocem obſtrinxit* Is duo millia nominum, ut Corſicus adoleſcens millies triginta & ſex vocabulorum nomina (quo ſolo Senecam ſuperavit) prolata ſemel promptiùs reddidit, quàm à declamatore accepiſſet. Mirata & *Cyneam Pyrrhi legatum* Roma vetus,

postridiè singulos é senatu singulos Equitum nominatim salutantem. Sic per memoriæ prodigium illustri or evasit legatio! Plura hujusmodi erunt nomina, si te ipsum, Lector studio addas; obliviosos perosus & & temulentorum familiam, quibus *Obliviosi pocula cæcubi* mentem aufe-runt.

§ 2.

AN DETUR ARS MEMORIÆ EXPENDITUR.

Non paucis id videtur artem superare Magistram; adeoq; donum esse, quod natura offerat, cui velit. Nam *ingenio ferè comes iungitur memoria*, quod nemo Arti debet. Eodem refer sensus vegetos, quibus plurimum valent, qui valent memoria, cùm tamẽ is corporis sensuumq; vigor gignatur, non arte fiat.

Eo contra, &, cùm semel ratione dimicare placuerit, ab illa fulgur

gur & aciem distringo. Telum hoc imprimis accipe, qui repugnas. *Non scitur naturæ magisterio, quod studio disci debet*, atq; à memoria non citra laborem exigi: studium ergo tunc confert, quod negavit natura. Neque in naturam redige quod labori eximat discendi facilitas: nam *in naturam tantùm refunditur, quod possis discere; ab arte, vel aliunde, quòd facile possis.*

Cavete jam alterum à ratione ictum, naturæ præsidiarij. Artem oblivionis discitis ex Themistocle, arti memoriæ illam præoptãte an ergo oblivio, non item memoriæ decus arte constabit? Atqui huic opitulandi major necessitas, quàm oblivioni, *pluriumq; meminisse, quàm oblivisci decet.* Equidẽ *industriæ nil debent oblivia quæ ultro subrepunt, & scita obliterant:* plus opis

pis *reminiscentiæ*, dandum, quá *fragile hoc naturæ donum solidetur*. Denique Artem memoriæ sancit authoritas, sancit experientia. E Philosophis, post Simonidem primus facultatem hanc bonæ mentis explicuit, *Phœnix ingeniorum Aristoteles*: è Rhetoribus, post Tullium plures hoc animi magisterium *diu accepta retinentis*, capessiuêre: è Theologis, non pauci ante & post Auctorem Phari scientiarum. Experti successum artis plurimi; & tu, si libet experire, atq; eventu approba.

§ 3.

REIICIUNTUR QUÆDAM MEMORIÆ AUXILIA.

Fuerunt, qui memoriæ suppetias à Galeno & Hippocrate postularũt, *quasi Seplasiorum munus esset, oblivia expugnare, aut herbæ medicæ possent animo mederi.* Helleborum, credo, illuserat, quo *deliria curantur*. Nempe in hunc animi morbum, Anticyræ herbam hanc offerunt. *Primus vim medendi prostratæ memoriæ*, in pharmacis agnovit *Antonius Mizaldus*; & inde remedia oblivioni peti voluit. *Schola ergo illi memoriæ, Apotheca*; ubi collapsam mentem erudiat, reparetque ars unguentaria. Audi jam Mizaldum, *& laurum admorde*, quo spleni medearis. ne in risum tibi totus effluat. Quid enim? redintegrandæ memoriæ, cerebrũ suillum, cum nuce unguentaria, & cinnamomi cortice, in cibum destinat. *Sic vescere, & memoriam vorabis*. Non egeo, ut à Gelasimo risum mutuer dum hæc Mizaldus, qui à sue remedia bonæ mentis accersat. Piget refellere tam dissona. Cerebro egere dixerim, qui huic remedio

medio aut cerebro fidat. Hinc ſpar ſum crederem illud: *Sus minervam.* Nil medelæ, etiam in meliori pharmaco, effluenti memoriæ, ne dum in toto ſumine vel porcæ capite. Denique citiùs exhauſeris pharmacopæa, quàm proficias. *Pertuſa mẽs manu medicâ non cõaleſcit.*

Aliter in Herodis Attici filio curata oblivio. Nec prima literarum elementa tenuit *argutulum hoc caput.* Modus placuit ineundæ memoriæ Regia dignus, & *cuius illicio non pigeret, tantiſper eſſe obliviosum.* Nec enim *prona obſequentium ſtudia faſtidiis vicina.* Ab obſequijs illi totidem ephebi deſtinantur, quot literæ vel Latio, vel Athenis. Singulos non alia diſtinguebant, quàm literarum nomina; ut has ediſceret, cùm nôſſet honorarios Comites, vel in obſequia evocaret. Sed *excultior fuit*

aula, quàm memoria, piguitq; impẽſæ in comites effuſæ deluſum Patrẽ quos filius cultu vultuq; ſolo, non vocabulo diſcrevit, *caulâ quàm aulâ tam ſplendida dignior.* Adeo plus in hac induſtria ingenij fuit quàm fortunæ, vel bonæ ſpei.

§ 4.

ARS MEMORIÆ LOCALIS TRADITUR, PRIMO MODO.

Ars hæc, ut quævis, ſuis regitur regitque legibus; Imaginatio ſola rem totam perficit, quæ aſſuetudine illuc deducitur, ut credita memoriæ, poſſit recto vel inverſo, aut mutato, prout votum tulerit, ordine, ab ea exigere, nec illa votis illudat.

Tribus nititur hæc doctrina; Loco imprimis: tum Imaginibus rerũ memorandarum: deniq; in ordinẽ

redactâ earundem imaginum seriē. Nam *ars memoriæ est quædam ars interiùs scribendi vel pingendi*. Locus in quo aliquid mente desigitur pro charta est scriptori; pro tela Apelli hujusmodi: Rerum effigies pro literis, vel pictura: Scriptoris aut dicti Apellis munus gerit, ordinata internarum imaginum collocatio. Hæc omnia jam luculentiùs. Quare

Nota 1mo.

Locum, in quo res memorandæ sub certis imaginibus reponentur, posse esse urbem vel oppidum, templum vel palatium, aut domum cum suis partibus ex ordine animo comprehensam. Idem locus, nil interest, verusnè sit an fictitius dū modo ordo partium loci ita imaginationi inhæreat, ut eædem promptè possint mente percurri, tum re-

 cto,

cto, tum retrogrado, tum interpolato ordine.

Nota 2do.

Locus prædictus, imagines seu notas rerum verborumq; memoriæ mandatotum excipiet, mente easdē disponente.

Hæ autem imagines rerum, aliæ propriæ sunt, aliæ symbolicæ.

Propriæ imagines sunt, dum res ipsa cujus velis meminisse, snb propria effigie in loco reponitur jam prædicto; ut si ad infigendum memoriæ hoc vocabulum *Homo* & *Equus* in loco explicato, mens collocet effigiem hominis vel equi; & sic de alijs quæ suis coloribus distingui possint.

Symbolicæ rerum ac vocabulorū imagines, rem sub aliquo involucro exprimunt, sed sibi congruo. Ut si pro nomine *Fortis*; in loco ima-

ma-

maginum mens Leonem collocet: pro nomine *Tardus*, testitudinem: pro nomine *Matricida*, viperam: pro *pio in parentes*, Ciconiam &c.

Iuvat ad id, *alphabetum Symbolicũ* idq; multiplex. *Primò* si literæ denotentur per res, seu vocabula ab illis literis inchoata, v. g. A per Aquilam, B. per bovem, C per canẽ, D. per Dorcadem, E per Elephantũ &c. *Secundò*. si literæ notentur per nomina propria ab ijs inchoata. ut A per Alexandrum, B. per Basiliũ, C. per Constantinum &c. *Tertiò*, si literæ exprimantur, per nomina dignitatum, ut A. per Abbatem, B. per Baronem, C. per Cæsarem vel Consulem, R per Regem, P. per Palatinum, E per Episcopũ &c. *Quartò*, si literæ notentur per res illis similes: ut M per tridentem, C. per Lunam corniculatam, V per circinum

num apertum &c. Idem modus cõferet etiam ad vocabulum ignotæ significationis, & ad numeros significandos. v.g. 1. per Phænicem, qui unus in terris, exprimetur. 2. per bivium. 3. per triangulum: 4. per quadratum, 5. per manum cum digitis expansis. *Quintò*, per imagines rerum Ægyptiacas, vel per Hieroglyphica, (quæ mox subijciũtur) res exprimi & loco imaginario affigi poterunt.

Potest item *imago esse simplex vel composita*: de simplici hactenus actũ est. *Compositæ imaginis* exemplum esse potest, tum illud ridiculum cujusdam ad exprimendum vocabulũ. *Suspiramus*, pingentis suem, pyra, & murem; tum illud apud Petrasantam, ubi quidam, volens exprimere nomen hoc, *Lucretia*, depinxit lucum & retia, ac insuper bajulum ex

luco

luco fores efferentem, quæ *VS* dicũtur Insubricà linguà: quòd nimirũ dicta syllaba *VS* debeat eijci ex nomine *Lucus*, ad significandum nomẽ *Lucretia* addendo Luco sic mutilo, retia.

Nota 3tio.

Prædictas rerum & vocabulorum imagines sic esse collocandas.

Primò, etsi res memorandæ, si sint corporeæ, & subserviant imaginationi, possint per seipsas in loco reponi; tamen, ut vivaciùs memoriam pungant, potest illis superaddi congruum quiddam, nempe situs, vel aliqua actio; pro vocabulo v. g. canis, mens poneret canem admordentem lapidem &c.

Secundò, Quando res memoranda designat actionem rei corporeæ; eadem res in loco memorativo collocabitur

locabitur cum situ actionem illam exprimente. Sic actus precationis exprimètur per hominem submissis in terram genibus, oculis cœlo intentis. Similiter conflictus cum hoste, similem imaginem, cum hoste confligentibus hinc inde copijs requiret, & sic de alijs.

Tertiò, quando res per vocabulũ significata non subest sensibus, seu est corporis exsors; tunc imago symbolica pro eo collocetur, ut dictum sub Nota 2do. Magis tamen excitabunt memoriam imagines rebus illis cognatæ, vel cum illis connexæ, aut ijs oppositæ.

Ad retinendum memoriâ *Tempus*, congrueret effigies Saturni, senis alati, unâ clepsydram, altera manu falcem gerentis. *Anni nomen exprimeret* coluber caudam ore stringẽs: *Menses* singulos effingerent signa

Zodiaci illis propria: *Fidem*, persona velo, oculis inducto gerens *SS. Eucharistiam*, singulare fidei nostræ mysterium: *Spem* anchora: *Charitatem* manus ligatæ ad invicem, vel cor ardens; *Acediam* testudo ad templum adrepens: *Avaritiam* senex pecuniam recondēs: *Episcopum* biceps infula: *Papam* Corona Pontificia cum clave gemina &c.

Quartò, potest vocabulum memoriæ infingendum in loco reponi scriptum, vel propriis literis, vel symbolicis, de quibus dictum est sub *Nota* 2dò; idque, vel tantùm primis literis vocabulorum; vel omnibus juxta modum ibidem præscriptum sitis.

Denique juvat Analogia vocabulorum; ut si unum vocabulum sit æquale aut simile quoad literas vel syllabas cum exiguo discrimine; ut Lucus

Lucus si usurpetur pro nomine Fucus: Rex pro Lex: vistula pro fistula, Lux prò nomine Dux. Iuvat memoriam & Analogia rerum, ut si pro vocabulo *Discolor*, usurpetur Iris; vel pro *centoculo*, cauda pavonis pro *bibaci*, hirudo seu sanguisuga, vel spongia &c. Iuvat & notatio Nominum; ut Fabius à Faba, à lente Lentulus: Cicero à Cicere &c.

Nota 4to.

Ad retinendas particulas conjunctivas, disjunctivas, Præpositiones & alias cuivis linguæ familiares; vel utendum est literis symbolicis alicujus Alphabeti ex prædictis, vel habendus est earum particularum catalogus cum imaginibus earundē symbolicis; sic particula conjunctiva, *Et*, posset exprimi per catenam: Disjunctiva, *Vel*, per dividentem gla-

gladium: Illativa *Ergo*, per pondus: Causalis *Quia*, per gladium lucis: Exceptiva per manum separantem, Præpositione *Per*, significaret pons amni impositus: *Sub*, per succollantem sphæram cælestem Atlantem, vel per Enceladum sub Ætna sepulsum exprimeres: *Circa*, per murum urbi circumdatum &c. Personas verborum, per Divinas Personas: *Casus* nominum per eorum imagines; ut *Dativum* exprimeres per manum dantem, *Ablativum* per Autolycum furacem vel prædonem.

Notandum insuper ad promptiorem & fixiorem memoriam facere; si, dum, quæcunq; imago in loco memorativo figitur, mentem advertas ad locum & loci imaginem. Quodsi mens semel iterumq; repetat eam imaginum collocationem, tantò firmiùs hærebunt singulæ, licebit-

cebitque eas, tum directâ seriè, tum ad libitum permista referre, vel cancros imitari legendo.

Denique juxta dictas leges exercenda primò memoria in aliquot vocabulis: deinde in pluribus; pòst in sententiis integris. Aliquando tantùm initia periodorum aut versuum, aliquando indicia tantum argumētorum aut punctorum, quibus res memoranda constabit, hac arte egebunt.

§ 5.

NOTÆ HIEROGLYPHICÆ ARTI MEMORIÆ DESERVIENTES.

Imagines symbolicas Ars memoriæ recipit, aliquas tum eruditionis causâ, tum in usum hujus artis accipe.

Hieroglyphica rerum Ægyptiaca.

Aliter Ægyptus vix ſcripſit; character ejus, pictura fuit; adeoq; Ægyptiæ literæ, ſymbola fuerunt, & aliquid reconditum. Obeliſtum Pamphilium alioſque vide; *leges ibi quæ ſphingem referant Oedipum velint.* Notæ ibi ignotæ, & pro literis accipiter, vel Cynocephalus occurret. Aliquid lucis ad umbras hujuſmodi dato, ſimulq; imagines Ægyptiacas rerum, arti memoriæ.

1. Anni ſymbolum Ægyptiis, palma, quidam id in ramorũ propaginem reijciunt, quos ad ſingulos Lunæ ortus arbos hæc effundit. Alij in palmæ inſignes effectus, quos anni diebus numero adæquat.

2. Peregre ad ſolum natale, ac ſerò reducem Phænix ijſdem adumbrat;

brat; quem ante lethi confinia in Ægyptum regredi tradunt. Eadem ales, nota longævi; cui ætatem ad quingentos Ægyptus; ad mille annos Nonnus prorogat; etſi eam non ſinat vivere ultra 340 annos Albertus à ſcientia & virtute Magnus.

3. Rarius illud, quo mutum ac perpetuò ſilentem exprimunt. Nota hujus ſilentij eſt numerus 1095; dies ſunt, per quot ſeſe tres anni circumagunt: intra quos niſi trimulus loquatur puer aut infans perpetuò futurus, aut linguâ impeditiore, aut mutus cenſetur.

4. In amentiæ ſymbolum Ægyptus Pelicanum trahit, quòd eodem rogum pullis accendat, quo extinguere parat: nam igni, qui nido ſubjicitur, ſuffocando pennas agitat; quo auget incendia, pullorum ales incendiaria, buſtuaria parens.

 Alia

Alia Ægyptiarum arcana promiscuè insinuo.

Impossibile effingunt perambulantem super flumina: *Per apem* populum Regis studiosissimum: *Sincerũ*, per hominis cor, ori appensum: *Longævum* per cervum, quoad cornua quotannis renascentem: Per gruẽ, altiùs subvolantem, *Astrologos*, vel in sublimia intentos: *Ignem*, per fumum; *Cognitionem*, per formicam: *Doctrinam*, per cœlum roridum, *Vigilem*, per leonem apertis oculis dormitantèm: *Mortem*: per nicticoracem: *Immundum*, per scarabæum: *Senem Musicum*, per Cygnum: per Lyram hominem aliorum gratiam aucupantem: *Horas observantem*, exprimunt per horarum voracem, quòd hominibus cibi, statis horis apponantur: *Saniorem è morbido* per palumbum cum lauri folio, quo mor-

morbum propulsat, ceu victrix laureata: *ingratam prolem*, per Hypporeata: *ingratam prolem*, per Hyppopotamum seu equum fluviatilem, qui adultior cum Patre depugnat, an præpolleat: *cibum sanum*, per columbam, quæ impunè editur, dum lue infecta omnia: *Marem* per Vulturem; quia inter vultures mas non est; ex aere concipere feruntur: Per eundem funesta denotant, quod eò se convertant vultures, ubi futura clades, & ex cadaveribus alimenta: *Parem cum pari decertantem*, Scorpius & Crocodilus illis indicant, qui mutuò sese perimunt: *Hominem umbraticum*, formica cum pennis vespertilionis, quibus admotis ad nidum formicarum, nulla egreditur. Denique *cautum insidiis*, sepia piscis designat; quæ, ne capiatur, in aquã effundit atrum sanguinem, unde nec aqua perspicua, nec illa conspicua evadit. Hactenus Ægyptiaca.

Alia Hieroglyphica Arti memoriæ auxiliaria.

Imprimis Coronæ Deos designant ac distinguunt, nam fluvij coronantur arundine, Saturnus ficis, Bacchus racemis vel hedera, Charites rosis, Venus myrto, Minerva olea, Cybele turrita corona, Ceres narcissis, Hymenæus amaraco, nox & somnus papavere.

Secundò, insignia sunt quorundam discrimina. Sic Aquila biceps nota Romani Imperij, Aquila candida Poloniæ, Austriæ Fascia, Lilia Galliæ pomum aureum & crux oblonga Hungariæ, Bóëmiæ Leo, Sueciæ tres coronæ. Sic Amazonum pelta seu scutum breve, Clava Herculis, Fulmen Iovis, Tridens Neptuni, Thyrsus Bacchi, Caduceum Mercurij, Bilanx Astreæ, Palladis noctua & Atheniensium, Corvus Apollinis, Pavo Iunonis, Vitis Centurionis, sphinx Thebanorum, Canis Osyridis; Persarum, Aquila aurea: Daphnidis laurus, Consulum fasces & secures, &c.

Tertiò, Virtutum, Vitiorum, Artium ac Scientiarum, Opificiorum facile *insignia* offerent, ea, in quibus eorũ actus frequentior, vel instrumenta agendi; sic Geometram Circinus, Astrologum sphæra Cœlestis, Opticam tubus speculator, Gnomonicã solare Horologium. Rhetoricam aperta ubera: Sic opifices, eorum instrumenta, Reges sua insignia, ætates varius vigor corporeum distinguet Virtutum indicia, & plura alia Hieroglyphica dabit Masenius, Typotius, Petrasanta, Paradinus, & alij.

§ 6.

Ars Memoriæ in digitis traditur.

Quæ quis optimè callet ac meminit, *scire in digitis* ea vulgo dicitur. Nimirum ſcienda ac memoranda poſſunt partitò in digitos referri, quorum nativus ordo res ijs à memoria commiſſas diſtinguet ac refricabit. Quare memoriæ artem digitis hic committemus.

Primò, igitur certus fixuſq; ordo inter digitos, ac eorum articulos ſtatuatur, decerntatq; mens arbitra unde ducendum ſit initium artis, ex hoc enim ordine dependet memorabilium, tum recta ſeries, tum retroacta, vel arbitraria.

Secundò, res & vocabula mens diſtribuet, nativo digitorum & articulorum ordini intenta; etſi articulis

culis liceat nihil committere, cùm breve argumentum digiti comprehendent.

Tertiò, Quod in priori modo cellulis quibuſdam & loco incubuit munus, hoc idem digitis hic ingruet, per quos res ac rerũ nomina diſpergentur. Quæ quidem res ac nomina, vel ſolis digitis mens applicet, vel digitis nota aliqua diſtinctis; hæc autem nota tum digiti, tum rei applicatæ index erit vivacior.

Notæ hujuſmodi geminæ pro arbitrio utramlibet, eligere licet. *Aliæ notæ Arithmeticæ, aliæ rerum.* Nam ungui pollicis dextri mens imprimet unitatem: indici, 2; 3 medio; annulari, 4. auriculari, 5 pollici ſiniſtro 6, indici ſiniſtro 7, & ſic de cæteris intellige. Quodſi & articulos cujuſq; digiti ſic notare libeat nume-

numerus in ijs ordine collocetur. Et hæ ſunt notæ Arithmeticæ. *Notæ rerum* vel reales, ſunt ea, quæcunq; diſtinguendis digitis articuliſq; pro libitu appones. Sic in digitos referres, ſigna Zodiaci: in pollicem dextrum cæleſte arietis ſidus, in indicem vicinum ſidus Tauri, geminos in medium, &c. juxta ordinem ſignorum, rudi illo diſticho comprehenſum.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer Leo, Virgo,
Libraq;, Scorpius, Arcitenens, Caper Amphora, Piſces.

Licebit & alijs notis efficere digitos cum articulis, vel gemmis varijs, puta adamante, ſaphyro, Chryſolytho, Amethyſto, Iaſpide, Onyche, beryllo, ſmaragdo, ligurio, chalcedonio, carbunculo &c. *Licebit* metallis digitos diſtinguere, id eſt

eſt auro, argento ſtanno, ære, ferro aurichalco &c. *Licebit* arbuſculis fructibus, floribus diverſi generis. Primus ergo labor hujus artis diſcipulo incumbet, notas hujuſmodi impreſſas digitis, mente comprehendere, & internoſcere, ut ſimul ac cogitarit de quocunq; digito prædicto, ſtatim cum nota illi impreſſa menti occurrat, quod exercitio aliquot dierum obrinebit induſtria.

Quartò, in digitis ſic notá propria diſtinctis, vel indiſtinctis, niſi ſuo nativo ordine; aliquando mens reponet res plures, ordine recenſendas, nullá oratione cõprehéſas, v.g. plura negotia paragenda, vel plura monita aut imperia, aut ab hero accepta, aut ſervitijs ingerenda, ita, ut ſingula ſingulis digitis, mentis attentio tribuat.

Aliquando vocabula rerum ſic digitis

gitis tradentur, adhibitis rerum, vel vocabulorum imaginibus proprijs vel symbolicis, ut superiùs in primo modo tradidimus. Et quidem primo pauciores, puta quinque vel decem digitis affigentur dictiones, dein plures, tum in mediis, tum in radicalibus, summisque digitorum articulis, idq; tum externis, & suprà volam manus, tum internis. Ejusmodi vocabula vel erunt disparata, nec ullo nexu invicem cohærentia, vel connexa oratio aut breve aliquod Pöéma.

Aliquando Concio, vel Oratio, vel Historia, aut aliquæ narrationes rerum vel novorum, non quoad verba, sed quoad res & puncta digitis committentur, singula singulis: Vel exordio comprehensa, uni digito; alteri propositio, tertio & alijs argumenta varia Confirmationis,

& puncta refutationis attribuentur. Aliquando sola periodorum aut versuum initia, aliquando cujusvis periodi sensus, in digitos ex ordine conjicietur, si tantùm hoc subsidio memoria egeat.

Quintò ubi tuæ manûs digiti & articuli deficient, licebit & alienos mente assumere; vel certè qui novus etiam modus est, Personas notiores, in ordinem dispositas assumere & ijs singula ex memorandis attribuere, de quo mox dicetur, vel certè ad primum modum & dispositionem localem recurre.

Sextò, sic res per digitos ordine digestas facilè dices, quocunq; ordine dici quis velit Cùm enim rem vel vocabulum, cuique digito attributum teneas; perinde tibi erit vocabula recẽsere, ab auriculari digito atq; à pollice, vel medio, ducto initio.

§ 7.
ARTIS MEMORIÆ TERTIUS MODUS PERSONALIS.

Locali & Digitali memoriæ adijcio *Personalem*. Hic verò modus hôc tanrum à primis differt, quòd pro loco & digitis utatur aliquà Personarum ſerie, per quas vocabula, ac res memorandas diſpertitur.

Porſonæ diverſæ ſunto: plures vel pauciores; nunc hæc earum eſto ſeries, nunc alia. Fas aſſumere perſonas, peramicas, vel cognatas, notaſq; citra amicitiam vel cognationem. *Aliquando* cælitum ſacer Catalogus ſuis cum inſignibus, ſingulos diſtinguentibus: aliquando Dij veterum Deæq; ex appictis ſibi ſymbolis, ſeu inſignibus dignoſcendæ. *Aliquando* Oratores vel Hiſtorici, Mathematici vel Poëtæ, Theologi vel

vel Philoſophi cum nota aliqua diſcernente arti deſeruirent, necnon aliæ Perſonæ, in terris olim vel nũc inſigniores. Illud tamen, in Perſonis hujuſmodi, præter inſignia & notas diſc.etrices earundem juvabit, tum ad debitum ordinem rerũ memorandarum, tum ad vitandam memoriæ confuſionem; vel pro libitu, in certum ordinem ſeries quævis Perſonarum redigatur, vel per alphabetum ſingulæ collocentur. *Sic inter Deos Deaſq; hic ordo eſſet*: Apollo, Bachus, Ceres, Dryades, Deæ ſylvarum, Euina Dea infantium eſui præpoſita. Fauni, Hymen, Iupiter Mercurius, Neptunus, Orcades, Deæ montium. Pallas &c.

Poſtquam Perſonarum ordinem vis imaginatrix bene complexa fuerit, tunc primum vocabula vel memorandæ, in Perſonas ordine partiendæ

endæ, vel per proprias rerum ac verborum effigies, vel per ſymbolicas, ut prior modus artis iſtius modi edocet; Cætera huic modo, quoad diſpoſitionem cum prioribus duobus communia, & par eventus.

§ 8.
QUARTUS MODUS ARTIS MEMORIÆ.

Cui labor ille imaginatricis facultatis deſipit, quem triplex prior modus memoriæ ſubſidiarius depoſcit; is alia Mnemoſynes ſubſidia capeſſat.

Primum ſubſidium offert rerum memorandarum partita diſtributio, atq; exacta materiæ & argumentorum, finis etiam, quò collimat argumentum, comprehenſio. Sic enim adjuta memoria, rem comprehenſam faciliùs tenebris, quam verba non

non invita pronum eſt conſequi, pleraque audita vel tua.

Alterum ſubſidium memoriæ, à notis in chartæ margine adhibitis: hæ plus conferent, argumento dicendi conformes; ut ſi bellico argumento gladium è regione appingas: nautico navigia, ſcholaſtico librum vel calamum, ſacro crucem vel quidpiam agnatum; ubi ebrietas laceſſitur, Scyphum vel Herculis toreuma præfigeres, ubi convivia, Patinam Heliogabali; ubi felicitatem, Polycratis annulum &c.

Tertiò, antelucana vel ſomno prævia memoria præſtat. Nam nox interpoſita firmat reminiſcentiam, & quæ pridie tunc tenuiùs hæſerunt, meliùs poſtridie retexuntur.

Quartò. Qui totum aliquod argumentum memoria felici complexus eſt, ſufficit illi quandoque initia

tia periodorum, vel ubi aliquantùm hæret; notam margini adijcere.

Denique temperantiæ subsidijs opus est illi, qui memoriam excolit. Nam *temulentia oblivionis mater est noverca memoriæ.*

§ 9.

IN ILLUD HISTORICI.

In optimis, decet esse memorem.

Curt: l. 4.

Hic in abusum memoriæ.

Delectum amant etiam bona. *Melior, qui optimis ducitur:* nec bonis probrum est, præponi potiora. ubique id; sed memoria præpollet: dandumq; illi, quod optimum. Nemo thesaurum plũbo vel glarea ditat, dum auro licet. *At memoria* Tullio *thesaurus est*, & bonæ mentis erariũ. Pudeat, si Gazam hanc limus funestet; nec intus suum nomini con-

stet

stet pretium. Dignior hæc vis animi, quàm ut primis excidat, ne dũ in ima, aut fæda defluat. Miseret me illorum, qui præposteris mentẽ imbuunt, & quorum pudor sit meminisse! Et tamen sunt, *quibus memoria sic putet; nec thesaurus est, sed sentina.* Quidquid ex abdito proferant, *Tibullum aut Talassium sapit* totaque ab animo halat Venus, & aurium ac honesti pestes. Excidat memoria, qui talibus eam obruit, ac infamat.

Alijs vana eandem obtinent, & *nugæ Attellanæ*, quæ nec eruditum faciant, nec bonum civem. Adeò *nec voto vivitur vno*, nec discitur! utinam vel consona Personæ, quam gerunt; vel muneri ac ætati diligãt; aut ex veterum fastis actisque, in commune proficua, famæ dubia, memoriæ in cautelam inserant!

Darent

Darent his Lipsij, darent Aristotelis, darent Saauedræ Politica, quod in turbido Machiavelli limum trahit. Sapit, qui meliora in animum recondit, discitq; quæ pulcherrimũ sit tenuisse, seu Taciti arcana imbibat, quæ aulam informant; seu purior Pòésis mentem vendicet, aut sanctior codex Papinio datum, ut Roma olim edisceret, quod cecinit applauditq, sibi Vates ille, se se famâque gradior: *Itala me studio discit memoratq; juventus* Nec alios auctores rejecit complurium memoriæ quos in miracula memoriæ supra conjecimus. Ita illi munus hoc naturæ per pulchrũ traduxére, nec bibliotheca eguerunt, reconditis in memoria beati. Quocirca illud Curtij repeto: *In optimis decet esse memorem.* Ad calcem adjicio ex Aurifodina Drexelij aureũ illud Mnemosynon

mosynon *Parest* (inquit) *meminisse transacti piaculi, vt labis pœniteat: meminisse accepti beneficii, ut reddas: meminisse lethi, vt bene actis prævertas meminisse iudicii Dei, vt pertimescas; meminisse beneficentiæ Divinæ, ne diffidas: meminisse æternorum, ne per fluxa diffluas.*

§ 10.

DE ARTE OBLIVIONIS & OBLIVIOSIS.

Memoriæ vicina oblivio, & alternis invicem sibi subeunt, ut simul non cohærent. An artem patiatur aut velit oblivio, in ancipiti repono. Multis hæc ars inutilis, quibus scilicet natura est, esse obliviosos. *Calvisium vide*: is nec Priami, nec Ulyssis etsi quotidie repetitum nomen edidicit. *Vide & Amphistidem ac Melitidem*, non minori labe memoriæ par infame. Prior vix ad

quaternionem; alter non ultra quin que progredi numerando potuit. Apage cùm tali reminiſcentia.

Adhæc, Plinio *nihil æquè fragile in homine, ac memoria.* Nam *nonnemo* ictus lapide, literas; *alter* ex alto præceps, matris & affinium nomina oblitus. Imò *Meſſalæ Corvino* ſui nominis memoriam morbus ademit. Ita *facile malum eſt, nec artis eget oblivio*; nisi artibus addas temulentiam, quæ mentem enecat; & Tricongij, ac omnis Bibulorum ſeu ebriacorum familia, in hac ſchola eſt Princeps.

At neque vitæ hominum ars hæc idonea. Nam præteritorum immemores, prudentiam dediſcunt; futurorum, dubijs eventuum patent.

Multa nihilominus artem obliviſcendi flagitant, quorum memoria gravis. Hinc *Themiſtocli* fuit in-

votis, qui memorandi artem alio venditante, in artem oblivionis potiùs ſtudia & pretium effudit. Nulli tamen ſuavius hoc diſciplinæ genus obtingeret, quàm, quem noxæ mens conſcia, velut domeſtica Nemeſis aut Erynnis exagitat. Ubi riſum ille, qui ut hanc mentis lanienam eflugeret, oblivia ſceleris peregre quæſivit. Inviſit alium ſolem, ſolumq;, quaſi per hoc à ſeipſo diſcederet: jam à negotijs, jam à ludicris memoriæ interitum depoſcés; perinde acſi ſcelus excideret, quamdiu ſonticus auctor oculis obverſatur. Quid ergo? negeſne artem, pati oblivia! minimè. Aperuit ſcholam oblivionis Græcorum amniſtia, quæ præteritorum obliviſci jubet; artemq; hanc imperio docet. Ars inſuper quædam eſt, quorundã eſſe immemorem. Sic qui ultro in-

juriæ oblitus; traxit hoc à Virtute, quam facti arduitas arti destinat. Ars enim est fieri tam bonum, & Stoicæ quiddam apathiæ tunc præferre. Sic item terrenorum oblivio cælitus devocatur; nec facilè id scitur, sine magisterio Virtutis. Alia quædam è mente mora expungit, sufficitq; ad deterēdam eorum memoriam desiisse, nec mente revolvere semel eidem ingesta; nec lecta, oculis delibare.

SPECIMEN V.

Admirabilis Eloquentiæ ELOQUENTIA DUBIA

QUOAD PROBLEMATA CURIOSIORA.

NEc ista infrequens: sæpè enim anceps est argumentum; *pronumq; est in alterutrum ferri, cùm illuc*

luc ratio invergit. Nimirum, cùm dubia mentem distrahunt, fas est in utroque stylum figere, *donec è bivio lux aliqua educat.* Sed illud insolens quòd in comperto etiam sic audent ingenia. Adeò *promptum* illis, *etiam veritati vmbram falsi offundere!* Nullius fixè adhærent sententiæ, ne suæ quidem: retractant, quod paulò antè senserunt. Si absit, quem impugnent, *ipsi sibi arenam efferunt* & certamen. Et talibus nihil tam certū, quin illud ad incerti metas ingenio adigant. Nec exempla desunt; quis quis rem in ambiguis reponit, Problema statuit: *Sic iam problema est,* an sternutantt ideo bene precemur, ne sternutamentum noceat, ut nocuisse ferunt evoluta pridem sæcula: Cùm tamen Pistor suburranus Famiani Stradæ, causæ dissentiat. *Sic item* in problema revocatur pæ-

nè antea certum, *an Cometes sit malè præsagus*; nec malum omen ita stabilit Poëta asserens, *mutantem Regna cometem*; quin cometæ felicitas sit à Guinisio solidiùs evicta, Hæc ergo eloquentia sese in utramque partem librare solita dicendi methodum capiat & exempla.

§ I.

DIVISIO PROBLEMATICÆ ELOQUENTIÆ,

Duplex hæc eloquentia; *alia communis*, cùm vel in argumentum dicendi assumitur, in quo pronum sit pro utraque parte, ratione confligere: vel cùm in dubio positis, suspensam mentem, rationis pondus, nunc in hanc, nunc in alterã partem deprimit.

Alia est rarior, cum vel ibi in utrumque ire conatur Orator, ubi *alte-*

alterum ab ambigui metis certitudo discrevit; vel cùm possit, tamen conatus difficultatẽ super. At tale argumentum esset. *Si quis nives candore exuere velit*; seu si candidas neget, etsi oculùs vetet: Nam *oculo posset impingi error.* ut in plerisque; *aër enim Cæsii seu Cærulei coloris* à longe spesiem oculo imprimit, cùm tamen ejus coloris sit expers. *item per trigonum vitrum* colores pervenustè radiati videntur rebus inspectis inhærere, cùm tamen *pupillæ tunc illudatur*. *Sic in Iride* color discolor, qui apparet, nullus est ; sed solis radius in nube rorida tantùm refringitur. *Tale argumentum* etiam videtur illud, quod supra in Paradoxa rejecimus: *An restitui iuventa senio possit*; ubi in utramque partem disceptatum; uti & de illo: *An in aëri navigari possit*. Balde item Maci-

 lenti

lenti & obesi, *humili & Geryonis*, vel alterius è Gigantibus laudem aut vituperium pertexit. Atque hoc alterum genus Problematum rarius huic loco attribuimus

Adde Problema aliud esse Scholasticum, aliud Politicum, vel Sacrū: idque vel eruditum, vel secus. *Sic illud* fusè in utramque partem disquiritur apud Nasonem: *An arma Achillis Vlyssi, an potiús Aiaci debentur?* Item alibi, *An in bellis Iulium, an Fabium esse præstet?*

Modus hîc tenendus.

Problemata hujusmodi vel ingenij acuendi causa, vel etiam modestiùs exhibendi, Orator assumit: Nam tale Eloquentiæ genus ferme *ingenii opificium est*. Hinc modus, qui in ijs, tractandis est adhibendus ingenio inprimis committitur. *Inven-*

ventio argumentorum prævia ducitur à pari, ab opposito, à fortuitis, à congruo, à veri simili, ab analogia, ab eruditione. *Illud observa*, quod argumenta rei asserendæ applicita, non sit necesse, ut sint imperturbabilia, aut omnino convincant; sufficit, ut *aliquam veri speciem*, in re præsertim difficili *rebus affricent*, & probabile saltem efficiant, quod videbatur incredibile. Sic fieri tum alibi, tum in ijs auctoribus vides, qui ludicra quædam efferunt; ut *dū laudem stultitiæ, laudem asini vel pulicū*, & his similia quidam prosequūtur. Nempe licet & jucunda assumere in Problema; nam *comem ubique esse nihil vetat.*

Denique Elocutio ita rem coloret, atq; argumenta proponat, ut suspensum ingenio teneat auditorem & extorqueat modo tractandi

 assen-

assensum Ego duplicia proferam; Varia, & Politica, utraque rarioris argumenti.

§ 2.

PROBLEMATA RARIORA, ORATORIE DIDUCTA.

Ex plurimis aliqua hic tantùm; nec enim per omnia stylum fas ducere, quæ lector speret aut velit.

Problema I.

An Rosa ante piaculum Adæ fuerit spinarum expers?

Asseritur fuisse.

Rosam, id est, *hortorum sidus*, florũ principem *exornare* nefas, post naturæ penicillum; *exarmare potior videtur labor*. Obarmant illam aculei, & spinarum satellitium horrore nativo circumstat. Sed semperne sic in armis extitit plantarum regnatrix

trix! etiamne regni & ortûs primordia, sub ipsa mundi cunabula, senticeto fuere horrida! *Ego iniuriam rosæ putem*, si eam tunc vepribus caruisse negem, Nihil illi tunc cum dumis horrentibus, cùm *sola venustatis exordia* conderentur. Innocẽs adhuc ævum, & *expers malorum viguit ætas, quam nec sentibus temerare licuit*. Primi hæc fuit pæna piaculi, quod omnia in hominem armavit; adeoque *tunc primum sentes, cùm & sontes*; tunc primùm *in armis rosa, cùm læsa innocentia*. *Puduit post hoc vulnus reginam florum hanc inermem incedere*. Numine lacessito! *O primum scelus, quantùm vel hortis nocuisti!* At antea *quò essent* spinarum munimenta, *cùm hostis deesset!* quò *nativa in flore tela*, cùm nullus adhuc manus & arma distringeret? An *rosa tunc etiam pungeret*, cum

nihil esset, quod compungeret. an tunc etiam in sentibus esset *cruenta, cùm necdum bella scirentur*, aut vulnera? Sed nec istæ, quibus cernimus muniri rosas, spinæ, primarum sunt indicium. Nam etiam *naturæ opificio quadam, per intervalla mutantur*, & primæ origini aliqua superaddũt. *Aliter*, nimirum *se in lucem* post *proferunt, quàm primò cæperint*. Monstra inter nascẽtis mundi genethlia nesciit tellus, nec naturæ fæcunditas protulit, quæ tamen postea serò emersere. Sol diu putatus sine maculis; quas tandem è naturæ sinu prognatas agnovimus. Vitrum cùm ars & natura conflet, serò ad id sæcula erudiit. Nec pænæ præeunt, nisi piaculum sit quidam prodromus & anteambulo, qui tamen abfuit, cùm conderetur Rosæ venustas. Tum demum spinis hæc horruit, cùm

cùm primum orbis flagitium, etiã hanc pænam hortorum exegit in hortorum plantarumque Principe. Deniq; *Basilius pro hac Rosæ gloria decertat* Ut plures alij primò nascenti huic florum vernantissimo spinas demerent; *Basilii calamus persuasit*. Et sanè *tutò creditur, quidquid ex hoc prodit oraculo*, Valens etiam *Orientis Imperator* illud reveritus ac scribere *contra Antistitem tantùm prodigio vetitus*. & pudeat si *contra Magnum minora quid audeant ingenia &c.*

Rosa nusquam spinarum fuit expers.

Basilio primam potiùs quàm spinis horrẽtibus tutelam debet Rosa. Hic ille *regnum venustatis* tribuit *absque cognato sentium horrore*. Sed *Basilio bilem non movet veritas*, si se aliter, quàm venustior opinio ferat, in lucem

lucem proferat. Stat hæc pro Rosarum aculeis, *qui si primò* obfuerant, prodjissent nunquam. *Scilicet rubus* & aculei tunc primum opificem numinis manum lassarent, cùm quies ab operum novis placuit! *Quid verò* spinis cum crimine, aut rosis cum innocentia? Ergo in pænam piaculi armatur sentibus rosa? cur non etiam nativo colore exuitur! *quod risæ crimen*, cùm homo se scelere obstrinxit? aut si insontem etiam hanc plantam alienum scelus supplicio addicit; cur non *idem lugere coguntur lilia & narcyssi, & tota Floræ familia*? quod si hunc potiùs florum ocellum aliena labes deformat; *cur arboris crimen saltem impune*, nec arbusta plectuntur? Cur item, quæ ante mollior ornarat indoles, crimen humanum non asperat? nec ceram durat in lapidem, aut

aut mella acore non temperat! Equidem *non est pœna recentior*, quod natura exigit semper. Nullus unquam inermē à sentibus rosam vidit; nec id altēri, quàm naturæ tribuitur, quæ semper eadem. Sanè ignis vim urendi ab ila accepit, non scelere, semperq; eam retinuit. *Nec dedecus ullum à spinis regnatrici Plantæ, vt nec ab armorum Satellitio regibus.* Locus item ille & immunis à piaculis ætas, non spinas horrebat, sed vitia. *Imò manus in venenis exitium*, quæ tamen tulit innocentia. Serpentis etiam virus prius hominis nexa fuit. *Insuper idem penè sunt Rosi* nativa spicula, quod histrici, seu eritio telis instructa chlamys. Utrumq; id naturæ munus est, quod semel datum, retentum semper, atque adeò his etiam Rosæ *decus est, & tutamen in armis &c.*

Pro

Problema II.

An Phœnix unquam extiterit aut existat?

I. Phœnicem existere negatur.

Quibusdam esse dat auctoritas, non natura: Sunt, quia putantur esse, & dicuntur: linguæ aut calami dant illis, quod vivant; ut etiam aliquos *musa vetat mori, etsi mortales.* Nempe *fides dicentium* consulitur, non veritas? Atqui *non sola Pallas prognata è cerebro, sed tot etiam pulchra commenta.* Inter hæc Phænicem repono, id est, avem, in cujus originem & fata certatim prodigia congerũtur. Quid enim? asserunt *alitem hanc velut ex se natam, cinere obstetricante.* Parentem alium non nôsse, nisi se ipsam & busti vitalis cinerem.

rem. En ut Divinum quiddam illi transcribitur, & quædam (ut Scholæ loquuntur) *aseitas! scilicet cinis*, in quem se fessior longa ætate ales redigit, *sepeliat vitam, simulq; reparet!* Concludat eandem & inchoet, quasi vitale quidpiam favilla exanimis, & rogus ille primi Phænicis gerat. *Ad Mythologos talia*, & Æsopi auctarium, pudeat tales historias texere, qui verum amant. *Quod verò in quinque secula* Phænici vitam prorogant ejus authores, nec id primò prodigio verius. Quis enim hunc annorum numerum inijt? quis primo? quis altero deinceps seculo retinuit in veritatis tutelam, & longioris æui experientiam? Ergo illum tamdiu casus prætereunt, qui in casses vel fata præcipitent? Non ergo prædæ, non aucupio, non telis obnoxius, quæ perimant! Ergo *fata*

ta ultro *taudem eligit Phœnix, quæ tamdiu horruit*, & natura prorſus refugit? En quot in miracula ſibi fidem abrogant! *Pares in obitu fabellæ* Arbuſculas odoratas, ajunt, grandæva hæc ales colligit, & Arabum corticem, quem ſolis radij in fata accendant. *Hoc Phœnicis Feretrum*, hic rogus, in quem ſeipſum damnat & deijcit, nec ſe flammis volatu eripit, ipſe *ſibi fatorum auctor pollinctorq́*; & ſibi mox ſuperſtes. *Inſignia commenta; hoc felicia, quod ſibi fidem apud complures reperiant.* Sed deſtruit illam plurium mecum ſenſus *Equidem Geſnero*, Aldrovando, Deuſingio, *mera fabula videtur, Phænix: Plinius dum fluctuat*, an inter fabellas eum referat; non audet famæ garrulitati credere: *Tacitus fatetur*, ſe plura de illo promere ambigua: *Forerus* è cinere tam perfectum animal

mal

mal gigni poſſe diffitetur: Pulicum hæc & inſectorum tam vilis origo. *Denique Schottus*, & Stengelius è rerum natura proſcribunt Phænicem, *cui fabulæ vitam dederint.* Ego *nulli ſæcula Phænicis precor, ſi vera vivere velit.*

2. *Phænicem exiſtere aſſeritur.*

Sunt qui Phænicem fabulis accenſent, eò quod de illo mira ferantur; *quaſi fidem ſubruant miracula naturæ. Variat illa, nec unum decus inter alites profert*; in hoc etiam admirãda, quod *multiplex, & decorum fœcunda.* Sed origo Phænicis diſplicet, quaſi in Divinam involet. At *quidnam Divinitatis eſt gigni ex cinere!* Quæ mihi aſeitas in eo, quòd è buſto unius alius Phænix novus evolet, ejuſdem nominis & nidi hæres!

Quod

Quod si favillæ extincti tanta negatur fæcunditas, quæ Phænicem pariat; at *homo etiam primam originem ducit à pulvere*. Sic ergo cinis illius alitis credatur sterilis, alibi tam fæcundus! *Facilior* hæc origo, *quàm ex vento seu aura posse concipi, cùm tamē sic* vultures, sic rubellio piscis, sic perdices, sic equile Lusitaniæ gigni prodantur. *Quid cùm aves Britannicæ* è putribus lignis mari injectis, *aliæ è foliis* à trunco deciduis in occidentis India nasci feruntur! At plus in cinere vigoris ignei ad fætū, quàm in putrescenti inter fluctus ramo vel folio. *Leviùs ferit*, quod *ætatem Phænicis* nemo expertus asseratur, Sanè multorum ævum productius non aliunde, quam ex vulgi sermonibus constitit. *Nemo cum Nestore tantundem vixit*, vel cum illo trisæcli sene; tamen anni Nestoris

in

in ore & votis omnium, nec ullus de numero annorum dissentit, quē alijs sibique crebriùs vovet. Scripto item creditur, quod de primâ ætate hominum seriùs provecta credimus. *Quòd verò ipse sibi funus instruat Phænix*, sibi bustiarius *non ille se se at ætas perimit*. Si volatu se à funere flammisque non vindicat, in viriū id languorem refer, ævo nimium. *Imò frustra est volatus contra fata cùm pennæ non sublevēt, dum lethum deiicit*. Sed nec aliter, quàm busto interit cui favilla reddit Nepotem. *Illud de Plinio* non feram, quasi hæreat, cùm de Phænice agit; quem aquilæ parem, auri fulgore in collo radiantē, cætera purpureū cæruleis pennis roseas distinguentibus, cristatum in Vertice *haud hæsitanti* similis dicat. Alij *in opposita pronis oculos* oppono, *quibus maior in dubio fides, at spectavit*

Ægy-

Ægyptus Phœnicem Qu. Plancio, & Sext. Papinio Consulibus: *spectavit Roma* sub Claudio, si Solino credimus, spectavit *Heliopolis*, si Æliano. De ætate nemo discrepat, quingentorum annorum ævum maximè vulgatum est; quòd ad plures annos à quibusdam protractum, quingentos non minuit aut negat. Vivant tot sæcula hostes etiam Phænicis, qui post illa *spontè crematur, ut redeat, gaudetq; mori fest nus in ortum.*

Problema III.

An Remoræ Piscis, seu Echeneidis vis in naves retinendas sit ulla?

I. *Asseritur hæc vis Remoræ.*

Remora nos tāntisper teneat: nec enim in navigia tantùm illi vis inest, verùm & animos stupore defixos tenet *etsi minùs virium poscitur,* ut

ut hi ad id naturæ miraculum attoniti cogantur subsistere, quàm dum Argo vel grandior oneraria tenenda, & remis velisque obnitendum. Et tamen *hàc* vi pollet echeneis, nec moles navigiorum, aut ventorum violentia præpollet. Sat est carinæ subtus affigi, jam anchorâ nil opus ut *stent in littore puppes*, vel peregrè extra littus. Nihil Æoli furor, nil tumor carbasorum, nil remigantium labor proficit, dum Remora moram imperat, & cursum Liburnicæ intersistit. *Cubito vix maior hic invasor*, & tantùm audet patratque! Quanquam *non obstat exilitas, quæ & alibi maxima præstat.* Nam & *mus elephantem percellit*, caditque animo tam vasta bellua, si hunc opponas: *Et una silvam sæpiùs eruit bipennis*, & incendia, quæ Vesuvium referant, vel ardens Ilium, scintilla excitat.

Id

Id verò Remoræ robur à natura inditum est, quæ vires cum rerum discrimine dispertit. Ventis datum, ut navigia impellerent; Echeneidi, ut sisteret. Hinc nomen Remoræ traxit, quod *facta consentiant*. *Experta id Argonautica*, & compertis fides habenda. Nam *temerarium est negare vim, quæ sentitur*. A classiarijs, quibus subita navium mora hinc sæpe gravior, Scriptores id hausere runt, unde *fama in omnes manavit*. Quisquis dissentit, fidem jam communem audet refellere.

2. Remoræ vis in naves negatur.

Nova in aquis miracula finguntur, & fides in nautas rejicitur. Scilicet *Remoræ inde nomen*, quòd cursum navigij retardet ac moretur. Mihi equidem ut res, sic & nomenclatio ab

ab arbitrio videtur exprompta; & si quæ uspiam, *certè hæc Onomatopœia est*, *seu fictio Nominis*. Hærent quidem in vado naves, hærent in scopulis, hærent in balænis, hærent in anchora vel portu; sed quando in Remora? *Sistare* contigit; *habes iam* quæ hærere cum mora cogant. *Quid si* idem in remiges refundas, quorũ in remigando languor, aut si ludicra placuêre, contra nitentium vires navem in medio relinquunt? *His adiice* maris æstum, qui in freto Siculo etiam ventis adjutas naves detinet ac remoratur. *Ad hæc superat* vim Echeneidis tantus in retinendo labor. Nec tricubitali concesserim, quod ulnari huic pisci credulitas inditum tuetur. *Plus virium est*, in Mioporone, quàm in *remora vt superet*. imò non sola tunc Liburnica moram oppugnat; sed Æo-

oli ſuppetiæ, ſed remigantium lacerti, & vis *Argonautica*. Multum eſt, ſi per anguillæ *piſciculus rideat horum omnium vires, iiſq; ſub carina inſultet*. Porrò ſi tantas vires tenuitas tanta capit, dum in fundo *claſſē hic admordet minor Cynegyrus*; cur non intus, ſeu in navim exceptus advena vim parem oſtentat? atqui Remora *in Claſſem Caligulæ* primò, deinde Antiſtitis in Vaticana purpura Turonenſis recepta, nil more Claſſi intulit, *velut ſuo nomine exuta, & viribus*. Denique antiquis id nomen etiam incognitum, ne dum vires; aut certè *intra dubii metas*, at recentior ætas intra fabellas id reponit. Scripſerunt nuper de Remora Athanaſius Kircher, & Gregori-Schottus, & hanc vim illius ceu commentitiam exploſerunt. *Vide, quid tu poſt tantos* Auctores de hoc argumento non temere decernas.

Problema IV

An mundus in Vere conditus, an in Autumno?

1. Pro Autumno decernitur.

In mundi incunabula inquirimus, & tempus, quod è quibuſdam nihili faſcijs eundem evoluerit. *Autumnus & Ver id laudis ſibi arrogant*. Pulchra, ſed nondum liquet: an juſta utriuſque contentio. *Parum eſt diſſenſu confligere, niſi ratio dimicet ac dirimat*. Ubi hæc vicit, lis omninò profligata. Arbiter litis vobiſcum ero, Auditores. inter certamina rationum.

Sunt, qui Autumno id decus aſſerant. *argumentum è Paradiſo* ducitur, in quo *cùm arbor ſcientiæ* viruerit, & argumenta naſcuntur. Ibi

verò ipsa fructuum maturitas sub prima rerum exordia rem decernit. nec enim vesci poterat Primus ille conviva, *tunc nisi bellariis*, quæ ab arbustis mensa acciperet: ut proinde non non vernasse tunc primùm floribus arbores, sed fructu grauidas palati mensæq; delicias ministrasse crediderim. Sufficit vel unius pomi meminisse, quod *humanæ gulæ ludibriũ fuit*, cùm oculos primò, dein temperantiæ leges vicit, etsi *sub picto cortice maturum virus* tegeret. Et verò an Conviva ille geminus accumberet mensæ adhuc esui intẽpestivæ si temperantia in prima arbore placuisset? At si tunc maturitas fructuum in arbustis; *Autumni hæc indicia nullus negavit Alcinous*. Nimirũ structor operis mensæque illius non alius, præter Deum, qui an quæ prima molitus, non ex asse perfecta conde-

conderet? Nec tamen Autumni extrema vel media velim nascentis mundi genethliaco beata; sed initia, quæ & de æstate multùm, & de vere plurimum retinent, suntque utriusque compendia; ita, ut nec æstivus vapor tunc immodicè adurat, & verna pænè temperies mirè deliniat inter vindemiam gaudiorum. Quare *Autumnus Princeps temporum esto*, & quidam mundi conditor, primusque spectator.

2. *Mundus in Vere conditus.*

Ver primum in orbe, & annorum mundique auspicium fuisse, mihi compertius; quod mille sanciunt argumenta. Amænitas Verna primum esto, quam nascentis universi quædam infantia poscebat. Nam *efflorescere tunc omnia decuit, non de-*

 flore-

florescere cum Autumno, in quo marcent paulatim omnia, *rami defluunt*, & in quoddam senium arbusta declinant. At vere primulo vel adultiori, & aura mollior, & hortorum fragrantia, depictæque floribus areolæ, & mites solis radij, & tepentes Zephyri gratiam tempori adspirãt. Ver certè

- - Ver illud erat: ver magnus agebat
Orbis,& hiberni parcebãt flatibus Euri

At nec matura fructuum, Ver refugit; idque omnino quarundam regionum poscit felicitas, quibus ver, quidam simul autumnus est, si fructuum ubertas poscitur. De Paradiso proniùs id credas, qui habuit, quod nullus uspiam hortus vel *bifera quævis tempe fructumq; pro floribus dedit.* Alibi tamen nascente mundo vernare cæperunt omnia, & horti primo in flores vel gemmas turge-

turgescere. Hinc Pomum illud mundo fatale Paradisus obtulit, nõ horti alij quoad fructus adhuc immaturi. Accedit complurium auctoritas, veri amica. *Senè Palestinæ Synodus* primum mundi diem Martio transcribit. *Tunc primum* etiam Orbis piaculum Deicidio expiatũ, *& ligno parricidali* reparata funestæ arborrs damna; adeoque idem mundi conditi, qui & reparati dies. *Quid, quòd Martius* Mensium Princeps diu habitus, & hucusque decimus ab illo nomen December obtinet? ergonè alios annorum inchoâvit Martius Veris auspex, non primum orbis conditi annum? *Ver omnino sceptro temporum gerit*, & regnum id continuat, quod ante Autumnum cæpit &c.

Problema V.

Vbi ſol primò conditus, in noſtro, an ſubterraneo Hemiſphærio?

1. *Pro noſtro diſſeritur.*

Solem dicimus diei oculum, cui terra ſpectandam ſe obijcit. *Viliori quidem hæc digna oculo*, ſed tamen ab illo ſpectanda, cùm nihil inferiùs ſit quòd ſol deſpiciat. At idem *ſolis radius quàm in terras beneficus*, qui in miros germinum fætus eas fæcundat? Hic prata ridere, hic lætas ſegetes facit, hic auri venas hic fodinas aperit, hortis amænitatem, animantibus motum, lucem omnibus impertitur. Quæ verò prima tellus diem cum ſole accepit? noſtra, an quam ſubiecti nobis calcant Antipodæ? Pro noſtra Europæi certant & Aſiatici, & ego *à ratione ſuppetias fero*. Homini lux ſiderum parabatur, at hæc ora hominem prima accepit; an ergo non ibi apparatus hoſpitalior inprimis & prima ſolis beneficia, *vbi Civis Mundi idemq́ olim ſiderum hæres* condebatur? Quid, quòd hæc terræ portio illuſtrior, ádeoq; dignior, cui prima ſeſe lux infunderet? Hæc illa eſt, quam Deus Incola Cæleſti Regiæ tantiſper prætulit ubique Deus, in terris Homo: *dignam ut prima ſolem viderit, quæ prima ſpectârit in Carne Deum*. ubi enim potius ortum auſpicarentur cæli lumina, quàm ubi luminum Parens; *quem etſi celârit nubes corporis, facta prodiderunt*? Deniq; in hoc, quem incolimus, Orbis hemicyclo quæque ſummum obtinēt: Hic prima Divorū notitia, hic æternorum magiſteriū, hic tot Divorū agmina patriam fixêre, hic purpura tot

tot Martyrum, *hic lil ati Equites*, hîc laureæ Doctorum, hic Scientiarum augustal? *quidni sol etiam primò aspexerit tot gratiarum regiam? &c.*

2. Sol Antipodis priùs illuxit.

Solis investigamus cunas, & Antipodis illas voto præripimus. Sed parum interest, quodnam Cælum primò solem tulerit, nostrum, an suppedaneum. Neutri cælo id auget aut demit fastigium; nec terra hoc felicior, quòd solem prima viderit Orientem. *Sole præfestino haud tantopere egent per sese illustria*. Etiam *in tenebris præstant, quæ præcellunt.* Illuxerit ergo primum solis diluculum orbi subterraneo; adhuc sua nostro cælo dignitas constat, nec modico alibi lucis præviæ intervallo adimitur, ut nec eunte sub terras sole quidquam ei decedit. Sic enim *parti-*

partitò terris lux obvenit, & *cui sol Vesperi aufertur, mane redditur*. Idem alternâ dierum noctiumque seriè contingit, nec diem cælo infero invidemus, ad nos rediturum cum aurora Neque absunt, quæ Antipodis suffragentur, ut *quædam solis crepundia* illis tribuas. Equidem vespera & sequaces noctis tenebræ nobis incubuerant, cùm Sol conderetur, innuit sacratior pagina: alibi ergo manè & diluculum præivit; nec alibi, quàm sub nostrate solo, quod terimus, at ubi priùs diluculat, ibidem primitiæ diei solem inprimis requirunt ac reponunt. Nec Antipodis illum præripit livor. *imò nec ullus tunc adhuc spectator aderat, qui Antarcticis id invideret*, aut Arcticum cælum posthabitum cum Boote suggillaret. Majus id, quòd sub nostrate cælo dies ultimus mundo

do tot ſpectatoribus illuceſcet, quàm quòd primus alibi, nullo adhuc ſpectatore &c.

Problema VI.

Exſtetné adhuc Paradiſus voluptatis?

1. Non exſtare contenditur.

Paradiſus mihi mentem vellicat, *calami & votorum argumentum*, tantò dulciùs, quod voluptas in eo locum nomenq; fixerit: tantò acerbiùs, quòd *iacturam illius ferre cogimur*. Loci gratiam non eſt hujus loci depingere. Nec Apelles exſtat, cujus artem id non ſuperet; & notior citra pigmenta eſt ex jactura. *Fabula ſunt Alcinoi vel penſiles Semiramidis horti aut Theſſala Tempe.* Ubi fuerit, in aperto relinquitur: *an exſtet?* *inquirimus*. Abolitum, certiùs pleriſq;

riſque; atque id urget eluvies illa, quæ terras omnes naufragio ſorbuit, perijtque tunc, quidquid volupe natura & ars molita. Montium jugis ſe ſuperfudit communis hæc procella *adeò exundaverat ſcelus, quod cataclyſmo & poſt Deucalionis aquis eguit*. Sanè ſi Paradiſus in terris viruit eò uſque incolumis & ſuperſtes, eluvio illa vidit naufragum: niſi vel ad globum cæleſtem Lunæ Paradiſum efferas cum Rabano vel Lombardo, qui *illuc eum calamo extulerunt*: vel ultra mediam aëris ditionem cum Toſtato, *ad quod* utrumque *cunctatur fides*. Equidem ſi terris ſuperſtarent, *ſpectari hæc alta poſſent*, uti & cometæ; vel adiri, ut ibidem ſita Montium cacumina, ubi Abulenſis Paradiſum defixit. *Adhæc qui* Meſopotamiam vel Armeniam accolunt, propiores creduntur illi

hortorum delicio, quod tamen nusquam repererint. *Inde Euphratem* & Tigrim manare didicimus, qui uti que à cælo vel aëre labentur: at nec in terris ad horum fluminum caput quod Paradisus obtinet, pertingimus. *Quod si* homini condebatur illud hortense prodigium; Pulso indidem nec redituro homine, cui tot sæculis superesset? Neque Enocho ant Eliæ cessisse id loci dixeris, nisi diluvio Enochum enatasse putes, aut Eliæ aliquid reliquum è nau fragio terrarum enatasse. Potius hi æmulum Paradiso locum incolunt post illius ruinam; cui tamen idem nomen ex voluptate conveniat, etsi *aliæ insint opes & voluptas. Nullus* igi tur *in terris Paradisus: alibi illum, mortales, quærite.*

2. Ex-

2. *Exstat Paradisus.*

Ergoné adhuc in Paradisum injurij sumus? *olim illum primigeniâ noxâ fœdavimus*; nunc *calamis* illum *è rerum natura expungimus*? Nec argumenta injuriam excusant: leve id, quod Paradisum nemo viatorũ reperiat, nemo Cosmographorum in tabula defigat, vel si reperias, a*ditu Cherub prohibet*. Habet suas excubias locus ille; nec alias, quàm Cœlestes: has, quia humana vis non superat, nec loco potitur, qui Cosmographum latet. Sufficit illinc semel proscriptum esse; *proscriptis illuc non patet reditus*. Etiam hæc primi *piaculi pœna est, non posse regre di, unde exulat*; & accessus labyrintho quovis est intricatior. *Culpa plectitur loco penitus inaccesso, non abolitâ*. Nec Americam ullus adijs

ante

ante Columbum, & tamen hæc sub terris exstitit. Sed *neq; diluvio quidquam licuit in locum innocentiæ.* Eluvio illa in fonticum terrarum scelus desævijt, quod tamen hortus ille sanctior pati noluit. Si quid injuriæ loco illatum per intemperantiam Adæ, *mulctavit crimen exilio, maluitq; esse sine incola, quàm sine innocentia.* Quanquam nec incola deest, Enoch & Elia receptis, quos in extrema retinet, & vitam illis etiã ligno vitali prorogat. Denique tenuiora quædam diluvio ac tot ætatibus superstant; an opus illustrius summi Opificis extra temporum injuriam non esset? Sanè *Hipponensium Antistitum gemma & capax* Catholicum id dogma censet, *nec illi videtur certius, exstare Paradisum, quàm cœlum.*

Problema VII.

Sitis, an fames intolerabilior?

De utraque differitur.

De Fame

Sitim cum fame committimus: *utra gravior*, nemo discernat meliùs, quàm qui utramque aliquando pertulit. Mihi *fames* imprimis *nocentior.* Sevior hæc, hostis; ut quæ inter cruciatus sæpe enecat: *at sitis neminem adhuc extinxit.* Superat quo uitæ discrimen aditur, quale init diu famelicus. hinc si famescenti æquè ac sitibundo âlterutrum offeras, vel qùo diuturna fames, vel quo sitis in æstu levetur; præ haustu, seu arentis palati delinimento vita potior ducetur, *si ratio sit pincerna*; cibumque eliget. Quod si non tam damna conferas, quàm

tormenta, adhuc gravior diuturna inedia, quàm brevior ſitis. Quò enim illa jejunum non agit? quæ cibaria detrectat latrante ſtomacho? *Morticina illi perinde atq; Ionicus atagen*: canina, vel felium cadavera *pro Gallina Numidica*; ut omittam fœdiora, quæ fames avidiùs in obſonium rapit. Quin & *crudeliorem Thyeſteâ culinam* quandoq; eligit, elixis etiam liberorum artubus, & aſsâ materni uteri prole in ſui cruciatûs lenimentum. Denique à fame longiùs tormentum; ſitis breviùs urit, & paucioribus horis tormentum admovet quod tandem ante pocula hauſtumque ceſsat: fruſtra à tali remedio vel mora famelico ſatiem ſperes.

De Siti

Eſt tamen, *quod in ſiti acerbius putes.*

tes. Igni hæc ſimilior, qui gravior inter tormenta nec Phalaris aliter, quàm à tauro igneo tyranni nomen deduxit. at inter ignes vita etiam moleſta, & mors inter beneficia. Neque brevior *mora malum lenit*. Non diu ſitiit Thracum Princeps Liſymachus, cùm tantillum aquæ emere ſitis compulit, regni & libertatis jactura minorque viſa hæc, quàm palati brevior cruciatus. *Tantò venalis aqua eſt in ſiti* vel modicâ! Adhæc febricientem vide. quid huic alij dolores *præter arentem linguā*? quid ignes ipſi febriles, quibus totum uſtulatur corpus? graves quidē hi ægro corpori, ſed *vincit vnica ſitis*: hanc reſtingui, *huic* ſoli *frigidam depoſcit*, dolorum ac æſtus latiùs diffuſi immemor. Quid verò potator & *Trycongii aut Diothini nepos*? Famem hic non reputat, dum non ſitiat

ſitiat. nempe *vivere illi perinde eſt ac bibere*; & in fame unicum agnoſcit malum; at verò ſiti adurente fauces, bis miſerum ſe ſentit, bis ſitit, nempe & ab æſtu faucium, & ab inveterato potandi uſu, niſi morem expleat uſus Nimirum ſi etiam inter pocula ſitit in immenſum, & *Madidus ſe Tantalum putat*, quid non perſentiſcet extra pocula? Hactenus de ſiti & fame, tu cùm utrumque experiêre, uim utriuſque, experimento definies.

§ 3,

PROBLEMATA POLITICA ORATORIE DIDUCTA.

In his nolo videri potior, nec Civilior polities id ferret.

Problema Politicum I.

Quænam Imperij forma potior? Monarchia ſeu vnius regimen? an plurium ſeu Ariſtocratia, vel Democratia?

1. *Monarchia præfertur.*

Princeps mihi ſemper *potior* viſus, *ac vnius imperium*; nec mihi tantum, ſed omni retro ætati, ſed rationi, quæ regna vel abrogat, vel confert. Vetuſtatem aſſerunt faſti temporũ, qui Regum regnorumque ſeriem pertexunt, & retinet dignitatem vocabuli ætas recentior. Aſſyrijs & Perſis *ſub Principe ætas aurea*: Macedonas idem protulit ad Indos uſque nomen, & adhuc Alexandro id orbis invidet. Etiam *Roma primò ſub Regibus*. Quod ſi poſtea regios faſces repulit, iterum tamen ad unius imperium eſt devoluta. *Reges ante adoravit, nunc Cæſarem, in quo nomen aliud, ſed eadem unius poteſtas.* Et ſane

nè *omnia referai ad unum, pacis interest*. Multorum regimen, turbarum fax persæpe est & origo. *Meminit Roma Triumviros*, & *septimam Marii purpuram*, propter optimates cruentam. *Nec Decemuiratus ibi melior*, quem ultra biennium non sustinuit, maluitque citò absolvi leges, quàm diu tot Reges dominari. Nimirum *si unius acta solium gravant, plurium non relevant*. Nec alibi non *nocuit divisa in plures Dominatio. Duodecim Palatinos* in gubernacula *semel* adhibuit Polonia; *nec unquam posthac* experta, cælis tantùm Zodiacum duodenis sideribus illustrem convenire, quæ anni curriculo moderentur. *Exemplis accedit natura*, quæ Regem commenta *in apibus*, utique unum; Elephantorum item celsissimus agmen cognatum ducit: Supremum item Cælum minores infra

infra se globos in gyrum agit raptatque. *Quin nec Deus sceptri consortem patitur*, unus omnium Princeps, nec aliud regimen paritur Cœli Regia & mundi totius dominatus. At *norma imperii non melior* ulla, *quàm Divini æmula*: optima, quæ ut Deus regit. Quod si iactura libertatis metuitur sub Principe, major est sub plurium gubernaculis, quibus obstricta libertas. Ubi enim reges absunt, sunt leges & Magistrâtus, quibus pareas, quod unum libertas horret: & dominantium numero augetur servitus, ac pro uno Principe tot heriles animæ obtrudũtnr. Neque in tyrannidem proclivis est unius Principatus, quem regna tam diu amant coluntque: imò *multorũ potẽtia uniùs dominatu còërcetur*. Insuper sic Deus Universi Princeps imperat, sic Romanus orbisq; Antistes

ſtites; & *regiminis forma probatur.* Denique *diviſum imperium rariùs bene còaleſcit. Vnus ſol, vnus Princeps eſto. &c.*

2. *Ariſtocratia vel plurium regimen approbatur.*

Contra Principem non arma, ſed calamum aliqui diſtringunt. Sit ille in cælo, inquiunt, at non in terrarum imperio. *Aliud terris ingenium, aliud in cœli Principe. Sæpe corrumpit, quem ex hominibus* ſic *erigit fortuna. Ante purpuram multi ut Numa: in purpura, vt* Nero. ut talem ſpectes, ſolitaria poteſtas facit, quæ *furorem, quo detonaret in hoſtes, non rarò amolita in Cives; meliuſque illi oluit occiſus Civis, quàm hoſtis.* Habeant ſanè elephanti ducem: ſuum regem circumvolent apes, quaſi apum vel belluarum imperia ſint noſtris conferen-

ferenda. Imò omnia pænè animantia non tam alieni jura imperij, quàm libertatem ſequuntur. Quod ſi *vt ſidus in cœlo, ſic Princeps in imperio;* non aliter dominantium numerus regnis officiet, quàm cœlo ſiderum. Sed *duos*, inquies, *regnum non capit, ut nec patitur duos ſoles Olympus.* Roma te refutat, quæ conſulare cepit imperium ex ſingulari duplex, Placuitq; idem tot ſæculis, *ne poteſtas ſolitudine corrumperetur.* Nec ſi plures cœlum ſoles gereret, exitium terris cæloque timeretur. Adhæc ſi onerat honor, levius plures humeri id onus ferent. nam *molliùs incumbit moles prægravis, per valentiniores lacertos diviſa.* Nec plurium ductu turbatur regimen: imò idem cogita, quod in horologio, cujus motũ, unius rotæ circumactu haud perfici vides, quem multiplex rotarum or-

 do

do efficit. *Quid quòd* ſic ad Reipublicæ uſum ſe plures aptabunt, ingenia excolent, militiam ſtudioſiùs proſequentur, quò ſe ſe civibus probent, a quibus *virtuti ſuffragia parata* ſciant, *non vnius liminis anguſtiis incluſa*? Quare pluribus velut baſibus Reipub. gubernacula fulciantur. &c.

Problema Politicum II.

Electio Principum, an ſucceſſio naturalis potior?

1. *Libera electio extollitur.*

Imus in Regiam, ubi thronum circumſtant Virtus & Genus. Utrique in votis purpura; ſed utri decernit, arbitrijs permiſſum. *Sunt qui ſanguinem & cunas adorare velint*; nec errant, *ſi ſemper pares imperiis naſcantur*.

tur. Sed variat *natura*, quæ *hominem non Principem format*; & qui calculo illius regna committit, fortuita nõ cavet. *Non quivis hæres purpuræ, etiam virtutis paternæ. Sæpe dum mater auguſta prolem fovet, Neronem Orbi educat*: nec rarò *è ſtirpe illuſtri ſtipes prodit*. Cæca perſæpe inauguratio, quæ ſic ad Principatum ducit; incerta, dignum, an ſecùs inauguret. *Molle inſuper eſt per faſcias regni ſuffragium, & peſſimus commune. Virtus potiùs & merita coronentur*, nec minus his, quàm ſanguini tribuatur. *Imperia ſint imperia, non vagitus*: thronus, non ſint cunabula; *ne ſceptra aliquando in colum deſinant, vel inter crepundia capiantur. Regnet, qui meruit: aliud ſit naſci, aliud regna nanciſci*. nam natales omnium ſunt promiſcuè, *honor emeritos prenſat*. Quis enim demeritis gubernacula ingerat

rat? Nec ſatis eſt pro throni hærede omnia obtrudere. *Scilicet virtutis præſagia non fallunt? Fert genus & degeneres*; non aliter, ut *arbor frondiũ honore tumida quandoq; profert ſtolones.* At verò *electio optimum quemque cupit capitque*, & quem juſta ætas ac certæ animi dotes idoneum dicant. Equidem *heroicis etiam temporibus per ſuffragia in Regiam itum*: nec aliter ſumma in orbe imperia hucuſque. nam *ſic thronus Cæſarem accipit* ut & orbis Antiſtitem Roma. Et ſanè *plus gloriæ, tanti nominis ſibi authorem eſſe, quàm hæredem*; & inſuper virtus in hoc fortunæ faſtigio poſita ſpectatores in ſui ſtudia accendit. Porrò interregni fluctus, non magis terrent quàm damna ſucceſſionis, præſertim ætate in imperio imbecilla vel immatura. Quare *imperaturus omnibus, eligatur ex omnibus.*

2. *Suc-*

2. *Succeſsio Principum naturalis approbatur.*

Derogatum modo *ſanguini*, dum vincentibus ſuffragijs *abrogata illi imperia*. Injurium id auguſtæ fortunæ, in qua qui naſcitur, naturæ ſuffragium in ſe inclinat. Et neſcio *quid magis decorum imperiis, quàm datus à natura Princeps*; qui ſi pares cum eligendo dotes obtineat, fruſtra eſt electio, is enim ante illam dignior, qui *& natalium* & dotium illarum *luce perfunditur*; *nec*, ut electis aliquando contingit, *de priori fortuna cogitur erubeſcere*. Quin etiam dum fortuna regnatrix in una ſtirpe conſenuit; extinctorum veneratio, in cunas natorum ad purpurã producitur; *nec iis parêre dedignamur, quos ſcimus natos, vt imperent.* Grandius quiddam his inſinuat na-

tura

tura, & educatio, atq; adeò adultiores cogitare assuescunt altiora, & regno, velut suorum nepotum patrimonio, cum fide incumbere At qui suffragijs in hunc humanarum rerum verticem attollitur, non immemor fortunæ, in quam recidere sui hæredes possint, sæpe publicorũ haud anxius, filio vel cognatis eos conciliat, qui regnum dare queant: aut *familiam* saltem *opibus explet, ne* deinde *ullus ignoret, fuisse ex ea, qui regnârit.* Sic *publicæ opes sæpius privato conduntur ærario,* & unius stirpis laribus consulitur, ni venale suffragium in cognatos speretur. An verò quieta etiam speres Comitia, ubi multi opibus & ambitu pares, nec cedere invicem volent, nec omnes regnare poterunt? Imò cùm in plures eligentium studia dividũtur, quæ ibi tranquillitas? *quæ potiùs*

ùs procellæ non exæstuant? Absint verò procellæ, *an semper optimus per Comitia venit ad purpuram?* an *optimos electio quandoq; non præterit*, si suffragijs privata affectio vel avaritia moderetur? At naturæ suffragium gratuitò offertur, nec ab illo plura imperia pænitet Reges deposcere? *Quin* ergo *is imperet, quem Regia sceptris parit, & antequam eum eligas Rex est:* &c.

Problema Politicum III.

Quis regno adoptandus, Exterus, an Indigena?

1. Pro Rege Indigena.

Civem Patriæ in regiam inducimus ades, & solio assiste, Procerũ corona. *Si* abnuis, & *exteri iura præfers, nondum tuam felicitatem perspexisti.* In quod fastigium nata sis

vide: par es terrarum imperio, & sceptra mereris. *Pulchrum est, quòd tua Patria, sit Patria Regum.* & dignos solio gignat Quid enim aliena tantùm tellus proferat Reges, qui tibi dominentur? subesse tantum debeas nôrisque, non præesse? *regi, non regere?* Adeòne sterilis magnarum mentium tua ditio, ut nullos in thronum proferat? *Patriæ derogas, si alibi Principem quæris; quasi caput in ea non reperias, quod corones!* *Pulchrum quidem est, orbem exterum coronis & Regibus implere*; sed quorsum *alienam sic Spartam adornes, tuam negligas?* Si illustre est, Principum fortunam, cui libeat, suffragio dare, & creare Principes; justiùs est, domi hanc vim creandi defigere. *Cur felicior sit aula extera, quàm domestica merita?* Si dignum exambit regalis apex, quid quæras peregrè vel

vel *per vaga suffragia*, quem domi reperis? Quid quòd sub alieno sole dispar regendis ingenium capiatur cùm tamen *morum & ingeniorum similitudo, vinculum somnii, sit publici in Principem amoris?* Quod si peritiam legum requiras, quis hanc ab extero speret? quanto tempore hæ illi ediscendæ, nullà interim legum tutelâ ab inscitia? Denique *adscititius Princeps oblatum quandoque imperium fastidit*, at sic orbato solio, quæ rerum facies? *Henricum Valesium* cogita, qui paternis Galliæ sceptris intentus, Poloniæ sceptra clàm reliquit. Cives Patriæ potiùs hæc capiant, quæ negligere haud poterunt, cùm Patriam ament, in *qua ad Purpuram adolescunt.*

2. *Pro extero Principe.*

Nec ego Civem Patriæ imperare nolim

nolim, si Comitia gentis parem huic fortunæ inveniant at nec in exterum hæc studijs ferri, ab usu alienum. *Lex, quæ alienum arceat, nulla conditur:* temporum ratio & *necessitas pro lege esto*, quæ arcendum aut adsciscendum definiat. Nam *iniqua temporum* ut *aliunde* suppetias, sic *quandoq; Principem vocant; & difficile est suffragiis contra eventa omnia niti. Regnet* tunc, *quem regnare expedit.* Si domesticas vires superet robur exterum; quidni tunc alienæ ferant coronam? Adhæc sunt quidam sæculis omnibus terrisque invidendi; & talem vel unum si facta detegant, ac regna certatim ambiant, quidni tuo regno præoptes ac velut præripias? *Non exterus* tunc *ambitur, sed rarum Personæ decus* in sceptra refundẽdum: *nec aliena tellus tunc colitur, sed* insolitus *Princeps, sui*

sui sæculi Phænix. At *neque imperii nota est, ab extero regi.* Nam quod Romani imperij dedecus, quod è Gallia vocarit Cæsares post Carolum? quod item Romæ, quæ summos Antistites è diversis capiat? nõ hæc sterilitas est magnarum mentium. Sed *species generosæ mentis*, quæ *summis etiam domi prædita adhuc alibi vestigat, si quod nomen optatiùs coronet.* Adhæc sic sunt *quorundam ingenia*, ut *se faciliùs alienis submittant*, quàm domesticis; potiorque videatur adorandi ratio, gentis disparitas digna imperio. Non agam pluribus, nam non ita per adventitia Majestate decerto, ut quandoque indigenam non præoptem.

Problema Politicum IV.

An Muliebre imperium aptum Imperiis?

 1. Vir

1. Vir Princeps esto.

A sceptris arcete fœminas sine regni consorte alio regnaturas, Imperia. Quis regale sceptrum porrigat *cui natura colum fusumque destinat? Molle ingenium natumque ad blanditias non ad rerum gubernacula mulier gerit.* Comere sese meliùs, quàm publicam ornare Spartam novit; *sæpeque mallet Rempublicam, quàm comam suam turbari*: denique lana byssusque præ purpura & regali vellere eidem placet. Quod si res adversæ arma provocēt, quid imbelle hoc nomẽ virium? quid animi aut consilij præliaris gerit? quod in eo bellicæ fortunæ omen? Nam regias dotes, prudentiam, animiq; constantiã quis ibi speret, ubi mentis imbecillitas, ac volubile ingenium dotes illas

illas labefactat? In pace etiam continuum cum quibusdam ex hoc genere bellum, quod furor & vindictæ cùpiditas accendit; *adeoque illæ vultus Gratiæ, Orci Eumenides aut Medeam celant.* Quod si aliquæ regnatrices feliciùs præfuêre; tamen ipsa raritas à muliebri imperio deterret. *imò plures in fastis lugeas, quæ regnorũ gloriam everterint.* Sic sub Cleopatra pænè periit Ægyptus: Messalinã Roma, Fredegundim Gallia, Ioannam Neapolis *serò exhorruit &c.*

2. Quid pro Muliebri imperio afferri possit?

Removimus à regnorum guberculis fæminam: non desunt, qui eandem ad id fortunæ revocent. Eunt & Augustæ in Principum seriem, nec consortia tantùm regnorũ ineunt, sed terrarum plenum regimen

men. Nimirum *virtus quibusdam pro fuso sceptra ingerit; & animi præstãtia regnandi gloriam parat.* Neque muliebris tunc dominatûs pudet. Sæpiùs *puduit Sardanapalis servijsse*, quos emolliit fortuna, & regia potestas effæminavit. Si potiùs digna Herois imperet, quis obsequij pudor? *Haud interest, quem corones, dummodo dignum coronari caput.* Nec bella tunc metuenda, vel hostis, qui haud sibi gloriæ ducit cum imbelli fæmina certamẽ; aut *exile decus* au tumat, *molles copias vicisse.* Quanquam *& mulierum acta fortia leguntur.* Semiramis virum in solio mentita, *gessit, quod à Viro Principe vix speres.* nam Æthiopes armis subegit: oppressit Babylonios, in quos ne mora sceleri locum daret, incompta provolarat. *Quid Thomyris* Scythiæ regnatrix, quæ Persidem in Cyro profli-

gavit? *Quid Zenobia*, quam Roma post Ægyptum Cleopatrâ ferocem extimuit? nec Aurelianum puduit, vix devictam inter triumphales pompas ducere, quasi par decus foret, fæminam illam, ac invictum alium bellis Ducem vincere. *Taceo Amazonum facta bellatoribus invidenda,* quæ documento fuerint, *quantum animi viriumq; ad bella mulier quandoq; gerat, non armillis, sed armis etiam;* non vittis duntaxat, sed laureis idonea. *Quidni aliquando imperet, quæ triumphat?*

Problema Politicum V

An forma conferat ad regnandi suffragium?

1. Pro forma dißeritur.

Nova iterum arena: pro Principis forma decertatur, nutatque laurea, quam

quam partem exornet, adhuc dubia, *Ruo in formæ ſuppetias*; & quia totum ab argumentis robur poſcitur, his illi victoriam regnumque aſſero. *Omnia in Principe velim eximia, ne vultu quidem iniuriam naturæ paſſo.* Etiam *aureum regni pomum detur pulcherrimo.* non enim hoc ita eviluit, ut oris etiam manûſque delectum non ambiat. *Regia dignitas nec oris dignitatem excludit*, tantò auguſtior, quantò ornatior Quod ſi aurum in Regum inſignia reſingimus; potius eſt naturæ ornamentum. Hoc etiam perſæpe index eſt animi, ac *intimum decus in vultum profert*. Et ſanè ſi *(ut quibuſdam natura non benigniùs corpus, quàm animum venuſtat)* ſi quem cum regni dotibus juſta proceritas; ſi impreſſa vultui Majeſtat cohoneſtet quis regnis eundem non inauguret? *Pronior eſt virtutis*

amor

amor, in venuſtatis externæ conſortio. At verò, ſi *oris elegantia, regnum eſt, abſq; ſatellitio*; certè geminatur Principis poteſtas, ſi *pulcher ſummum ius capiat. Bis imperat*, quem & ſatellitio ſtipata Majeſtas in thronum deducit, & ſine ſatellitio *pulchritudo* quæ *per ſeipſam regnum quoddam eſt, priuſq; regnat, quàm regnum aliud à ſe, obtineat.* Nam forma in animos dominatur, & *pulchris primo etiam obtutu beneuolentiâ coniungimur*, libentiuſque his inſervit animus, quàm alijs imperet. Adeo *validiùs eſt formæ, quàm ſummæ poteſtatis imperium!* Hinc *Traianum dignitas oris* longè latèque *Principem oſtentabat*: hinc alteri vates accinit: *Regnum poteras ex ore mereri, ſpondebatq; Ducem cælſi nitor igneus oris &c.*

2. Abro-

2. *Abrogatur formæ imperium*

De forma Principis, ſenſus Comitij exquiritur, ſed levior hæc, quàm munus illud requirat delibera tio. *Animus in regnaturo exigitur, non vultus elegantior.* Idoneos *ad regna facies non efformat: ab animi cultu ſoliis Maieſtas intenditur.* Quare dum candidatus ad hanc quæritur, quò mihi forma liberalior? *quaſi tunc Paridem tellus quærat*, qui diuturni belli facem, & Trojæ exitium renovet. *Parum intereſt, quis ſit in ore color, ſatis eſt animum bene valere*, & præpollere corpori. Pulchriùs, ſi *vbi peccavit natura, virtus & acta corrigant.* Nihil Vladiſlao Loctico ſtatura ulnaris obfuit, quominus par maximis eſſet, qui apud nos regnarunt. Crivouſtus itidem ore tor-

toruior; ſed per eximia facinorum *venuſtior fama, oris vitium correxit.* Sic & *Balbum* Imperialis occidens, *Carolum Calvum* adoravit Gallia: *nec Iulio Calvitium, quod pro coma iexit laurea*: nec Leſconi Nigro color nominis: nec Ænobarbis, Rufis vel Galbæ ſua deformitas probro fuit, *quin iret in ſumma nominum.* Equidē ſi prælia terras diſtringant; pugilem hæc requirunt, *torvumq; ad claſſica Martem*: ſi pace floreant; alio vultu tunc egent regna, & qui luxum Civium in otio coërceat, Quod ſi Paris pomum hoc regni dandum Pulcherrimo ſuadet, *ſufficit Paridem id ſuadere, ne acquieſcas*; niſi *cum vultu pariter virtus de Principatu contendat.* Quanquam *dotes intimæ raro extimis nectuntur*; adeoque ut *rara eſt concordia formæ atq; pudicitiæ*; ſic bonæ mentis cum meliore vultu. Sic in *Domitiano*

ciano metuendo Muscis Principe, formam deses animus deformavit; puduitque Romam illi paruisse, *in quo nihil aliud pulchrum præter vultum*, totas opes in eum effundente naturâ, nihil in mores animumque: Quare virtus potior esto, nec sola Principi forma suffragetur.

Problema Politicum VI.

Astus, an virtus in vincendo superet?

I. *Virtus, non dolus triumphet.*

Bellis ut non eadem eventa, sic *plurimæ vincendi artes*. Quibusdam *belli gloria labore constat* & acie cruentâ: *aliis astus pro acie*, alijs sat hostem fregisse, quicunque illi modus felicem esse vetuerit, aut gloriam temerârit, hinc insidiæ in auxilijs,
dolus

dolus pro commilitone; & *vicisse sic haud pudet, exitu felici*. Verum *sic vincere timor etiam novit*, virosque id mentitur, non probat, utpote qui *nihil Marti debeant, fraudi omnia*. Id demũ est hostium conspectum fugere, & *imbelli aggressu furari victoriam*. *Illustrior à virtute laurea*, seu dum conflictus de viris viribusq; utrinq; decernit. *Belluæ laqueis capiũtur*, quos insidijs occultãdis in eas tẽdimus; sed *aliter cum viris, quàm cum feris dimicandum*. Imò *si bellum à belluis deducis, à leone præliari disce*, cui vires exercet non imbellis victoria. At *nec in Capitolium dolus ivit cum triumpho*: Mars apertus & *cruenta spolia portam pulsârunt triumphalem*, puduitque Romæ, insidias triumphare, & *furta* quædam *præliaris fortunæ*. Par hujusmodi furtorum odium *Alexandro, quem magnum ingentes fe-*
cerunt

cerunt triumphi: Suadebat Parmenio inopinum hostem aggredi, & *furtivo Marte palmam rapere*: & persuaserat, *nisi in Alexandrum incidisset*, à quo illud audiit, Ducesque audiant: *Non soleo furari victorias*. Eat hæc vox *& per ignaviæ aures, quæ ex dolo successus captat*, instar plagiariorum, qui lucem fugiunt, qua timēt flagitium deprehendi: ut nempe *solem & publicum horrent, qui digna tenebris gerunt*. Quanquam *victum se* quodammodo *fatetur, qui vincit dolo* hostilemque gloriam propagat, dū suam in umbra quærit. bello enim insuperabilis creditur, quem nonnisi fraude circumvenias, profligandus ipse, nisi fraudem in specie virtutis adhibeas. *Græculi sic vincant*, quibus nulla fides etiam ante *subversum dolo Ilium*, quod scilicet non tam Græciæ armis cessit, quàm menda-

mendaciis equo Troiano reconditis. Plura pro viribus contra dolosum Martem non affero: Antiochus rem concludat, qui elephantis per insidias eductis victor plaudente milite ipse mæstior: *Pudet*, inquit, *quod non aliter vicerim, quàm insidiis: Vt superare iuvat, sic superâsse pudet*. Usq; adeo hujusmodi victoriæ, nec victo hosti in pretio, nec victori!

2. *Astus victor approbatur.*

Tulit jam *encomium* virtus bellica; *ferat & astus*. Illa fortiùs vincit, hic pulchriùs. *Adorat virtutem ruens in acie hostis*, astum etiam timet, quod arcano impetu perniciem creet, *bellisq; pro arbitrio moderetur*. fortunæ suæ faber & auctor. Dubia sæpe in bellis alea, atq; tunc *in consilio vires*, & *industria totum robur*. Et sic confligere humanum est.

eſt. nam *bella conficit ratio, non is tantùm impetus, quo etiam feræ valēt.* Belluarum *cōflictus* vires tantùm *postulat: humanus, etiam mentem. arma enim consiliis moderanda.* Quid nempe opis à fanaticorum telis? quis à furore mentis triumphos exigat ſperetve? Adhæc *ſtratagemata bellantium damnat, qui aſtum improbat.* Sed uſus illorum omni ævo belloq́, placuit, &, quod armis non contigit, ſemper lauream hæc tulêre. *Sic Maximi vicêrunt!* Cunctatio Fabij, aſtus fuit, quo Annibalem communiuit per partes, cùm integrum vires acciſæ non poſſent. *Agamemnoni* lingua Neſtoris urbes ſubegit: *Philippo* Macedoni aurum, *vbique aſtu victore. Premislao trunci aruerant in trophæa,* quos galeis induerat in hoſtium terrorem, viceruntque armati arborum cunei, vicerunt cataphractæ

ctæ quercus, *ſilvaſq; triumphales effecit aſtus.* Sic & *Vlyſſem bella poſtulāt, non Aiacem tantùm!* Spartam adhuc conſule diu victricem, & *cui pro muro pectus, pro ſcuto ratio.* Hæc alitē domeſticam, hoc eſt, minorem hoſtiam immolavit Marti, ſi armis conſtaret victoria: at *maior ex armento cadebat victima, ſi aſtus viciſſet.* tanti habita laurus incruenta & ingenij partus. Quare parce Miles humano ſanguini, *parce ferro dum potes dimicare ingenio,* & arcano Marte bella conficere.

Problema Politicum VII.

Quid in bellis potius, Celeritas an Cunctatio?

I. Plus in Celeritate ſitum

Faceſſite Cunctatores: ætas hæc vix jam Fabios depoſcit, virtus bellica

etiam odit: *potior in bellis celeritas*, in mora periculum. Inter exempla Cæſarem & Alexandrum accipite; *nomina, quorum victorias æquare nemo noluit, æquârit nemo*. Et citò illis vincendum erat, qui eò uſque victorijs erant evaſuri; *vnus vltra Gangem, alter vltra Pontum. Tales malim, vbi vincendum: quis* enim *ſerò vincere velit*? Pleriſque *exitium mora diu concipit, citiùs parit*. imò *lenta in prælijs cunctatio ſæpe ad ignaviæ confinia defluit*, ceu lenta virtutis tabes. *Semel hæc profuit, & neſcio, an præter Fabium ulli*, quam tamen Romano tunc neceſſitas, non induſtriæ vis imperavit: Maluiſſet enim ſine mora vincere, ſi licuiſſet, quàm *ſe imparem morâ fateri. Plus in celeritate momenti*, quæ nec populorum gaudia, nec bellatorum gloriam differt. *Cunctatio* autem *diu metu exanimari*

nimari Patriam ſinit, antequam virtute erigat. Raro hæc *in Iulii laudem* incurrit, qui moram in bellicæ laudis conſilium admiſit nunquam: non excurrere in hoſtem viſus, ſed veluti fulmen irruere. Et certè *militares aquilas volatus decet: lentiùs in victoriam repere, teſtudinum eſt, non aquilarum*. Deniq; *glorioſior cita laurea, quàm languor armorum diu ſperat, ſerò obtinet*. Ergo i miles, in hoſtem non cunctabũdo Marte irrue: virum te, non teſtudinem cogita: *ſemper nocuit differre paratis &c.*

2. *Cunctatio ſæpe in bellis melior.*

Celeritati nil de rogo; ſed *neque cunctantem Mars odit, aut triumpho exuit. Sic Roma vicit*, tunc, *cùm penè iam periit*. nam Carthaginem Latio infuderat Annibal, pernicioſiùs

 malum

malum, quàm ut celeritas quidquã proficeret: sed, quod in morbis evenit, *lenta remedia profuêre*, & Annibalem mora Fabij fregit, novam vincendi artem aggressi, *Nolle vincere*. Adeò *vincit, etiam cùm sedet cunctatio; & otio pugnat*, dum iras in longum differt, sensimque ictum imprimit. Imo & Cæsari cunctandum fuit, priusquam Patriam vinceret, quam non uno prælio fregit. Quod si festina eidem placuerant; *celeritate eguit tyrannis*, cùm dictaturam invaderet *Meliùs mora laborat in victoris nomen*, quæ dum tantisper in speciem hæret, ardua certaminum, deliberatione temperat. At verò *celeritas temeritati sæpe propior, & in hostem præceps*, simul in subita malorum, gradum præcipitat. Sic *malè cuncta ministrat impetus*, ut Poëtæ accinit mæsta veritas,

&

& quandoque mæstior clades. *Quædam* insuper *cunctatore indigent*, &, si citò se proferant, ætatem non ferũt laudis duraturæ vacua. *Septena orbis miracula diu fatigârunt artificem*, ut attonitas opificio ætâtes efficerent; adeoque *tempori admirationem debẽt. Fulgur nemo miratur: maior in constanti solis serenitate admiratio.* Denique hostem vincunt tædia, cùm præliũ differs; & ferrum excutit doli suspitio, quem lenta apparant. &c.

Problema Politicum VIII.

An melior miles in prælio cæsus, quàm in fuga salvus?

I. *Contra fugam ex bello.*

Præliarem fugam cum cruento certamine componere libet, quò constet, cui plus insit dedecoris. Mihi *acriùs à fuga vulnus* videtur,

 quàm

quàm à ferro: nam dedecus in altero maius, utpote longævum. *Cicatrix* enim *corporis obducitur morâ; famæ vulnus immortale est, nec à tempore medelam accipit*. Ex cæso corpore *plus gloriæ, quàm sanguinis manat*, & diffracta pedis tibia Coclitem ad gradus singulos sui triumphi admonet. Quod si cum vulnere vita exprimitur; *mors* adhuc *fugâ vivente potior*. *Nemo pulchriùs vivit, quàm qui sic moritur*: nec vivit diutiùs, quàm dum morte emitur immortalitas. *Vivunt Decii*, quia pro patria vivere desierunt. *Fabios non sic extulit Porta Scelerata*, quin devotum pro imperio caput è tumulis attollant. *Pulchrior* ergo *bellantium fama, quàm fuga, quæ* subducit periculo fama exuit, & *profugo Marte proculcat laureas*. Quanquam nec tunc secura est, cū declinat periculum. ipsa sibi telum

est, ipsa hostis, in qua scilicet & metus pænè facit exanimem, & apud Heroas imò sæcula infamem.

2. *Fugæ Apologia*.

Sit sua & fugæ gloria, nec pugna tantùm eventu gloriæ intumescat. *Non sola victorias condunt prælia, fuga etiam triumphat, nec meliùs aliquando manus, quàm pedes tuentur*. Incurris in triumphi gloriam, dum quædam bella sic conficis; nec pulchrior in âcie victorem, quàm te cingit laurea. Parthos recole, quibus una *vincendi fiducia -- in pedibus versisq; sagittis*. Nec timorem semper arguit *fuga*; sed est *quandoq; prudentiæ satelles*. Hoc est *dolum ad virtutem addere*, & fugæ specie irruere in hostem. Sic Horatius vicit tergeminos Albanorum Curatios, & fuga tunc Albanos subegit victrici Romæ. Adhæc

Patriæ amor in fuga est, cui te servas effugio, adeoque profugi probrum, laudis obtentu elidis; illud cum transfuga è castris Demosthene obtrudes: *Servo me Patriæ*, ejusq; commodis: vel quod Antigonus in fuga opposuit: *Non hostem fugio, sed vtilitatem bellandi à tergo sequor*. Denique *plus aliquorum fuga profuit, quàm fortium in speciem temeritas*.

Problema Politicum IX.

Pax, an bellum perniciosius?

1, Bellum defenditur

Etiam bellum eget, qui pro illo arma capiat. Nemo belli non hostis: quisquis paci studet, prælia odit. Imò *pax* ipsa *bellorum filia*, in Martem hostiles animos gerit, nec parricidium timet. *Bellum* igitur *iuvat pro bello indicere*: defendatur calamis, quod armis & excubi-

excubijs ab exitio nos tuetur. Pax mihi, *pax* imperijs, hostis *bello gravior*, in quem tela distringo, Cogit *pernicies, quæ à pace fœdior, quàm bella ferant*, Non unum tunc Annibalem emollit Capua domestica, & *hedera sapit post laureas*. Perit tunc luctatio juventutis, & quidquid vigoris animus gessit, totum otio consenescit. Hinc si hostis ingruat, nihil virium, nil opis domesticæ affulget: non arma, non vigiliæ placent post longæ quietis inertiam: *aciem ferri horret imbellis* jam *pupilla*, *galeam* caput, clypeum pectus, manus bello jam inutiles hastam vel arcum ferre detrectant Quid tu pacem in pace somnies? Ementito nomine pax continuum Martem fovet, Mitto cædes tunc & jurgia, quæ domos civili sanguine funestant, & duellis urbes exhauriunt.

Fædior cum virtute pugna, nam *vapulat in pace honesti ratio*: fas omne exulat, luxus omnia dissolvit *multusque per vrbes ambulat Ægystus, multaque Phædra domi est*. Cogimur iterum Satyrici carmen retexere de pacis longæ incommodis.

--- Sevior armis
Luxuria incubuit, victumq; ulciscitur orbem.

Sanctiùs bella: vetat otium hostis: Somnum abripit gloriæ amor, metus communis periculi. Non ibi Saliaribus epulis, non ludicris locus: sanguinem bella sitiunt, & dulce tunc ferrum est. Mars gravior sub pace latet, quâ robur animi deflorescit, rubigo ferrum exedit, vires consumit desidia. Plus togæ Rempublicam lædunt, quàm loricæ ferrumque nocentius, aurum luxui seruile &c.

2, *Pax bellis potior.*

Altius laudes bellicas provexit facundia, quàm veritas & plurium vota sinant. Pax ex imperijs proturbatur, quasi bella aliud præter pacem velint; aut *veluti leviora sint belli commoda tranquillo rerum statu*. expendimus, quid regnis nocentius, vel, *an arma hostem magis exagitet, an Civem?* Equidem gemunt coloniæ, gemunt municipia, quæ sti pendijs Martem alunt, etsi ex hausta per militem vix possint. Quid, cùm bellum sacra omnia & profana pessundat? solitudinem urbibus, agris sterilitatem, orbitatem liberis inducit? *Leges* item dum *inter arma silent*, tunc à justitiæ arbitris tutela? Tunc omnino *Nulla salus bello, victaque pugnaci iura sub ense iacent!* At si belligerandum est, vita Civium sub

ictum exposcitur; *quasi tanti sit vincere hostem, & perdere Civem*, quid si, ut non rarò evonit, familiæ viritim excid ium ferant? quid si rursus *Ter centum Fabios auferat una dies?* Nimiùm *crudelis belli ratio, quæ civium cruore alitur, & exitio regnorum constat.* Sed nec pacis incommoda ferri amorem continuum persuadent: nec militem bella delectant, à quibus missionem crebrò efflagitat, si non ipsa ætas illum exauctorat, *Solvitq; baltheum tandem carior armorum gloria quies.* Quod si luxum in pace pertimescis & horres: Nec ego trãquilla temporum sic fæda velim; est tamen, quo molle ingenium & otia tunc sine bello proscribas: sunt *artium disciplinæ*, quæ *pace efflorescunt*: sunt alia Civilis vitæ ornamenta; nec sola Martis cruenti, sed ludicri etiam arena. At si *vitio pacẽ infa-*

infamant, sunt jura forumq; quod plectat eadem: sunt honorum præmia, quæ à fædis revocent, & virtutem accendat. *Pax* ergo *bellis potior. &c.*

Problema Politicum X:

Præmijs an supplicijs Respublica plus proficiat?

Ut alterutrum suadeam, commoda jubent: ut utrumque, *suspectus supplicii solius timor, præmii tumor.* Præmiis multùm omnis ætas detulit: plus *animi sensus*, qui *donis capitur*. Hinc ducunt originem inprimis incrementa virtutis, deinde apex *Semper ingens à gloria calcar: dat gloria vires*, nec grandium operum piget inter Patriæ vel theatri plausus. Sic quidem præmia: sed non minus supplicia. Etiam his opus, *ne quid accidat nullus impunita-*

tis metus. Et sanè *quorundam ingenium gratia non emollit, indulgentia in summa scelerum perducit*, & arcano ubere illa fovet. *Vitia perinde ac vites habentur*: falcem postulat utrumque, *ne vel torcular gemat, vel Patria. Præmium suadet optima, supplicium iubet* idem à præmio sperare potes, quod à supplicio debes; eò quòd potentiùs imperium in metu, quàm boni illecebra. Quin & *humana mens in vitium cerea, non perinde in pulchra flectitur.* hinc legibus cavẽdum, ut intra honesti metas se teneat; *fuitque, qui leges sanguinarias ferret*; ne timor summus deesset, quo leges sancirentur. Quare utrũque est è re Patriæ legumque. *Pœnæ gratiis se immisceant: vbi gratiæ non proficiunt, terreant minæ*: prout est ingenium ejus, à quo pulchriora exigijs, sic molliùs vel duriùs age.

Proble-

Problema Politicum XI.

Quid expediat Principi, timeri, an amari?

I. Posteriùs suadetur.

Ne suaderem, à civibus metum exigere, *Machiavellus dissuasit. Terrore* hic *firmanda solia putavit*, crudioris politiæ durus arbiter. *Vtinam experiatur, qui sic suadet!* Ego *amorem apud populares, timorem apud hostes* Principi voveo. *Pessimus Regum Satelles metus*, qui primò subjectos agit in odia deinde in fæda præcipitat. *hinc regnis exitium persæpe, virtuti certiùs. Quando* enim *non vicit timorem audacia?* Non sic Imperia: *Malus diuturnitatis vestræ custos est metus: diuturnus, pro quo non tam arma, quàm Civium benevolentia excubat.* Hanc in imperij tutelam, hanc in

fasti-

fastigij basim adsciscite, Principes; securiores purpura ac fortunæ inter plura amicorum, quàm armatorũ præsidia. *Non sic excubiæ, nec circumstatia tela, quàm tutatur amor.* Caligulæ illud votũ fuit, non Principis: *Oderint, dum metuant.* nam *Princeps id unum timet, ne timeatur;* civemq;, ut ametur, amat. &c.

2. *In Oppositum itur.*

Si *amor tuetur Principem;* securiùs *quandoq; timor.* Quod si *metus in audaciam evadit, & amor in odia.* Timori tamen nil officit, si justus; & odiorum licentiam cohibet, si prudens. nam *plerique odisse incipiunt, cum desinunt timere.* Nec lenitatis gloriam severitas corrumpit. nam *crudelis est clementia, quæ palpat scelera. Gliscunt piacula, quæ vindicem non timent: faciliùs in officio pœnæ continent,*

nent, quas condit moderatio, & alterna lenitatis temperant. Et quorsum tot Satellitum turmæ? quorsum fasces & secures, quæ regiam circumstant? Terrorem hæc Majestatis insinuant, quo etiam Solia muniuntur. non enim solus vulgi in Principem amor sat tuetur. imò hic aliquando imperiorum reverentiam infringit, & libertatem imperandi. *Amor* ergo *terrore imperii temperandus.*

Ad coronidem hujus Problematis adnectam Regis ignoti sententiam. Indolem regno digniorem aptioremque in liberis hic perscrutatus, ab illis requisiit, quæ metamorphorsis cuique optatior foret, si in avem pro libitu immutandi forent. Aquilæ sibi speciem maximus natu placere dixit: alter, falconis; tertius ficedulæ: malle enim se suaviter dege-

degere, quàm cum aquila ferociùs; rapaciùs cum miluo aut falcone. Intulit hinc Parens in primo tyrannidis omen, in altero avaritiæ, in tertio mollioris vitæ, hunc tamen regnis præfecit, quòd minùs gravẽ civibus fore crederet; Regnet lenitas.

SPECIMEN VI.
Admirabilis Eloquentiæ EUTRAPELIA ORATORIA.
Seu ELOQUENTIA FESTIVIS SALIBUS REPERSA.

EVtrapelia Theologis *est virtus* cum grato dicendi & agendi lepore oonjuncta, seu *quæ ludicris insistit intra decori metas.* nam *quæ has*

has transilit, scurrilitas est. Nec Orator abhorret ab Eutrapelia, si delectare velit, ut sæpiùs debet. Sales Attici, condimenta sunt Orationis, eique conferunt, quod sal cibarijs. *Has verò salis fodinas*, etsi natura & ingenium aperiat; tamen *ab iisdem etiam Ars claves gerit*; dubiumqne, subitus, an arte quæsitus lepos in verbis suavior. Et juvat quandoq; seria sic condire, atque animi contentionem per festiva dispungere. *Tam Lepidus, quàm Cato, Oratoribus accensentur*, placetq; alteruter. Quã quam & ludicra quædam in seriis vim retinent & aculeum: *iocusve salsior* adversarium *ferit acriùs, quàm fulmen* possit. Hinc nec Tullius à faceto dicendi genere alienus, cujus etiam fontes Oratori indicat libro 2do. de Oratore. Alios in Verbo, in re ac sententia ponit alios sales; & juvat hos degustare. §1.

§ I.

1. SALES ATTICI IN VERBO.

Non rarò quædam verba, ut acumen, ſic ſales hujuſmodi offerunt, quidni ergo tunc illis ſermonem condias.

Primò amænè luditur in ethymologia Nominis, aut è conjugatis Oratorijs, ab Annominatione, & immutatione vocabuli Exempla paſſim: Bahuſij eſt illud in remigem ſibi originem regiam, arrogantem

- *Salve ô mihi ſalve, Mecænas atavis edite remigibus.*

Ubi leviter immutat Horatianum illud: *edite Regibus.*

Illud Pontani: *Cuncta trahunt ad ſe Magnetes ferrea, verum.*

Ad ſe Magnates aurea cuncta trahũt

Illud Neoterici: *Corax colaxq́; ſunt amica nomina: eruit ille oculos.*

id

(id eſt corvus, Græcè Colax) *hic loculos.*

Ejuſdem eſt illud de Thomæ Mori cæde:

Iacturam veterum faciens Britannia (*morum,*

Debuit inſontẽ contumulare Morum.

Et illud Surij nomen ad ſe iniquè trahentem: *Non Surius, ſed Spurius*

Illud in hæreticum cytharedum:

Ore manuq́; canis: caneres tamen aptiùs Aule,

Si ſe tot fidibus iungeret vna Fides.

Et de Hercule: *Lænam non potuit, potuit ſuperare leænam,*

Quem fera non potuit vincere, vincit (*hera.*

Et illud in Naſutum: *Ortum te dicet priſca de ſtirpe Naſonum,*

Qui naſum cernet Pætiliane, tuum.

Illud etiam ex eodem fonte:

Quod gravat ingenti depreſſum pondere collum,

Non eſt, Fuſce, caput, ſed Capitolium.

Secun-

Secundò Sales Atticos dabit amphibologia quædam. Sic ille Herus ſervo deſidi inter verbera illud ingeminanti: *Nil feci reddidit, ob id ipſum te verbero* Sic eidem furaci advenæ: *Manus lava, & mecum cœnabis.* id eſt, furtis abſtine,ne tuis manibus quidquam adhæreſcat. Sic nonnemo abſentiam Titij excuſans dixit, *Eum fregiſſe brachium.* quo tacitè innuebat, furem eſſe ſacrilegum, qui ſacra ſimulacra noctu confregerit, unde quod de brachio illius dici videbatur, ad confractæ argenteæ ſtatuæ brachium ſpectabat.

Tertiò huc confert æquivocatio Nominum. Sic Poëta de Gallo quopiam ineptiùs canente:

Ad galli cantū plorabat Apoſtolus olim
Dum canit hic Gallus, quin faciamus idem?

Sic & Stratius de obeſo. *Vir eſt magnæ*

magnæ continentiæ; ſcilicet ventris tumorem & capacitatem taxans. Et aranti in ſepulchro Parentis: *Hoc eſt Parentem colere.*

Sic Neotericus de alio: *Quòd voco te iuris Doctorem utriuſq; ſuperbis:*
At de ſorbilibus iuribus iſta loquor.

Quartò, Adagium, vena Salium. Sic in comptulum: *Ignoſco quoties oleo caput, Aule, perungis;*
Nempe olei vacuum nactus es, Aule, caput.

Item de Æthiope ſacro lavacro in Eccleſia abluto, ritu Catholaco: *Nemo iam dixerit; fruſtra Æthiopem lavas.*

Quintò. ex axiomate aliquando vel ſententia feſtivum quid eruitur. Sic illud: *Immeritò Vacuum naturam horrere negâſti,*
Cui tamen ingenii tam ſit inane caput

Sic & illud de pendulo ex infami trabe.

Omnia

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Excipio collum, pendule latro, tuum.

Sextò allegoria amænior sermonem cōdiet. Sic suo familiari cùm alter diceret? *Nam si contra te aliquid dixero maledicta repones?* respondit ille: *Vt sementem feceris, ita metes.* Sic obtrectatori ad læsum se defendentem dicenti; *Desine latrare,* læsus respondit: *Desinam, si tu mordere desinas.*

Septimò eversio sensus & Verborum Sales ministrat; cùm ad verba tantùm, non ad mentem attenditur. Sic dum herum civis rogasset, *an si summo manè illum conveniet, molestiam id crearet?* negante id hero, subdidit Civis. *Igitur te suscitabo.* cui herus reposuit: *Tu vero negaveras te molestum futurum.*

Octavò juvat expositio dicti alicujus

jas festiva. Sic cùm Wasrimus occupasset Tarentum, & Salinatorem interrogasset, an meminisset suâ operâ Tarētum receptum esse? Quidni inquit? *Nunquam ego recepissem, nisi tu amisisses.*

II.

Sales Attici in re ac sententia.

Pluribus modis hos erues, ijsq; sermonem condies.

Primò cùm ex aliquo facto consequens jocus eruitur. Sic in calamistratum:

Qui faciem minio pingit, plūboq; capillum,
Non est hic verus, sed, Clyte, pictus homo.

Simile illud dictum Archidami, cùm Chij senem ad Lacedæmonios misissent legatum, qui tamen cani-

 niti-

nitiem fucarat. nam Archidamus de illo: *Quæ, inquit, huic fides habenda, qui etiam in capillis mentitur?*

Secundò, cùm ea quæ fieri nequeunt, ridicule optantur. Sic alijs in laborem incumbentibus, alter in herbam effusus ac procumbens vovebat *O si sit labor ista quies!*

Tertiò cum apposita conditione impossibili jocus aliquis constat, ut ille:

Doctior & Musis, & Phœbo doctior esses
Si foret ex omni stipite Mercurius.

Quartò cùm festivè adversario conceditur, in quo dissentit. Sic dum obscuræ sortis homo cuidam Optimati objiceret, *quòd suis se majoribus indignum probaret*, ille opposuit: *At tu Mehercule dignus tuis.*

Quintò, potest adhiberi familiaris falsa correctio. Sic cum Granicus malo Causidico suasisset, ut mulsum bibe-

biberet frigidum, isq; respondisset: *At vocem perdam*. tum Granicus: *Melius est*, inquit, *quàm vt reum & tot causas.*

Sextò, cùm aliquid dicitur, ex quo latens ridiculum erui potest. Sic videns pendulam ex arbore cujusdam pessimam uxorem, adstantibus dixit: *O si cum tali fructu arbor similis in meo horto esset.* quo suæ uxori non dissimili laqueum tacitè vovit.

Septimò cùm respõsio taxat interrogantis importunitatem vel arrogantiam. Sic cùm captivum nonnemo compellaret? *Quid ploras?* respondit captivus: *Mirum si cantem in his vinculis.*

Alius inepto Oratori *sciscitanti, an ad misericordiam flexisset iudices sua oratio?* respondit: *Imò vel maximè. nam omnibus miseranda visa est tua oratio.*

Octavò, Hyperbole ad jocos deſervit, Sic Scipio Cato Metello ſtupidiori dixit: *Si quid poſt eum ſua Mater pareret, aſinum parituram.*

Nonò, cùm laudem ſonante vocabulo celatur vituperium. Sic cùm de Poëta peſſimo & nullius momenti ac ingenij quidam ſenſum exquireret, an benè rem Poëticè deſcripſiſſet, reſponſum: *Non potuit meliùs.*

Decimò, cùm patiens Perſona vel affligens facetè redarguit dictum alterius. Sic quidam ab alio inopinatò percuſſus, percutienti ſerò momenti, *Caveret ſibi*, reſpondit: *Dicendum ſic erat, antequam percuteres, an alium ictum paras?* At alius otioſum verberans dicentem: nihil feci, feſtivè, increpuit: *Ob id ipſum te verbero.*

Vndecimò, tacita vel comis reprehenſio ſalibus quadrat. Sic dum Prætor ſtultum Patronum cauſæ Reo deſignaret, reus dixit: *Adverſario meo hunc dederis Patronum, ego non egeo.* Sic Auguſtus cænâ olitoria acceptus, obſonatori, qui illum invitarat, in aurem dixit: *Non putabam me tibi tam familiarem.*

Duodecimò, aliquandu vitium honeſto verbo ſalsè perſtringitur. Sic cùm miles Duci abſentiam à bello excuſaret, quòd excubias in caſtris peregerit, illud à Duce eum mox exauctorante audiit: *Non amo nimiū diligentes.*

Decimotertiò. Ex ſimili vel comparatione jocus deſumitur. Sic jactanti, quòd largius bibendo non evaderet temulentus, reſponſum: *Hoc idem & muli poſſunt, dolia item & ſpongiæ.* Item ex voce ſibi vanè applaudenti alter: *ſic planè meus aſinus rudit.*

Decimoquartò, cùm præter ſpem reſpondetur ſalſiùs. Sic dum Sacerdos Catholicus equitans, à Conſule civitatis hæretico interrogaretur, an Chriſtus unquam ſic eques inceſſiſſet? repoſuit: *Aſino quidem ille vectus, ſed quia nunc aſini conſulatum obtinent, quis auſit illis uti?*

Sic alijs percunctanti, qualem putaret, qui in flagitio deprehenditur? reſpondit: *exiſtimo tardum.* Scilicet, qui non antè fugerit, quàm deprehenderetur. Alius, roganti quid ſapiens faciat, dum nimiùm alget? reſpondit: Tremit. Anus etiam Syracuſana rogata à Dionyſio tyranno, cur pro illo oraret Deos: reſpondit: Timeo ne te deterior ſuccedat. Inſperatum & illud cuſtodibus portæ civitatis, per quam plagiarius ad laqueum ducebatur, ab eodem dictum: *Hodie portam civitatis*

tatis licebit citiùs claudere; nec me expectetis.

Inſperatum & illud Domitio, qui Craſſo objecit, quòd domi murænæ mortem ploravit, reſponſum. *At tu nec tres tuas uxores deploraſti.* Et illa ſpem prævertit defenſio, dum cuidam meraciùs bibenti & inter pocula Flaminem verbis invadenti, lis intentata eſſet: is enim ad Iudices: *Si inquit, rurſus æquè potavero, nec Diis parcam*, quare cognito vini vitio abſolutus. Inſperatum & illud ab interrogato de Medicis, quid ſentiret? Feliciſſimos inquit puto: ſoli Medici impunè alijs vitam tollunt.

Decimoquintò, cùm quis in eodē vellitur Salſius, qui alium inceſſit. Sic cùm quiſpiam viro velut fæminæ illuderet, diceretque. *Quando tandem venies cum tua lana & colu?*

reposuit illusus: *se non audere: nam & famosos vetuit me mater accedere.* quo arguit illusorem famæ haud integræ fuisse

Item cùm in suo vitio quis salsiùs perstringitur. Sic nonnemo dum sartorem decussatis manibus sedentem vidit. In via salutis es, inquit: quia quamdiu sic manus contines, nihil alienum è vestium reliquiis subducis.

Decimosextò, ex eruditione jocus desumitur. Sic illud in delatorem pari crimine infamem: *Clodius accusat Mœchum, Catilina Cethegum.*

Decimoseptimò, cùm quis suo dicto capitur. Sic apud Bidermanum Pastor bucula amissa sollicitus, ne Domino damnum dependere cogeretur, Prætori dicenti, *Domino id periisse*, nec jacturam pastori imputandam subjunxit: *Tua ergo fuit, ò Prætor, bucula.* mox ille: *Aliter ergo nunc rem decidam &c.* quod utique risum excivit.

§ 2.

EUTRAPELIÆ LOCUS.

Ridicula commendat rarior usus dulce est desipere in loco, ut monuit Venusinus. alioquin qui semper ridiculus, idem alicubi scurræ gemellus, qualem nec Democritũ velim. Est tamen, cùm festivum esse licet; & pulchrum, si seria interdum sic dirimas. Locum designo.

I.

Eutrapelia in festivis Narrationibus.

Abundè est, talium apud plerosque. Attica Bellaria Pontani spargunt *hujusmodi sales* affatim, *ex quibus novus Salinator* post Romanum illum

illum evadas. Nec Utopia Bidermani hic parcior dubium, ſtylo, an argumẽto magis deliniat. *Nec Theſſala Tempe ſic amæna, aut ver Tiburtinum.* Mihi furis ingenium inter Sales eſto, & primum Eutrapeliæ argumentum.

Narratio Feſtiva

1. Fur attonſus.

Et alios Autolyci novum nepotem accipite; ſed qui furtis ingenium miſcuerit; illis locuples, hoc ſecurus; *dignum Mercurio caput*, aut arte meliori. Inter palatij tineas an ephebos fuit, Principi in delicijs *poſt piaculũ, quod arte feliciùs effecit.* Nox intempeſta in facinus egit; *nec ſapor, tunc ſed furta placuêre.* Ergo Principis ærarium invadit, tenebrarum fide audacior. neque hæc fefelliſſet, *ſi*

foret

foret ſemper tacitum ſcelus, & ſilentium noctis oberat, ne nonnihil clavis obſtrepens rem panderet; quæ incautiùs adacta, Principi ſoporem eripit. Advertit inſomnem jam herum plagiarius, & abiecto inter frequens famulitium corpore, *ronchis furta contegere conatus.* Difficile videbatur inter veros plurium ronchos, ſimulatum internoſcere. Sed *falſa ſeſe ipſa perimunt; & ſolertia, à veris illa dirimit.* Erigit ſe Princeps è ſtrato, & *per Endymiones aurem circumfert.* Quem autem illi objecit ſuſpicio, velut inter ſoporis mendacia ſcelus tegeret; eum atronſo leviter capillo notat, hac ſcilicet *iuſtâ comarum iniuriâ* interdiu *internoſcendum.* Senſit meliorem ſolertiam dolus, plagiarij, jamque illi *mendax diſplicuit ſopor.* Ergo is verſare ingenium, qua arte vel cras eluderet he-

 rum

rum, & *tonstrinæ illuderet*; vel laqueum furtj appendicem à se amoliretur. Qu, re *laquei metum vltrò prævertit laqueo*; sed funis abruptus mori vetuit *Certiùs à præcipitio fatum* videbatur; nec displicuit, sed infamia sic elisi cadaveris dissuasit. *adeò vel in infami crimine fama quæritur.* Quid ergo? amentiæ fuco facinus occuleret? Sed *neque deliriis vera furta impunè donantur.* Reperit tandē, *quo consilio feliciùs scelus esset.* Ut se furem negaret, *omnes effecit.* Grex famulitij ingens ponè stertebat: omnibus comam attondet, parique nota afficit, quam à Principe acceperat: atque sic dolo post furta perfunctus, stratum securus repetit. Diluculat deinde, cùm Princeps aulicos omnes adesse jubet. Advolāt. sed dum unum inter omnes observat, *omnes diminuto capillo* reperit.

Sic

Sic *latuit inter similes, noxæ reus,* & versa in risum ira Prnicipis. *Adeò vel in arduis ingenium se tuetur.*

2. *Funus vivum, & Vrsi consilia.*

Illud notius est, quàm ut recolā de viæ socijs in ursos illapsis. Primus utrumque jugulavit timor; sed tamen *à pavidis itum in vitæ consilia.* Fuga placuit, quæ unum periculo mox subduxit. Indoluit alter jam absque suppetijs: quare *ingenium in auxilia traxit.* Cadit, & extinctum se simulat, *retento spiritu inter funeris mendacia.* Assiliunt feræ, & spiritu explorato, nec reperto, *ceu morticinam prætereunt, nec rictu ieiuno dignantur.* Revixit tandem extinctus jam periculi vacuus, *gratulatus ementito funeri vitam*; cùm adest profugus comes. hic cominus per-

 cuncta-

cunctatur, quid explorator Ursus in aurem illi dixerit: Reposuit comior & *sese dissimulans alteriùs ira*; monitum se, ut videret, cui socio fideret, ni se illusum, & discrimini obnoxium vellet. Is *mihi amicus*; *qui vel in fatis se associat, utrumq; fortunæ comes*

3. *Eutrapelia cruenta.*

Est, cùm *in seria ioci exeunt*, & Eutrapeliæ gratiam detrahit furor. Par fratrum sit argumento, quos inter ferme *gratiæ mortales*, aut *rariùs consenescunt*. Serus jam vesper erat, & *suadebant cadentia sidera somnũ*; sed distulit mutua confabulatio sudiore cœlo producta. Amæna ultrò citròque diu jactata, cùm in cœlum defixi oculi. Hic unus fratrũ sidera conspicatus, eorum numerum in vota deflexit; totidem boves (*quid* enim

enim armentarijs & *Admeti nepotibus vota accenderet*?) boves, inquam totidem sibi precatus, quot *cælo* inessent *nocturnæ faculæ*. Ridicula hæc adhuc, quamdiu gramen & pascua abessent. Ergo alter vasta camporum cælo paria vovet. hinc jam *iur g i fomes*, & paulò pòst *fraternæ acies*. Nam prior veluti pascua suo armento jam nactus in illo fratris gramine, boves illos sideribus numero pares illuc destinat, si vota utriusque approbet æther. Reponit alius se *camporum iniuriam haud laturum*, vel ut, quæ sui juris forent, alienum pecus depasceret. Perstat armentarius, sibi fratris vetita nil pensi fore, & numerum armenti obstiturum, quem nullæ germani pellerent vires. Acerbius jam frater *prata tuetur contra imaginarium gregem*. Quid multa? In iram exarsit

ſit contentio, & campus ille duella fratrum exciuit. Ibi igitur *infelix arena, vbi Eutrapeliæ* primò *locus*: ibi dum hinc repulſa, illinc injuria arcetur, *pro nullo iure confligitur*, & mutua utriuſque cædes jurgia dirimit. En ludicra parentalia, *& parricidales locos!*

4. *Eutrapelia cujuſdam Principis Monetaria.*

Eſt, ubi triſtia & percellunt, & deliniunt, ſuauiuſque eſt, dum ſic læta teguntur, & ſub nube veluti nimbis gravida latet ſerenum; nec fulgur poſt illius omina, ſed ſol emicat. Spectarunt tam miros turbines ſæpius aulæ. Meminit Principis Europa, &, ne latè per illam evager, flos Europæ Gallia. Ingenium illi non ſolertius erat quàm amænius. Is ut Deos Deaſq; timeri no-

ri noverat, ſic Deam Monetam horrori eſſe voluit. Quid ergo? à cruda effigie horrorem illi indere meditatus. Et cùm alibi leones vel aquilas pecunia impreſſas gerat, ſed quæ non exterreant, ſi in ſinum involent, aut ſi leones illi auro rugiant, ille ultrices Diras & earum inſignia auro impreſſit: nihil ibi niſi cataſtæ, niſi fuſtes & verbera, niſi plumbeæ catapultæ vel Erynnium flagella, & quæ Nero neſciit, tormenta, aut quæ vix Phalariſmum decerent. Ut verò monetæ impacta effigies, ſic nomina eandem crudelia diſtinguebant. hoc ille ære æs alienum deinceps ſolvere, hoc merita deſtinarat. Per id temporis vicerant ejus copiæ, & novum Capitolium poſcere triumphus videbatur. Aderant victores, & Principi detulere lauream, pro qua pulcherrimè

rimè decertarant. Auditæ plaudentium voces, & virtus non illaudata abiit. Sperare præmium insolentius adegit victoriæ insolentia; sed placuit victoribus illudere in speciem, & veluti supplicia decernere in pulchri facinoris hostimentum. Ergo id cuique destinat, prout gradus vel merita victorem distinguebant: non sestertium mille verbera & catastàs: in alium, in alium mucrones, & sagittas, nomina, certissima lethi omina. Hic verò quis in animis triumphalium copiarum pavor? quis in vultu color? quæ intus odia in Principem velut ingratum exarsere? vicisse jam pænituit, dum sic triumphi plecterētur. Adest interim, qui supplicia maturet: effungit ingentem aureæ gazæ acervum, quæ infamiam nominis & impressæ sibi figuræ, pretio aboleat. Hæc

Hæc illis verbera, hæc flagella, hæ plumbeæ catapultæ, hæ secures & gladij ultores virtutis, alibi sceleris. Risit jam illorum pavor, versa in gratias odia, puduitque se timore panico victos verbisque, qui hostē non expaverint. Adjecit nonnemo & vota, ut sibi, ut orbi tales Phalarismi obveniant; & quòd nec Neronem odissent sæcula, si ita sævisset; ac nec merita malè plectenda, si hæc illis supplicia decernantur. Geminavit ergo lætitiam dies, & à triumphi gloria, & de præmij novitate. Geminatus Principi plausus, qui præter hostem & suos vinceret, doceretque Eutrapeliam ubique triumphare.

5. *Eutrapelia piè severa.*

Adhuc nos recreet Ducis de Ossouna festivior in dicendo lepos. Neapo-

Neapolim is regebat, cùm navigia reviseret non minùs milite quàm multo remige instructa. Remigum vix ullus, quem culpa remulco non affixerit, vel hoc indicio reum, quòd in hac esset sorte & compede. Triremes ergo illas non Æoli flabra sed rea scelerum mancipia impellebant. Placuit Duci cum miseris citra supercilium agere, ut vel leniret alloquio servitutem, vel ubi responsa gratiam poscerēt, eandem tolleret. Ergo illi vultus comior linguā in gratias relaxat, ne attrociore aspectu miseri viderentur magis infelices. Percunctatur singulorum nomina & demerita, quæ remigio luant, in familiam minùs felicis remi sic transcripti. Hic verò certatim singuli pro se quisque: hic meram in se plecti innocentiam, ille merita mulctari, quæ vix illa repo-

nat ætas honosq; ; alius serviles remos in belli & fortunæ aleam rejicere, quæ inter captivorum merita non discernat: alij in rem suam afferre, quæ nauticæ fæci fortique eos eximere possint, si actis grandibus merces exigatur. Hic verò Princeps in speciem ad dicta miserorum attonitus, cœpit vinculis irasci, quæ tam insontes premerent. Unus superat, qui nec pro se, nec contra se quidquam hactenus. hic Ducis imperio adactus, ut calamitatis causam depromeret, non supplex, sed actor, mille noxas se hoc infortunio expendere confessus, necdum easdem supplicio exæquare. Nec mille triremes, inquit, plectendis sufficerent, si tot remis unus sufficerem: vita mihi inter propudia effluxit, prima ætas luxu infamis & ganea, provectior rapinis ac cædibus:

nil unquam bonæ frugis, nil in me boni moris: hic me præsens fortuna non dejicit, tot scelerum nondum æqua merces. Quid verò inter hæc comitas? Hic illi Eutrapeliæ theatrum, ubi sceleri personato furore subiratus: Te verò, inquit, unum tot inter innoxios patiar? te hoc tam sanctum ultrà navigium scelestè ferat? Equidem vereor, ne probra hæc probis eorum moribus allinas, mera fuligo; & ne hi evadant probi à tam nefario Quare exesse te hinc jubeo, nec ultra inter tam illibatæ famæ vitæque remiges: Sat tibi supplicij, ab hoc proborum consortio excludi: malim te liberũ, quàm pestem & corruptelam bonorum in hac liburnica simul degere. Dicto citiùs demptæ illi compedes, ademitque remum lepida Ducis Oratio.

II.

II.

Eutrapelia in Poësi.

Alter Eutrapeliæ locus in Epigrammatis & alia Poesi. *nec enim semper Tristium libri à Poëtis texũtur. Imò & prodesse solent, & delectare Poëtæ.* Ne Heroicam etiam Poesim hinc eximas, Mæonius vetat, ejusque *Brachomyomachia*, seu ranarum cum muribus arma, quibus *Dulichia tuba præcinit.* Illud precatum velim, *ne Tibullum aut Propertium ioci sapiant*, aut post alios myrto Veneris, quàm lauru Apollinis digniores, Ovenum, de quo illud: *O Venus impurus quantum tibi debet Ovenus!* non aliunde *illi*, quàm *à Venere vena* deducitur; veluti amænior esse nequeat Poesis, nisi sit spurca, & honesti labes, verecundiæ scopulus & quidam parricida. Illam approbo, quæ

quæ *severa decoris salibus temperat*, & *Catonem Casto Nasoni sociat*. Nec aliud Eutrapeliæ genus in plerisque *Talis est Balde nostri* Thalia, seu ubi Pygmæos Titanibus componit, seu ubi Macilentorum familiam Crassis. *Talis Bahusius* in epigrammatis, talis Stratius, talis in Acroamatis Albertus Ines, Bidermanus, & alij, *quos amæno Vranie dedit ire cælo.*

Iuvat Eutrapeliæ Poëticæ, Lusum Calculorum attexere. nam ludum latrunculorum Hieronymus Vida complexus.

Lusus Calculorum metro comprehensus.

Ite graves Musæ. Iuvat inter seria mistus (l

Arte lepos, *tacitoq; loquax victoria lu*

Bella placet sine cedæ. *Fave Bellon*

canenti.

Non

Non *hic ancipiti metuendus acinace Mavors*,

Sed super arboreâ mitis grassatur arenâ

Et robur silvestre *premit*: Nemus arma ministrat.

Stant bellatores disci, mutæq; phalanges

Exanimis sine mente cohors; sine cuspide Martem (arvis

Lenta ciet: Pacatæ acies bipatentibus

Assultu leviore ruunt. Stat inermis utrinque (nam,

Miles, & in plano gaudet fecisse rui-

Siccâ cæde furens. *Sic pugnax Lechia, quondam* (vas:

Æmula bellaces armavit in agmina sil-

Ingenio tum parta salus. *& passa securės* (cos

Arbor, *in erectos galeato vertice trun-*

Surrexit, mentita virum. *Sed casside nullus.* (discos,

Hic armatur apex: teretes fert area

Quos in bella parat paribus committere discis.

 Hinc

Hinc perstat duodena manus; duodena viritim (*passu,*
Illinc tela quatit, gemino discrimina
Ternus utrinque pari sub milite figitur ordo:
Bis geminus miles spatio distinctus inani
Detegit hostiles cuneos color: ater inumbrat (*stat.*
Adversas acies, quas contra purior in-
Quadratum dat arena latus, metisque coërcet
Alterno variata loco: non valle cavātur
Plana loci, nec collè tument passura cothurnum
Militis; at fixâ prohibēt excedere metâ.
Par animus virtusq; viris. mentemq; futuræ (rit usus.
Spes laurûs præsaga rapit: spem partu
Iamq; duella parant. Laxus effusus habenis (*gnæ*
Hinc præsultor eques miti proludere pu
Incipit, ac propior vicinũ Marte lacessit. *Sed*

Sed docili dextra dum vibrat eburnea tela,
Obviat ater eques, vicinaq; tela reponit
Nil abaco passus, risitq; exordia pugnæ.
Suppetiæ risum vetuêre, minaxq; secundis (*Hector.*
Vis unita virûm, quos candidus admovet
Includens tacita pullas indagine vires.
At non hic, *inquit*, dubio succumbere Marti
Me sors ulla feret: geminus mihi funditur hostis
Unius pugilis telo, vel viribus, impar.
Incaluit Mavors, & clade efferbuit ira, (*passum*
Nec retinet pigrum per Martia iugera
Læsa cohors, quin fata ducis comes ultor, in hoste (*ponat.*
Vindicet, ac fraudes inopinâ fraude re-
Casibus assurgũt animi, mutilusque resumit (or ausus.
Tela pavor, damnisq; subit violēti-

 Si

*Si ſolus premit arua pugil, ſociaſq; re-
movit (chate
Vires plaga recens, nullo comitatus A-
Meta ſit adverſis, alieni victima Martis.
Sed ſequitur vindicta comes: Creta-
tus Achilles (intrat
Huc illuc intorquet ebur, lentiſque ſub-
Agmina ſurva dolis, & tandem* præva-
let aſtus. *(ra laurum
Nam vigil in clades, vel per ſua fune-
Prẽsãt, ſtrage ſuâ fatis hoſtilibus inſtat
Donec nocticolor tacitâ ruat arte Tri-
umvir,
Et triplici pictam fato funeſtet arenã.
Hinc iam rara micant turmis nigranti-
bus arma,
Innexiſq; negat cõcurrere viribus arbos
Languerant primo peramicæ ſortis
abuſæ (hoſtis
Munere puræ Aquilæ, caſu generoſior
Dum ſubit, & vacuâ greſſũ molitur a-
renâ,*

Virtu-

Virtutiq; dolũ ſociat, *luditq; morãtẽ
Diſſimulatq; fugam, tumidum quâ ſub-
ruat hoſtem: (tus
Tum reſides ſocios bellis ciet æmula vir
Duxq; monet*: Trepidi rarò ſtatuêre
trophæum, (catrix
Ite viri: magnis levior præit ante ci
Auſibus, & cladem regerit graviore
lacerto.
In latus arma fluant: hic armiger
excubet aſtus,
Non dubias ſpondet, veri mens præ
ſcia, laurus. *(cet atris
Hic Ducis ore ſonus vix emicat, ili-
Inſtat Enyo viris; pugnax decreſcit a-
rena (cluſo
Alternatq; vices, donec per damna re-
Ad metas aditu metuẽdus conſtitit Heros
Hic primus tumido longè violentior hoſti
Tota necaturo prætermeat arua volatu,
Auctâ mole tumens, geminoq; minacior
orbe*

 Huc

Huc illucq́; volans reptantem Agamemnona fundit,
Estq́; nefas remouere gradum: Stat per via latè (campum
Grassanti, vacuumque viris dolet area
Ille ferox clypeo, partes se versat in omnes,
Fertur in adversos, cædesque reciprocat vnus. (vel Idæ:
Sic ubi Gargani superat querceta,
Libera plaudentes decurrit cerva per agros, (*sequaci*
Et volucri pede pulsat humum, nil pone
Territa latratu Sic dum Iovis ignis *ab axe*
Emicat, & madido dimissus carcere prono (*Triones:*
Impete per trepidos grassatur flamma
Cuncta ferit pavor ipse quibus vaga fulminis ira, (flāmæ.
Et præceps rapidæ parcit violentia
Mox ibi diminuit cuneos lusorius Hector, *Tum*

Tum refugis præcludit iter, campoque vagari
Haud sinit obsessos, tota metuēdus arenâ
Quod si fortè minax valido cum Velite sese
Inferat adversis; augentur funera cæsis,
Quodq́; nequit miles, fecisse Triarius audet (*pugnæ,*
Et sine lege furit. Sed maior gratia
Si metæ attactu molē geminârit uterq́;,
Desuper iniecto magè formidabilis orbe.
Ambo calent animis, & uterq́; laborat in arcto (vulgi
Ne ruat, & stantis fiat nova fabula
Estque labor vicisse; anceps *tunc* alea nutat. (*casses;*
Nec vacat insidiis cæcos obtendere
Quisq́; palàm socias in certa pericla catervas
Dux agit, & plures vnius funere sternit
Quod si forsan amet longum producere Martem

 Ac

Ac Heros Heroa petat *vult velitis arma*
Inque dolum removet, peditis quò funere palmam
Auferat admoto, cæsoq; insultet Achilli:
Qui si cautus agat, juvat angulus Hectora, *sæpe*
In funesta vigil trepidis. quin meta tu-(etur,
Obsidio ni fortè premat, metisq; recluso
Arctiùs intendant vigiles in cornua turmæ.
Hæ si dissiliant, felix operitur arena.
Tum miti Bellona manu, placidoq; furore
Sævit, & in medio, pars hosti præda, fritillo
Interit, aut stricto metarum carcere (pressa
Dat victas sine cæde manus, captivaque nescit
Suppetias, quas ferre nequit sibi turba (superstes,
Certa iugi, fœdæq; necis post fata suorū.
Sic quæ prima hilarant sortis præsagia fallunt!

III.

III.

Eutrapelia Oratoria.

Hujus etiam usus est in Oratione, quæ sales hujusmodi non refugit. --*nec enim facundia semper Adductâ cum fronte placet,* ut monuit Lucanus. Tria hanc efficiunt, stylus Oratorius, Sales jucundi, & in his decôrum. Paradigma subijcio.

Jocus in obesum.

Ex familia Crassi te jurâssem, nisi quòd Romanus ille; tibi Daventriæ, patria fuisse videatur. Potiùs tamen è cucurbitarum genere te jurassem; nisi quòd virtus te inter homines reponi velit. Nam nemo te continentior, cui tanta abdominis capacitas: nemo tolerantior, qui continuò tantam æquo animo sarcinam geras, nec sub pondere ge-

mas; *pondere* inquam, *quod nollet ferre rogatus Atlas*. Alijs venter velut hypocrita, qui gracilitate ſua ingluviem diſſimulet tegatque: tuus apertior, tantuſque apparet, quantus per augmenta tumuit. Nempe *non vitam producis, ſed ventrem*: nec latet id ſub hoc carneo colle, ſeu *abdominis hemicyclo. &c.*

Jocus in profugum ex bello.

Ades è prælio; ſed victorné, an victis ſuperſtes? Alterutrum rebar, ſed fugæ ſpecies victorem perſuaſit. nam alibi fuga reſpirat, tua triumphat Plus reponis in vita ſuperſtiſtite, quàm in victoria, & *vixiſſe tibi potiùs eſt, quàm viciſſe*; at *quod profugi vivant, fuga dedit*. Nec *cauſa fugæ*, quæ ſæpe *timor imbellis eſt*, in probrum recidit, cùm vitæ tutelam offert. *Immune id labis, quod intempe-*

ſtivo

ſtivo funeri & Libitinæ hominum ſubducit. Nullum item *famæ vulnus, malis cedere, quæ aliter vincere haud poſſis.* Patriæ tunc amor fugam ſuadet, cui te ſervas in plura prælia & ſatius eſt plura poſt ſperare trophæa, quàm uno prælio fundi, & ſpe ſequacis laureæ quæ labem obliteret, excidere. at ſperat, qui ſemel in ancipiti fugam capeſſit. Talis tu mihi ante alios, ſpatium olim vincendi nactus à nupero ex caſtris reditu. Imò ſi vincere non cõtingat; *Suffi ad immortalitatem, fuga continua Non moritur vnquam in acie, quem pedum aut equi pernicitas hinc ſemper eripit. Non hic è mortalium numero, ſed ex immortali videtur proſapia*. Habes inſuper, quod in conflictu nemo; ubi haud quiſquam extra diſcrimen & aleam fortunæ: tu periculo vacas *timentq; te ipſa pericula*, quæ tam

 præ-

præcipiti gradu proculcas, adeoque extra omnem aleam te reponit longè alia quàm in Cæsare celebretur, in bellis celeritas, cum quo tibi cõmune illud. Veni, vidi: tibi uni proprium, fugi. Sic alij manu & arte, tu victor pedibus evadis; nullusque felicior, dum cursu vincendum. Et sanè sufficit hosti palmam surripere, nec esse, quem in triumpho ducat, vel cui victo Capitoliũ insultet. &c.

IV.

Eutrapelia in Dialogismo.

Dialogismus etiam ad Eutrapeliam trahitur, cùm mutui inter loquendum sales placuerunt. Quorundam *festiva ingenia*, arte non indigent: *spargunt* hujusmodi *iocos & inter seria*, nec prævia ad præmeditandum mora. Humana etiam con-

sortia

sortia, his affatim referta: & exempla ingerunt Comici, vel qui congerũt festivè dicta aut responsa. Longius extra Apophtegmata exemplũ accipe.

Dialogismus festivior.

Claudi cum Milite.

Clau. Bella mens agitat, quibus primæ mihi exercitæ & attritæ vires.

Miles Claudũ te jam cogita, & Mars desipiet.

Clau. Imò *tâlibus bella egent, ne signa deserant.*

Miles At tu in fuga tibiam fregisti

Clau. Si comes belli fuisses, fregisses utramque:

Sed domi tutior fuisti, homo umbraticus.

Mil. Ergo tibi nemo pedibus incolumis bella iniit?

Clau:

Clau. Nemo si tibi similē arena accipiat

Miles Te verò arena refugit, quales pax ipsa etiam odit.

Clau. Magis bellum odit lepores; de *quorum numero tu mihi primus eris.*

Miles At mihi *in bellis* etiam *potior lepus, quàm testudo, nec enim tantum inter quadrupedes gloria prima lepus.*

Clau. Ego *à galeato lepore nil gloriæ sperem.*

Miles Nec Claudus fractâ tibiâ pæanem canes De te si aliud spondeas, *Romanus mihi Cocles eris* Unde si bella ingruant Claudorum agmini te Ducem voveo.

Clau. At ego te agmini leporum. Uter Dux clarior, tute videris

Miles Clarior, qui Diis similior. at *Dii etiam*

etiam timuerunt Typhoeum, adeoquè formido in Deos cadit, si hanc mihi impingis

Clau. Si is clarior, quem dixisti; *in me Vulcanum adora.* Sat mihi gloriæ, Deo illi esse persimilem. Non obest Divinitati pedum vitium; nec Mulciber bello inutilis nam *Mulciber in Troiam*; & ab illo Iovis fulmina in Gigātes Mihi si desint fulmina; gralli, qui me sustinent, pro sparo militis aut tragula mihi fuerint.

Miles Si cum Dijs te componis ex pedum vitio; *si tu Vulcanus, ego Iupiter vel Apollo &c.*

Sed Dialogismorum exempla dabit Pontanus & alij.

Huc etiam spectat brevior Dialogismus cum aliquo Salium condimen-

dimento in Apophtegmatis. Tale illud; cum vir improbus ſuis ædibus inſcripſiſſet: *Nihil ingrediatur mali*: tum alter repoſuit: *At Dominus ædiũ quâ ingredietur?* Tale & illud cuidam percunctanti, quænam dotes Principem ornarent, reſponſum: *Omnes, quæ tibi deſunt*. Sed talium abundè eſt alibi. Habet hæc Demo critus ridens: habet Gaſpar Ens, ludicrum caput, & plures alij, ad quorum dicta vel reſponſa fruſtra illud monueris: *Riſum teneatis amici.*

V.

Eutrapelia in tenui argumento, vel inopino, iucundè ingenioſa.

Plerique hoc Euttapeliæ genus ſectati, ſeu relaxandi animi, ſeu ingenij oſtentandi causâ. Humile argumentum, quod vix ullus calamo vel

vel opera dignetur, aſſumitur; in quo perinde ac in grandibus arte ludicra laborat, ſibique plaudit ingenium. Sic *febris quartanæ laudem pertexuit Gellius, Buſiridis tyranni encomium Iſocrates, Glaucus iniuſtitiæ, Muſcæ Lucianus & podagræ, Syneſius calvitii, Culicis Dio Pruſenſis, aſini Paſſeratius, Therſitæ Libanius, Ovi Ericius Puteanus*. Hæc omnia ſi velis, Pontani ludicra in Atticis bellarijs evolve. Hic aliud offero.

I. *Hyems, Anni partibus præfertur.*

Annum in partes ſecuimus, quarum *libranda* nunc *ſtylo dignitas*; Ver, an æſtas; hyems an autumnus ſuperet. Alijs oculi ſuffragantur: *Brumam ratio præfert. nam dignius ſæpe, quod maturius. at ver, quædam eſt anni infantia*. Pueritiam ejuſdem in æſta-

æſtate cogita, quæ matureſcit in autumno, in bruma ſeneſcit. Nulla porro maturior ſenio ætas, & Decembris ac Ianuarij nives canitiem quandam anni referunt. Hinc ſi *maturitas* alijs referta bonis *eminet*, an bruma non præpolleat? Affatim hæc omnium gerit, hæres eorum, ex aſſe, quibus beatior ſibi viſa æſtas, autumnus felicior. Nempe patrimonium brumæ eſt, quod reliquæ partes anni protulerunt. Hæ velut hyemi vectigales; imò veluti colonæ, illi laborant, eidem colligunt. hinc bruma fruitur, quòd ver teneriùs fovit, meſſuit æſtas, autumnus retinuit. Subjicit brumæ naturæ calculus hæc nomina, omnia ſervire & tributum pendere cogit. Adorat illam Iulius, adorat Auguſtus, nec Cæſarum nomina abſolvunt Menſium Principes à tributo. Mitto

to *compreſſos Neptuni fluctus*, ſubacta flumina, mitiores ſub hac Principe amnes. Quin & cœlum, brumæ regimen colit, quod per novem illuſtrius, ſtellis tunc maximè coruſcat. Idem cœlum repetundarum veluti reum quotannis eidem Brumæ ſiſtitur, quod ſolenni in æſtatem injuria, dierum lucem mutilet ac contrahat. Damnatur ergo ad lucis tributum, & reddere pari augmento ſenſim cogitur, quam diebus lucem per decrementa cœlum abſtulit. *Nec ſilvæ iugi expertes*, ubi arbuſta hyemi ſubmittunt verticem, cadere prona, cùm cæduntur, excidium paſſa & ſecures. nam *non Roma tantùm, ſed bruma etiam ſecures gerit* ſilvis metuendas. Nec enim ita ſævit in corpora, ut non etiam ſimul foveat, dum *immite aliàs cœlum focus vincit*. Habet inſuper tot ferarum ſpolia

ſpolia, tot gregum vulpiumq; exuvias, quæ auram molliant. Hinc *nec* crudum *Brumæ regimen inter cælorum aſpera*, contra quæ domi æſtatem habet, & caſis eandem infert ac indulget, &c.

2. *Senium præfertur*

Quænam votis dignior hominis ætas, non facilè ex omnium voto decernas. De *infantia* nemo contēdit, quæ *hominem vix à bruto diſcernit; & ſola tunc effigies hominem probat*. Pueritia rudior, & ſæpe temeraria, nec humanis apta commerciis ſine ferula, poſcente hanc licentiore ingenio. Genas illi depingat nativus ad gratiam color: *capillum cirri in anulos contorqueant: Sit Paris alter, alter Damocles, vel è Gratiarum choro*? ſufficit puerilis ætas, ne multùm ver hoc ætatis æſtimes. Poſt præ-

prætextam omnia à virò ſperet, quæ poſſis in toga & ſago. *Virilis ætas illis idonea, quæ famam alunt, vel illâ exuunt*. Sed *parum eſt fortunâ vel famâ vti, niſi diu fruaris. Fulgur* hoc *non amatur, ſed conſtans ſerenum*. ſi hæc in medio curſu te relinquant, extra metam votorum putantur. *Fortuna placet quæ domi conſenuit: & famæ diuturnitas non primordia voventur*. Nec in ætate hominis aliud cogita. Nulla votis ſic congrua, veluti ſenecta. Vixiſſe non ſatis ſe putat, quiſquis hanc non attigit. *Hæc demum ætas*, vitæ perfectio, *ætatum omnium* meta eſt complementū, ac *optatiſſima coronis*. Hinc ſi lingua in omina ſit profuſior, canos tibi precatur. Pylia ſenecta, anni Neſtoris in ore, dum ſibi benevolentia indulget. *Quidni præhabeas, in quod vota omnium feruntur?* alioquin immatu-

matura tibi fata apprecor, illud & reclamo, *Non senescas.*

VI.

Eutrapelia Sacra.

Nec Sacra non festiviùs agunt, cùm locus & argumentum patitur, ac ubi amæno ingenio innexa sanctitas, qualis tum Iacoponum è Minorum cætu maximis adæquavit, tum Simeonem Sali cælis inseruit. Ne morer, Eutrapeliæ Sacræ exemplum indico in Pijs Hilarijs Angelini Gazæi, ubi lepos sanctior, & joci piè festivi tum in stylo, tum in argumento. Nolis Democriti Sales præ illis. *Splene carere te dixerim, ni sub inde inter hæc effusè rideas.* Ibi sanè haud licuerit Risum tenere; lege, & ride.

Vetustas plus indulsit in sacris. nam *Thessali Risum in Deos retulêre.* Nec

Nec Sparta aliter à *Lycurgo* Sapuit, *qui Risûs simulacrum, Diis Laconum addidit*, functosque militia illi Deo Sacrificare jussit, nec tam Pæan, quàm Risus placuit.

Sed Eutrapeliæ Sacræ fontes non aperio. nam & quos suprà aperui, eidem deserviunt; & ingenium ad Sales hujusmodi natum, ac occasio vix arte indiget, ut *plures Hilarii, aut Hilariones* inter Divina etiam munia amænius agant. *Iuvat hîc Thomæ Mori meminisse*, qui etiam in extremis *piè festivus*. Rex instabat, ut posita pervicacia (*id virtuti malis infractæ apud perditos nomen*) novellas nuptias, quas jus Divinum humanumque damnabat, approbaret. Tum ille composito in lætitiam vultu, se mutasse ait sententiam. Vulgavit dictum fama at attonito Rege, ac chirographum postulante, Morus

Morus disertiùs *volui*, inquit, *ante barbam ponere, sed ab hoc animi decreto iam resilio: eandem potiùs fortunam barba subeat cum meo capite.* Continuata & ultrà dicendi amænitas. nam locum supplicij conscensurus, manum sibi à quopiam porrigi jussit, illud adjici festivè. *Iuva me, vt conscendam: in descensu nemini molestus ero.* Sic *nec in theatro illo ferali virtus inamæna!*

SPECIMEN VII.

Admirabilis Eloquentia ELOQUENTIA THAUMATURGA.

PRodigiosa opera Thaumaturgis dedere Nomen: nec ab uno in trahitur, sed *pluribus prodigiis opus ad tam speciosum nomen.* Hoc tamen eloquentiæ pænè agnatum, quæ ubi aliæ facultates intra communes operum metas hærent, *clarescit per prodigia.*

§ I.

COMPARATIO ELOQUENTIÆ THAUMATURGÆ.

Mira in plerisque stupemus, quæ in Oratoriæ facultatis vi relucent æquè omnia, ne dicam superant. *A gemmis ordior.* Has inter, *Pantarbā referunt*, inde admirabilem, *quòd non tam gemma, quàm sidus* videatur. Fulgor insitus ab alijs secernit præfertque, *cuius nec indigus & pænè prodigus* hic lapis. nam & in umbra lucem retinet, non minus, quam in nocte siddera; & eandem rebus imprimit, noctemque die permutat. *Accedit, quòd* Magnes quidam sit la-

pidum,

pidum, quos indita vi ad se aggregat, *quod post Orphei lyram*: (ad cujus concentum. *aurita reptavere Saxa, & Æmoniæ saliêre rupes)* nulli contigit, atque adeò gemma eadē, dissita in unum colligit. Mirum, id in Pantarba; sed idem in eloquentia. Imò hæc majori luce pollet, qua etiam ad animos pertingit; nullusque tenebris locus, ubi sidus hoc resplenduit. *Serenantur animi, dum radium spargit oratio*, & quidquid caliginis in mente latuit, nativô lumine dispungit. Nec aliud Prodigium infrequens à lingua, quæ dura præcordiorum emollit, dispersa in unum colligit, *pacis arbitra*.

Eadem Thaumaturgam vim eloquentiæ adumbrat *Erici Regis Cytharœdus*, de quo jam supra memini. Rex hic non tam valuit imperio, quàm Orpheus ille citharæ cantu.

quod

quod Principi sceptrum, hoc illi plectrū quod egit in omnem partem Principem, prout harmoniæ vis impulisset. Si tristiùs sonuit melos, solui in lacrymas Princeps: *sub læta fidium, mox ipsæ risêre lacrymæ*: deniq; si classicum cantu datum; arma cōclamavit Princeps districto in obvios ferro grassatus. *Par eloquentiæ vis* in animos. Ubi hæc mella destillat lepore dicendi; *Gratiarum hortum nolis*, & uberiorem gaudiorum venam. *Ubi lessis læta permutat, Heraclitus es è ridente Democrito*. Fuit cùm & in arma impulit Oratio, quæ tum Demosthenis lingua exciuit, qui ideò bellum in lingua gessisse creditus; tum Ducum facūdia.

Adhuc cum Proteo commune quiddam est Facultati Oratoriæ. ita utrique in naturam versa prodigia. Proteus nunc in ignem accendi,

nunc

nunc in fluvij modum exundare, nunc degenerare in belluam, ementitus scilicet, *Ignemque, horribilemq́; feram, fluviumq́; liquentem. Sic faciẽ sumit mutatq́; Proteus alter eloquentia.* Novit manare instar fluminis, novit instar fulminis accendi: sunt quæ & ferocire illam cogãt, & terrore concionem percellere &c.

Denique *pervulgata Orbis miracula* cedunt Eloquentiæ. Quid enim Babylonis mænia? quid Mausoli sepulchrum? quid Ephesinæ Deæ templum? quid Colossus Solis Rhodius? quid Ægypti pyramides? quid aurea Neronis domus, aliaque artis portenta? Fateor; quod in his materiam superarit opus, & ars omninò vicerit; *Sed rident hæc prodigia ruinæ, nec artis rudera superstant.* Majus *prodigium, quod perennat.* at talis Oratoria lucubratio & in se ac elien-

elientis prodigiosa, & *æternaturæ famæ coæva.*

§ 2.

ELOQUENTIÆ MIRI EFFECTUS, & PRODIGIA.

Eloquentiam plurima Thaumaturgam adstruunt. Sine his enim vacuum gereret nomen, imò *mendacium nominis.*

Prodigium I

Eloquentia armatos vincit inermis.

Inermis temerè hostilem init & occupat arenam: telis tela, arma opponenda armis. Est tamen, cum *inermes triumphant*, sine prælio victores; *illisq́; obtingit laurus incruenta.* Atque id in eloquentiæ trophæis cernitur. Sæpiùs illa fregit hostem dicendo, & *lingua illi pro telo fuit.* Hinc illud

triumphale carmen: Cedant arma togæ: concedat laurea linguæ. Antonium inter percussores & confertam hostium manum recole. Hos Marius & Cinna immiserant, maturando hominis fato. *Perierat, nisi in Oratorem incidissent.* Ausi irruere, sed *ausum compescuit Oratio* Hac, in tempore usus ille Orator vicit, & districtos in suum jugulum enses vaginæ reddidit. Nihil ergo arma valuêre contra inermem eloquentiam, quæ Antonium servavit. *Nec Tullius pugnavit aliter Sacrilegum strueret dum Catilina scelus.* Totum illi in linguæ præsidijs robur, & *Catilinariæ armâ fuêre*; omnino valida, quæ conseruatæ Reipublicæ decus Arpinati pepererint. *Etiam sanctiora nomina* his armis usa. *Sic Leo Attilam Lupusq; fregit*, uterq; Antistes. *Vrbanior Leo* hostem obvius extra Ur-

Urbem salutavit, *fuitque Oratio pro Pæane*, & Roma Oratore incolumis Erigite trophæa inermi, & toties victrici eloquentiæ.

Prodigium II.

Eloquentia mortuos excitat: vitam dat inanimis: rationem eâ carentibus.

Nolim maiora prodigia: his quisquis inclaruit, *Thaumaturgum sepulchra clamant, & redivivi manes.* imò *Divinore vi semper eguit anastasis corporum*, rariorque hoc inter admiranda operum, quæ dedit mira sanctitas. At eloquentiæ nihil promptiùs, quàm hæc rara alioquin edere. *nec raritas, sed vsus crebrior est in pretio.* Sic verò Thaumaturga est Prosopopæia, quæ & extinctis redhibere vitam cernitur, quibus post fata

 loque-

loquelam tribuit ac affatum: id quod inanimis etiam, & quibus sensum negavit natura, tribuit, dum libet; jubetque ratiocinio uti ea, quæ ratio & mens destituit. Id quidem præstant aliquando etiam Mythologi, sed Orator præstantius. imò Mythologus hæc rebus affingit prodigia, quæ citra commentum Oratoris lingua efficit.

Id tamen Thaumaturgus hîc ne communi, sed mirabili modo præstes; Prosopopæia exornet stylus vivacior, nervosior, & imperiosior in Manes, nec quoad affectus languidior. *Nullum enim languor minùs competit, quàm qui vel mortuos è sepulchris erigit. Vivat ipse stylus,* nec emortuum quid sonet, qui *in Manes tam beneficus, eosdem vivere cogit.* Cùm verò extinctis loquendi vis tribuitur, non tam eo circuitu ad id

id accedendum: Si hanc rerum seriem cerneret, è busto etiam sepulchrali exclamaret &c. vel illo. o si coram fatorum jura sinerent linguam in verba relaxare; audiremus arguentem degeneres, & quorum inter Majores se fuisse puderet: *iret in luxum vultuosior,* fastum graviori supercilio aversaretur &c. Potiùs Thaumaturgo Oratori convenit, ut vel è busto mortuali Manes evocet: *Assurge redivivus* è tumulo; nec enim te situ sepulchrali delitescere sinunt hæ temporum vices, & causæ æquitas te vivis reddi imperat &c. Vel certè id factum diceret Orator sic: *Assurgere illum* è sepulchrali busto cernere mihi videor, & huic se immiscere Panegyri: notat oculis unumquemque vestrum, illudq; ingeminat &c. Item si reum post fata accuses, dixeris extincto. *Vixisti,*

ſti iterum te forum vivere iubet, & cauſa evocat. Tribunal contra reũ agitur ob tot animorum peſtes, quibus lectorem eorum afficis, quæ poſthuma opera in verecùndiam rea reliquiſti. Vive iterum &c.

Sic & Epitaphia ſcribuntur, ubi loquens in marmore inducitur extinctus, fitque tunc quædam *anaſtaſis*.

Sic & in ſupplici libello pro Deo ad animam peccatricem inducuntur res inanimæ ſupplices. Nimirũ ſidera & ſublunaria, quæ ibi latè & congruenter cuique in hoc argumento perorant.

Prodigium III.

Eloquentia flectit obſtinatos, cæcitatem depellit

Ferrea vel *Sipyli cautibus duriora ſunt quorundam ingenia*: prodigium eſt, ſi quis efficiat cerea, & in alteram partem eadem flectat ab ea, in qua ſæde obduruerant. Itèm non una in oculis nox & cæcitas eſt, *Sæpe rationem maior Phariâ caligine premit.* Atqui ab eloquentia *lux funditur, quæ huiuſmodi tenebris exitium ferat*, vimque illius experta eſt perſæpe obſtinatio flecti neſcia. *Illa regit dictis animos, & pectora mulcet*: agit Iudicem, quò ducit Oratio lenitatis aut vindiciarum fomes: præcipitat pænè, quo dicendi rapit impetus. Sic *Orator Atticus egit, Philippo maior, ſi vim linguæ attendas*; alter Athenarum tunc Princeps, quibus ſeu arma, ſeu pacem vellet, linguæ imperio indixit. Adi jam ſacratiores exedras; pro quanta vis ibi ſacræ eloquentiæ! quantum in animos exercet imperium! quantum

in eoſdem lucis ſpargitur, dum vel radiùs ab illa & ab hujuſmodi *Fulgentio emicuit?* luce illa mentis, quàm frontis potiori, non aliunde, r ·àm à thaumaturga vi cœleſtis fa- ..ndiæ illabente.

Prodigium IV.

Res longè diſſitas, nec jam exiſtentes facit videri eloquentia, et audiri.

Natura fronti ceu ſidus indidit oculum. lucet id, quamdiu nox ſoporẽ, cæcitas nubem non obtendat. *Idem radio vicina ferit*, diſſitis in acceſsũ. Hinc ſcholarum illud effatum, *quòd oculus indiſtans non agat*. arctatur termino vis illa contemplatrix nec in immenſum porrigitur, *eò uſq; pertingens, vbi limites videndi fixit natura.* Ut ſagitta, ſic oculus: jaculo longior

or in volatum meta conceditur; eſt tamen, ubi hæc deſinat, & volatus ceſſet. Sic ſunt nimiùm diſſita, quæ oculorum aciem effugere remotior ſitus juſſit. Sic illa, quæ nuſquam exiſtunt, & extra rerum ſunt naturam, *ſunt extra oculi metam*, intra quam nil ſtatuitur, quod lux fæderata colori, pupillæ non objcit. *Sic quidem oculus, aliter eloquentia*, quæ videndi aciem ſpatio non deſinit. Perinde profunda Oceani, terris abdita, ſita peregrè & ultra ultimam Thulen defixa intuetur, ac pone oculis ſubjecta, *Nec ſola ſic lyncea*, ſed pari obtutu beat auditorem, cui diſſita ſic exhibet, veluti oculis admoveret. Latiùs adhuc eadem vis porrigitur ad ea, quæ intentum pertulere, fatis vel aliter è rerum ſeriè proſcripta, & exſtitura nunquam.. nam talia vetantur eſſe, non videri ſi

ſi facundia colores ducat, quibus ita hæc etiam depinguntur, ut oculis ea te cernere jures,

Hanc oculis præſtat gratiam *Hypotyposis* vel Oratoria deſcriptio, cui nil remotum, nil interit, quin pupillam effugiat. Sic ſeris ſpectanda nepotibus modò exhibuit: Sic ante Inachum geſta vel *in mundi cunabulis*: ſic ultima Orientis, ſic Antipodas nunquam viſos, *ſic Vtopionum ditiones*, ſic Chimæras & mera animi pigmenta ob oculos ponit. Par felicitas, ſi cantus avium, ſi fragorē nubium, ſi cruentas acies, ſi acta ſtrenua, ſi aëris & Oceani tempeſtates, *idem Apelles depingat*. Uſque adeò Thaumaturga hæc tam peregrè pertingit, nec mentis etiam hebetari longinquate ſinit! *Sic etiam* ſub hyemis aſpera *luſciniam non audis*, nec cavea tenet peregrè latitantem

tem, tamen etiam tunc audire videberis, ſi tibi deſcriptio illius Oratoria obſtrepat.

1. *Philomelæ cantûs deſcriptio.*

Tam pertinax ſpiritus, tanta geminatæ vocis contentio & remiſſio, in luſcinia modulatio tam multiplex, tam dulcis ſonus, qui modo trahitur in longum ſpiritu continuo, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur in torto, promittitur revocato, inopino. quid cum iterum vocem revocat, & integrâ comprehenſione cantum edit? quid cùm modulos præter opinionem cōmutat? quid cùm ſecum ipſa iucundè immurmurat? & tantillo gutture vocem alternat, nunc plenam, nunc gravem, nunc acutam, nunc contractam, nunc diffuſam, nunc attenuatam, nunc inflatam, nunc continenti aut intermiſſo

misso spiritu essusum, vibrantem, minurientem, summam, mediam, imam? Omninò dum sic in Oratione luscinia canit, etiam extincta, & peregrè auditur non sine quodam artis hujus prodigio.

Quid? an & illa artis Musurgicæ descriptio ad par prodigium non accedit, dum etiam tacentibus aulædis choralisque sic Oratoris stylo, non gutture promitur apud Guinisium.

2. *Cantûs artificiosi mira descriptio.*

Principio constans plerumq; auctoritatis vestigium inaffectata vox imprimit, adeoque grauẽ minimèq; vacillantem gradum glomerat ac metitur, ut omnem planè gloriam speciemque negligere, nec sese in incessu circumspicere ritu sibi plaudentium videatur. Mox ubi genius ille vocalis incaluerit, sensim in artem incidit artificij fuga: hic *concidere minutim sonos, & canora velut in puncta distinguere*, pluribusque momentis & minimis maxima eorum tempora includere: hic *argutiolas modulorum, & belle cadentes ad numerum Charites*, velut artis appendices ultimas & *quosdam quasi vocis cincinnulos* concinnare: hic ductum celerrimè spiritum velut pennis librare atq; in sublime promittere, mox aut ad ima devolvere, aut retrorsum à medio cursu reprehendere ac revocare, prorsus versum impellere, ante expectatum promere, sistere, retrahere, circumagere velut turbinem ac versare; ut non ore, sed torno vibratũ rotundatũq; crederes: hic duritate blandissimâ dulcedinis satietati consulere: hic impro-

provisa demissione vocem introrsum flecterẽ, & surda quadam titillatione provehere. ac verè in sinu suo canere: hic exultantem cantûs hilaritatem fractis identidem numeris & quasi mæstitia temperare: denique sonum illudere, implicare, explicare suspendere, variare, producerẽ: suspirijs, trepidatione, modulatione, minuritione, concentu; plenè, graviter, acutè &c.

En miraculum planè canentis ex arte styli. Vide par cantûs miraculum in Prolusionibos Oratorijs Stradæ, ubi certamen canẽtis lusciniæ cum cytharædo, stylo Claudiani venustè adumbratum miraberis.

§ 3.

MIRACULA QUÆDAM.

Eloquentia Thaumaturga exhibet docetque.

Tam

Tam is, qui patrat, quàm qui mira patrare docet vel didicit, Thaumaturgus esto. Nam & *agere videtur, qui causa est operis* artemque mirabilem instillat exercendam; & qui hanc didicit, novit jam poteritque patrare admirãda. Nec obest, quòd docentem quis prædocuerit, & *alieno dogmatæ cathedræ subinde personent;* nam nec id operi demit admirabilitatem; & sufficit, quod ab alijs prætacta, stylo vel magisterio, ut etiam colore Oratorio quis faciat sua, prout hic faciet Eloquentia Thaumatutga, selecta operum ex Pyrotechnicis vel Magneticis aliorum prodigijs Oratoriè depromens, & cum aliqua styli tinctura.

I.

Miraculum Artificiosum Glacies ardens.

Ignem

Ignem in dies alimus illustre elementum: nec desunt pabula, etsi vorax nimiùm flamma in alimento modum oderit. Hyemis aspera sic lenimus; & ignis æstatem tunc quandam æstu efficit, *vt focus brumam rideat, sudetq́ in ædibus December.* Sic item opaca noctium lustrātur, quibus ignis pro sole, ut lucis prodigus, sic tenebris semper fatalis quamdiu hoc domesticum sidus pascit arborum strages struesque.

Sed si jam silvæ, si cera & oleum in fomenta ignium deficiunt; nova jam fomenta arripite, Mortales. *Glacies igni pabulum esto, & stiria pro cereo.* Desijt enim esse inter Paradoxa *Glacies ardens*, postquam ex arte non semel in flammas emicuit congelatus humor, *& crystallus aquea in* ignescentem carbunculum. Ne fides sit alieno tantùm oculo, credes etiam

etiam tuo, si temperies quædam accedat, quâ *glacies pænè in stupā vertitur*. Nec prodigium multis eget. Sat, si sulphur in pulverem, si in pollinem carbo abeat, & massa eadem lucernam præpinguem oblinat. Hæc miris prævia. Superest, ut thermæ in gelida subeant, & sulphureo lucernæ amiculo gelascentem ex aquis togam veluti superaddant. Equidem sic arsura glacies habebitur, cui admotus ignis *brumæ insignia* comburat. En ut *etiam glacie flammæ aluntur*, & glacialis pænè Zona, Torridam Zonam simul gerit! quando glacies sic comburitur *Dabis & in stiria non impar prodigium*, si camphora glacialem hunc conum oblinas, adeoque tunc stiria lychnū tibi ardentem referet. Age, & gelidi Aquilonis vel Zonæ frigidæ Thaumaturgus esto.

II.

II.

Miraculum Artificiosum *Glacies comburens.*

Poëtæ illud eſt, quod *Boreæ penetrabile frigus adurat*; ſed *frigus aliter neſcit vrere, quâm ipſum caleat*: idem impertit alijs, quod in ſe gerit malum, ſævitque in corpora, brumæ tyrannidem exercens. Degenerat tamen quandoque *glacies*, etſi *brumæ filia*, & ignis officium ſibi palàm arrogat, dum nativo frigore flammas accendit, neque tunc frigora penetrant, ſed calor igneus. Non eſt jam Promethei furtis aut ſilice opus, ignem vel glacies dabit *citra cœleſte illud furtum & ſiculi vulnus*. Novum ſanè id ignitabuli genus, ut etiam *pariant hæc frigida flammam*, ac torreant, ipſa gelu torpida; dent affatim, quo ipſa carent. Quis à tam

à tam *gelida cryſtallo* æſtuaria expectet? vel à glacialibus cruſtis timeat thermas & incendiâ? Sed tamen etiam ab his timere vobis Pergama glacies jam non unum fumare Ilium coget, ex quo ſolus ſuperſit cinis. Neq; dicto fidem abrogat ipſa veritas, oculique toties hujus prodigij ſpectatores. Semper id ſolis adminiculo præſtitum, quoties huic planetarum Principi convexa glacies ſe objecit, & collectos in punctum radios in oppoſita detorſit, Equidem perinde hæc, ac cryſtallus pellucida, ac ſpecula cauſtica, ac vitra urentia ignem pariunt. Nempe *convexitas* hic *ſola diaphani*, ſolem excipiens *pro Phaëtonte eſt incendiario*, quam æquè vitrea vel cryſtallina, ac glacialis orbita gerere queat: alterutri ſi ſol medius illabatur, radioſque alibi diſperſos

ſos, in centro colligat; *perinde glacies vret atq; cryſtallus.* Iuvat experiri, ut, quod evincit ratio, idem oculi inficiari non ſinant.

III.

Miraculum Artificioſum

Iter curule ſine equis, vel alio jumento.

Hactenus curule iter non ſine equorum adminiculo Nullus eſſedo vel quovis vehiculo aliter uſus, ſed equo vel jumento vias confecit, *niſi in præceps via ferret*. Etiam ſol non ſine quadriga fingitur, ubi cœleſtem axe aureo decurrit Eccleſiā; imò nec Platonis carpentum ſine Alaſtore & Nicteo, bigis Avernalibus. Adeò ubique *currus & plauſtra è ſtabulo deducunt vim motricem*, nec ſine hac uſquam curritur. [...] jam placet ſectari compendia, [...] tan

quis parcere ac ſtabulo, imò & ærario, quod in hæc effunditur. *Primus equos ac iumenta removit à curru* & currui motum ab arte imperavit *Ioannes Hautſch, & obſtupuit Norimberga*, dum prima cerneret *velut animatas curriculi rotas*, nullius impulſu viam per forum terere. Obſtupuit idem *poſtea Francofurtum*, dum idem prodigium ederet optimatum quaternio, rheda ſine temone, ſine quadrigis per urbis compita palam, tranſvectus Movit id ut ſpectantibus ſtuporem, ſic plauſnm auctori, *imò & aurigarum odia*. Neque præſtigiæ fuerunt eſſedi motrices, ſed ratio & artis novæ felix induſtria. Nimirum rotæ intus abditæ ac dentata tympana, tum ſibi, tum rotis curulibus innexa, dum à recōdito motore circumagi cæperunt, mox ſuperiores eſſedi rotæ, denta-

tis ræptæ propelli, quibus etiam rotæ anteriores ejusdem vehiculi propulsæ. Sic in motum necessarium impulit rotarum circumactio, quas intus ars recondidit, & patentibus implicuit. Neque velocitas motui defuit. Nam si interior motrix Intelligentia citiùs in orbem dentatas ageret rotas, iter citiùs peractũ, quam equis confici posset. Quis non gratijs auctorem coronaret, qui tot illum impendijs in stabuli ulum & aurigarum stipendia liberavit? Minuisset idem labores Herculis, ne Augiæ stabulum tanto sudore repurgaret.

IV.

Miraculum Artificiosum

Iter per ignem sine noxa.

Varius trames teritur, sed per ignes

gnes via non datur Appia. Urit hoc elementum, *nec se calcari patitur, vel palpari.* Ausum hujusmodi statim uredo vindicat, ac Oetam vel pyram vindicem novo Herculi parat; quasi carbo etiam ignitus vel stipes fumigans injuriam putet, se calce proteri, *Aude iam tamen*, & hunc ignis tumorem proculca: *viam tibi per prunas ardentes aperio: sequere, nec flammas time.* ne calcatæ furant urantq; novo pabuli genere delinies. Qui primi hoc iter tentarunt, levi sane id impendio consecuti. Pavimentum ars illiniit albenti maluavisco, quod ovi albumini ars eadem permiscuerat. Atque is primus in viæ prodigia passus ac prolusio

Mora deinde successit, donec prior tinctura jam siccior, mox aluminis & sulphuris in pulverem redacti-

dacti tincturam exciperet. Nec pluribus prodigiosum iter eget: securus jam per flammas & sine noxa etiam eosdem contrectabis, totusq; à flammis evades illustrior, nec ignis exitium afferet. Sic ars etiam Thaumaturgos creat, *ac ignis Babilonii prodigia* velut renovat ac imitatur!

V.

Miraculum Artificiosum.

Aerem in conclavi incendere innoxiè.

Hactenus arsère siluæ aut lucernæ, jam etiam aer ipse ardebit. Defert quidem ille fulmina & cæli ignes: vapore item æstivo inardescit terrasque cum Sirio exurit: lucem latè imbibit à sole haustam; sed ipse nondum in flammas sicabiit, ut totus

totus ignis, totus lux, totus flamma evaderet. *Aeris ego Phaëton & incendiarius ero*, vel quisqnis per æmulam artem, ex aura Ucalegontē dare volet, *pyramque ceu in vacuo illustrem* ac ignitam. Sanè Domus sic intus accēsa, vitium ab igne haud capiet, sed innocenti flammâ conspicuus, innoxiè parietes allambet. Quibus res usu comperta, quâ arte aërem comburant, edisseram. Ad ignes hujusmodi innoxios aqua exigitur igni eliquata, cui minutim concisa camphora sese in prodigij consortia conjungit. Enimverò ab ignitis carbonibus, quos vasi ars hæc subjicit, facilè dissolvetur, & in vaporem humor ille igneus transiens, sui vestigia fumū relinquet. *A fumo* (quis credat) *prodigium expecta*, dummodo antè caveris adducto intra conclaue pessu-

ſo, ne per oſtia effluat vel feneſtras. Spectabis illud, ſimul ac conclave accenſa facula aggreſſus, vaporem aëre exceptum, ſubito à face illa corripi & in flammas cogi videris. Mirabêre auram ardere domeſticam, nec aliud ab aura aduri. quod ſi auctor ipſe fueris hujus prodigij, ceu novus celebrabere Thaumaturgus.

VI.

Miraculum Artificioſum

Lucerna perpetuò lucens, et Fax inextinguibilis.

Lampas aut etiam *fax accenſa ſemel, arſura ſemper*, mihi prodigij materia. Nil Neptunus & aquæ, nil Æolus & conjurati in hæc incendia venti proficient, nec thaumaturgæ artis vim elident. Equidem arsêre

toties hujuſmodi lucernæ & ſæcula incendio vicêre. *Henricum III.* adorabat Occidens, cùm Romæ vicinia hac lampade illuxit. Gigantis Corpus (*Pallantem*, qui Romana mænia ſua mole æquarat, ætas illa inventrix credidit aut Evandrum) ibi reperit ſtupens agricola. Affixa Gigantis lateri adhuc ardebat lampas, quam nec venti, nec extinxerint lymphæ, donec rupto lucernæ fundo ac effuſo, quod flammam aluit, oleo flamma evaneſceret. Protuliſſet lucem & in hæc ſæcula ſidus hoc ſepulchrale, niſi Henrici ſæculum prodigioſam lampadem corrupiſſet. *Vicinior eſt ætas, quæ Paulum III.* Orbis Antiſtitem in Eccleſiæ ſolio vidit coluitque: at hæc in Tulliolæ, quæ Tullij Arpinatis filia fuit, tumulo attonita ſpectavit perennem flammam, & quoddam il-

lius tumuli ſidus tot ſæculis inextinctum, donec aura in lampadem admiſſa annoſam lucem contingeret. Fuêre, qui oleum è metallis eductum nutriiſſe lucem crederent; nec aberraſſent, niſi ardorem hic metallicus humor refugeret, nedũ eundem tot ætates amico fædere perferret. Asbeſtum alij arſiſſe autumant, quem nec voraces flammæ nôrint abſumere, nec amianti na-natura ſinit. *Nec diſſentiunt* Schottus & Neapolitanus Porta, dum liquorem ſubtiliſſimum flammæ ac lucernæ hujuſmodi in pabulum deſtinant cum asbeſto, quæ phialæ incluſa ſpiramentis undique intercluſis, ætates ferat. Nempe nec aëri per occluſa illuc aditus, & alimentum flammæ licet in fumum abeat, cùm ibi in aërem (excluſum utique & velut pro foribus ſtantem) ſolvi

nequeat, rurſum in oleum abire cogitur & in flammam iterum accendi, & ſic perpetuo fluxu pabula miniſtrare. Adi hos prodigij Magiſtros, & periclitari licebit, an non hic etiam audias Thaumaturgus.

At verò feliciùs facem vel ſtupam accenderis, quam nemo extinguat, dum pabuli quidpiam ſuperſit, quod interitum flammæ arceat diuque differat. *Prodigium qui moliuntur*, ellychnium ſeu cannam apparant ſulphurato amiculo involutam. *Addit ars prodigioſa* nonnihil de vernice & camphora, de petroleo & reſina, de nitro & asbeſto, denique de terebinthina, avidis ſanè ac tenacibus flammarũ alimentis. Quid plura? ſtupam hac maſſa hi imbuunt thaumaturgi, & faculam ex eadem fundunt, quæ accenſa *prodigium illud dabit*, quod ne aris focisq;

nemo lucernis non voveat. *Nolis accēsa perpetuò sidera*; aut certè nonnihil hæc vileſcent ad ſidus hoc in terris parabile.

VII.

Miraculum Artificioſum Vi et ope Magnetis.

Ferrum ambulans ſitu erecto, vel repens

Quando ſemel placuêre artis miracula, *ferro etiam greſſum dabimus*. Incedat, & nativum pondus inceſſu erigat prægrave hoc metallum. In horologæ machinæ rotis vertiginē patitur & ſphæricos aſtrorum mentitur motus dentata chalybs; *maius quiddam eſt* ſitu erecto ferrum aut *ferream Cadmi aciem* incedere & exanimè id metallum in motum animari. Atque id Magnes tandem docu-

docuit, & propenſus in ferrum illius amor. Facit hic, ut ferro aſtrictus, vim ſuam in illud refundat, veluti etiam hic amor tranſmutet in amatum. Vide, ut deſes jacenſq; ferrum evadat mobile, Magnete leviter contactum. Per paginam ſerpet illud, ſi repat clam ſubditus Magnes. Si antea baſim aciculæ idem attigit, ac eidem baſi in charta repoſitæ ſupponatur, coget chalybem in erectum ſitum aſſurgere, baſiſque ſic erecta pes erit; ſequetur velut fidus Achates illucque motum erectus molietur chalybs, quò amicus lapis Herculeus. Tanta eſt concordia ferri, & mutua vis amoris inter tam durum par amicorum!

VIII.

Miraculum Artificiosum.

Ars ambulandi ſuper mare et flumina.

Arduum quiddam ars attentat, nec timet conatûs ludibrium. *Per maris liquidum ceu per ſolida terrarum placet incedere, ac pedeſtre iter per flumina.* Nec cæli prodigia hic exigimus, ſine quibus uti etiam ſine Typhi ac remigio, ars Hydroſtatica Ponti fluminumque profunda traijcit. Non ergo hæc ſemper Liburnica vel Argo tranabimus; impune jam Neptunus pedibus proculcabitur, nec vindices auſuum fluctus pertimeſcendi. *Præducem itineris* habuimus *Daniæ regnatorem*, qui artis thaumaturgæ peritia fretus, uno comite, quem in partem

gloriæ adſciverat, ſtipatus, lacui ſe commiſit, eundem per leucæ unius ſpatium feliciter pedeſtri per fluctus obvios greſſu emenſus, id quod Schuenterus de illo prodidit. Etiã leges artis prodigioſæ ſemitam per aquarum vertices tutam pandunt. cingulis pneumaticis latioribus, quo plus aëris gerant, res imprimis eget, qui lumbos arctiùs circumdĕt fibulis innexi: his aſſuti utrinque pelliti utres gemini veſicarum adinſtar tum aquis aërique impervij, tum fiſtula inſtructi lignea & obturata, qua inſpirato aere inflari queant. Adde pedum ſoleis è plumbo pondera, ne erectum in aquis corpus in alterutrum latus vergat: Denique ut in quamcunque partem ſe vertere poſſit, talos pinnulis ceu remis obarmet. Habes prodigij apparatum & ſubſidia piget jam pu-

detque, si illis naturalia iter in aquis ceu in solido non capessas.

§ 4.

ELOQUENTIÆ THAUMATURGÆ.

Instrumenta & Subsidia.

Modus quandoq; miracula supplet; atque hinc tantum quædam suspicimus, in se alioquin vulgaria. Ignis vim in vicina, quæ depascitur, quis obstupuit? at peregrè sita si exurat, prodigium est. Porrò Eloquentiæ Thaumaturgæ modus in subsidijs & instrumentis relucet, quæ hic subijcio.

Primum Subsidium ac Instrumentum Thaumaturgæ Eloquentiæ, ab Arte & ingenio.

Arti ac ingenio primas tribuo in hujus

hujusmodi prodigiorum opificio, cujus specimen multiplex subijcitur.

Prima Idea Artis Thaumaturgæ in Aristide.

Triumphat ingenium etiam vbi vincendi præreptæ videntur artes Aristidem vide pro Lampsa cenis solicitum. Graviùs hi offenderant *Alexandrum, tantum vel sine Magni nomine Regem. Nesciit iram vincere victor ille orbis:* quare, ne ulcisci turpe esset, vindictæ necessitatem jusjurando sibi imposuit, quò in contraria votis Aristides se obstrinxerat, quē accedere pro urbe rea supplicem autumabat *Non licuit iam reis parcere*, si Orator Aristides in clementiam, Regis animum impulisset. Frustra enim leniorem posceret, quem juramenti religio in opposita voto

voto supplicis adegisset. Regem igitur arte adoriri statuit, & *iras leniturus, eas alere, atque accendendo extinguere.* Quare: *Age*, inquit, *ô Rex, ne differ vrbis exitium, eamque quantociùs in plana submitte. Pereat, quæ te noluit leniorem. Veniam non meruit. quæ Alexandrum ausa lacessere. Si parcis supplici, vincere non posse putaberis Fortitudinis exempla dedisti, qualia nemo: iustæ Nemesis exemplum Lampsacus esto. Facinus vrbis atrocissima pœnarum exigit; & venia, crimen Principis foret. Ruat, quæ stare noluit.* Sensit se arte Oratoris, suoque jusjurando Rex circumventum; & quia contra ire Aristidis Orationi *iuramenti sanctitas* imperabat, pepercit urbi, quod parsum eidem nollet *personata Oratio.* En artem Thaumaturgam!

Secunda Idea artis Thaumáturgæ in Machæta.

Victus jam *hâc arte Alexander; victus & ejusdem parens Philppus.* Ibi Aristides victor, hic Machætas. Causam is coactus agere apud Regem: & *vicerat, nisi dormientem Iudicem causa accepisset.* Somnus obrepserat, dum litis momenta actor expenderet.. *Nemo ausus soporem interpellare*, nec contentior causidici vox prævaluit Vix iste finiit, *cùm Rex evigilat*· Ventum ad sententiã, *qualem à dormiente sperasses* & re inaudita. Damnavit Machætam, ejusque causam. Actum de sè viderat; nisi unum occurrisset in speciem audax dictum: *Appello, provoco.* Cum bile jam Rex percunctatur, ad quem à se appellaret? Tum ille (ô hominis ingenium!) *appello ad*

Philippum vigilantem à dormiente. Agnovit causidici artem Philippus, & quòd justa posceret, iterum audita causa; *& causidicus arte vicit.* *Romano Civi* præiverat Machætas. nam & ille sic Cæsari lenitatem persuasit. Præfervidè Cæsar civem damnàrat, nec iræ aut sententiæ obniti integrum videbatur. Eventus tamen tristior inopinam vocem à Cive elicuit. *Appello* Tum Cæsar: *Ad quem à Cæsare, eiusq; summo iure?* subintulit alter: *Ab irato Cæsare ad placatum; cessitq; ingenio furor!*

Tertia Idea in Antistite Gazæ.

Rota etiam arte succedunt, & flagitantis suspiria. Arcadius Occidentis Imperator exemplum esto. Gazæ Antistes *Porphyrius ad eum Orator; nec pro se, at pro Deo agebat.* Angebant Præ-

Præsulem Idolorum fana *& Erebi cultus.* hunc aboleri cum idolis postulabat *Oratio sanctior, quàm felicior*, quia repulsam cum Antistite ferre adacta. *Industriâ iam res eguit*, quam obtulit natus Arcadio Infans Theodosius. è lustrico fonte is sublevandus erat, cùm infanti augusto Porphyrius supplicem chartam ingerit, primampue hanc nati Principis indulgentiam efflagitat, quàm antè nequiit. *Votis potita industria*, vim pænè thaumaturgam inesse sibi testata.

Huc pertinent *alia ab ingenio molimina & machinæ, quibus animi expugnantur*: huc pulchri aliqui doli, huc stratagemata quæ alibi. Hæc Thaumaturgæ eloquentiæ inscribenda.

Alter

2. Alterum subsidium ac instrumentum Thaumaturgæ Eloquentiæ.

Argumentum irrefragabile

Efficax id, dum miro eventu rem placet conficere, & assensum elicere ab inuitis. Argumento irrefragabili utere, & evinces. Tale autē est omne illud, cui mens auditoris refragari nolit, *& trahat etiam nolentiam*, id quod tum experimenta detegunt, tum inclinatio pondusq; animorum in talia, tum rei argumento inclusæ momenta, quæ se rejici haud sinant; tum effecta ineluctabilia. Sæpè etiam personæ, cui peroras, indoles, argumento dat irrefragabilitatem. nam *avarum si per* certa lucri argumenta adoriare; pronum invenies: *si iuvenilem animum per*

per ludicra, & quibus illa ætas capitur vincet Oratio.

Sic aliquibus dona sunt argumētum irrefragabile hinc illud: *Qui caret argento*, frustra utitur *argumento*: & nonnemo Regi Galliæ *Ludovico XI.* infensior hac machina expugnatus. Aureis impressi erant cataphracti equites; horum ingentem copiam illi obtulit, *& copiæ victrices animi fuêre*, noluitque *pertinax pectus tot armatis resistere. Sic Olynthium* urbem cæpit Philippus per onustum auro asellum. *Sic Cyrus* populum in sua novi imperij molimina pertraxit. Diem unum ab ijs exegit excidio silvarū & sudore gravem; alterum genialem subjunxit. inter epulas ab hesternis operis traductum. *Sic*, inquit, *geniales vobis dies effluent, mutato imperio*; primum diem & onera inducet vetus imperium: persuasit argumento. *Sic*

Sic illud fuit irrefragabile, cum Iulium Cæsarem Dictatorem vellet militia, sed vota Senatûs & Quiritium alio inclinarent: Quid ad hæc audita miles: Educto è vagina ense *At hic*, inquit, *dabit Cæsari suffragiū.*

Sic aliquando exemplum Ducis irrefragabile argumentum ad ardua persuadenda. Hoc argumento usus Cato Uticensis apud Lucanum ad milites: -- *Libyæ primus arenas ingrediar, primusq; gradus in pulvere ponam -- fatoq; pericula vestra prætentate meo: Sitiat quicunque bibentem viderit.* Itur nempe feliciùs quo Ducum & Principum vestigia ducunt. *Certè Æthiopes* teste Isidoro Siculo, si Princeps esset monoculus, alterum sibi eruebant oculum: si pedibus captus alterum sibi crus debilitabāt. Quod si hæc ardua; an minora non suadebit exemplum Ducis?

Sic

Sic item impendens certæ calamitatis metus, *veluti imminens Damoclis iugulo ensis*, ad irrefragabile spectat argumentum. quis enim malo ineluctabili aliter se non subtrahat?

Sed de argumento hujusmodi plura non afferam nam me etiam tacente vis in eo thaumaturga perspicitur.

3. *Tertium subsidium Thaumaturgæ Eloquentiæ.*

Affectus insignes Oratorij.

Animorum hic magnes & *aurea veluti Gallici Herculis catena, quâ illos pro* voto & libitu circumducas. Affectus autem seu lenes, seu graviores & pathetici ab his lacrymæ, ab his calcar in ardua, ab his mira animorum Metamorphosis.

Sic ille brevior affectus miserantis urbem

urbem Smyrnam Aristidis terræ motu collapsam: *Nunc autem desolatam perflant Zephyri!* movit Imperatorem ad reparandas urbis ruinas.

Sic illa brevior non sine affectu Oratio sororis in custodia reclusæ ad Fratrem Principem: *Vides-ne hæc, & pateris?* emolliit fratrem.

Sic severiores affectus Catilinariæ fregerunt nova agitantem animum & moliminis conscios.

Aliquando affectuum fons est res oculis objecta. Sic cùm Godefridi III. Ducis Brabantiæ adhuc infantis orbati jam parentibus, ditionem hostes invasissent, Proceres armis hostilibus domestica opposuerunt, sub conflictum infantis illius cunis conspectui sui exercitus propositis. Movit aspectus orbi Principis militiam; quare strenue hinc in hostem animata, victrix evasit; fuitque stre-

nui martis & victoriæ causa affectus in Principem ex aspectu ejusdem hausti. Sed de affectibus ciendis abunde alibi.

Quartum subsidium Thaumaturgæ Eloquentiæ

Figuræ quædam Oratoriæ, et Amplificatio.

Figuras Thaumaturgi Oratoris jam innui duas, Prosopopæiam & Hypotyposim. Cæterum & ab aliis subsidium peti potest; tum quæ oblectant, ut ex Figuris verborum Comparia & Antitheta nec leves Paranomasiæ: tum quæ aculeum animis natæ infigere, & instando ad aliqua perurgere, quale sunt ex Figuris sentētiarum pleræque. His si amplificatio, & exaggerata rei inculca-

culcatio adjiciatur, sequetur prodigium in effectu eloquentiæ.

Figuræ item aliquo affectu insignes huc conferunt. Sic in scelestum illa: *Adhucné cœlo nimiùs surgis in Iovem Gigas? Et tu amoris regiam, Mite cor Dei feris? Hunc telis scopum deligis? in meta tibi Deus? Quid pectus illud lancinas, nobilis Gazæ venam? An cor hiulcent vulnera quod in te sic exundat ut nec Canopi iugera limus Nili fæcundat? Nescis (ô mentis nubilum, ô cæcæ noctis vices) in quem arma distringas! Olido limi plasmati genu lunato cadis? Celso infusum pegmati. Hoc ausu adis Numen? Quis mentem furor turbinat? Quæ Ætna vel quis Mulciber Par in te fulmen cudat? &c. Tacetis astra? tacitum Nemesis premit scelus? &c.* Plura hujusmodi in supplici libello pro Deo, & alibi.

§ 5.

§ 5.

ORATOR MIRABILIS.

Ad Eloquentiam Thaumaturgam spectat et additur.

Restat, ut Orator Admirabilis audiat, quem eloquentia thaumaturgum colit. Pulchrum id nomē prædicta iam pariunt, tamen uberius indicandum, quid idem requirat.

I.

Varij Oratores Mirabiles extra Rhetoricam.

Nomen hoc passim increbuit, quibusdam illud indidit superstitio, aliis cœli prodigia vel industria.

Superstitio complures jactitat, quos disertos reddiderit. *Sic equus Achillis*; sic Orator etiam *Simonis Magi canis*, non allatrare, sed alloqui Primatem Principemque Apo-

ſtolorum Petrum auditus. *Sic carina Argus locuta: ſic Cauſus* amnis Pythagoræ *ſalutator: Sic Fortunæ ſtatua* Romam affata: *vlmus Apollonium*. Oratores hi admirabiles, ſed *quibus ab Orco lingua*. Apage cum hac facundia.

Admirabilem Eloquentiam è cælo ſæpiùs fluxiſſe conſtat. Hinc & infantia quorundam juſta in alienæ virtutis encomium vel tutelam loqui! *hinc & ille* facundus repente puſio, qui hoſpes tantiſper in cœlo, mox terris redditus cum omnium peritia linguarum; ut vel hinc conijcias, *quanti ſit in cœlo fore incolam, ſi tanti & hoſpitem: quanti ſit perennitas, ſi tam felix inibi mora*. Quin & Angelum Oratorem in terras cœlũ miſit, qui pro Nazarenis peroravit roſtris. Inter Oratores MARIANOS hunc Panegyricè alibi inſcripſi;

pſi; nec Angelus nomen detrectat.

Illuc inſuper cœli proceſsêre miracula ut Aſina audiretur non ineloquens, cùm Balaam eſſet alloquẽdus, *dignus ſanè talis auditor non alio Oratore*.

Et induſtria idem protulit nomẽ. Aves etiam inter hujuſmodi Oratores, quibus vel *ingenii largitor venter negatas artiſex ſequi voces ut ait Perſius* vel artis ferula profuit. Et ſanè *roſtra avium ſunt priùs quàm Oratorũ*. Muta eloquentia in ijs ad facundiã erudita ſæpè patuit, (nec nos ſuprà celavimus. *Nam Tarpeio quæ ſedit culmine cornix*, Græcè illud ominata:

Παντα εσται καλων. *Erunt omnia bene; reſponditq́; eventus augurio*, brevi extincto Cæſare, qui omen remoratus.

Altiùs progreſſa induſtria, quæ

loqui ſtatuas juſſit, fuêruntq; tam docciles, ut artis magiſterio id quandoque didicerint. Sic ſtatua illa ſalutatrix, imò quæ tripodi Apollinis, unde oracula, laudem abſtulit, datis ex arte reſponſis, ſtatua omninò eloquens, & *ligneus quidem*, ſed tamen *Orator* admirabilis.

Hic tamen nil tale cogita, ubi nos de Oratore Thaumaturgo agimus, *meliorem quàm de ligno Mercurium ſpera.*

II.

Quæ ad Oratoris Mirabilis nomen conferant?

Magni conſtat tam ſpecioſum nomen, nec pauca requirit quæ hoc loco ediſſeram. Quare ſpectat huc.

1. *Rara & Mira Inventio*

Par eſt in hoc Oratore nihil vileſce-

leſcere. At prima eſt, in qua cernitur Orator, Inventio, quæ ab ingenio dependet. Nam jacens ingenium hanc non eriget, ſed per plana devolvet: quod altiùs eſt, ſecum per alta illam circumagit ac effert.

Hæc verò Inventio in duobus admirabilis eſto: nimirum in argumento dicendi ſeu Propoſitione: item in argumentis, quæ ſunt fulcra Propoſitionis, ſeu rationes.

Porrò Inventionem raram miramque quoad propoſitionem.

Facit inprimis Paradoxum Propoſitionis. Sic illa Propoſitio ſuperiùs diducta. *Glacies ardens.* Sic de amore Divino Propoſitio: *Dulcis tyrannus.* Sic de floribus Theophilo miſſis à Diva Martyre Dorothea in media hyeme: *Ver in hyeme* vel *Hibernæ roſæ*, cum alluſione ad illud Bilbilitani vatis. *Rara iuvant Hiber-*

næ pretium ſic meruêre Roſæ. Vide quæ ſuprà de Eloquentia Paradoxa, ſeu Incredibilia perſuadente dicta diffuſiùs.

2dò. Raram miramque Propoſitionem faciunt miræ & pulchræ Antitheſes, ſeu concordia diſcors oppoſitorum. Sic de Columbano per calcatam Matrem ad Dei obſequium contendentem: *Pia crudelitas.* Sic de minima noxa veniali: *Atomus oneroſiſſima*, vide, quæ infra de Eloquentia per Antitheſes.

3tiò. Mirabilis Propoſitio eruitur ex oppoſitis ſenſui & experientiæ, vel rationi, aut communi notitiæ. Sic illa Propoſitio de Virgine Matre in cœlos aſſumpta: *Terra extra centrum.* Sic & illa ſuperiùs: *Ferrũ loquax vel ambulans.* Differt hic modus à Paradoxo, quia hoc latiùs patet.

4tò,

4tò. Mira Propoſitio ex oppoſitis receptæ paſſim ſententiæ aut eruditioni deſumitur. Sic de alicujus eximia & conſtanti puritate: *Perpetua concordia formæ & pudicitiæ*, contra quàm Iuvenalis cenſuerit, cùm diceret: *Rara eſt concordia formæ atque pudicitiæ.* Sic de Andreæ Cretenſis libris ſanctiſſimis: *Cretenſis verax* per oppoſitum ad illud, *Cretenſes ſemper mendaces.* Item *Helena caſta*, contra quàm de Helena Trojani belli face notum. Sic *ſol in auge ſemper* de continuatis honoribus ſummis.

5tò, Miræ Propoſitiones fiunt per alluſionem ad aliquid rariùs contingens. Sic illa: *Felix tyrannis.* Sic & illa: *Roſa hiberna.*

6tò, Miram Propoſitionem facit aliquid inexpectatum & præter aut contra ſpem in quibuſdam circum-

 ſtanti-

ſtantijs. Sic in ancipiti rerum ſtatu omen veluti certum lætiorum.

7mò. *Quæſtio* curioſa, vel rarum problema Propoſitionis miræ loco eſſe poterit. *Item* comparatio apta, vel denominatio concinna rei laudandæ tractandævè. *Præterea* ex nomine aliquando id erui poteſt, de quo dicatur admirabiliter. Item allegoria rei côngrua in miram Propoſitionem trahetur. Plura in Phænice Rhetorum de Propoſitione acuta vide, atq; huc trahe. Hactenus de una parte Miræ Inventionis.

8vò, *Mira* Inventio relucet, dum inſperatè ſecum aliqua nectuntur, & ſeſe præter ſpem ſubſequuntur, ut etiam in pleriſque Hiſtorijs contingit, quæ per totum rei geſtæ cõtextum ac ſeriem & admiranda referunt, & omnia ſeſe ibidem præter ſpem evolvunt ac ſubſequuntur.

Habes ideam in Argenide Barclaji, quæ pulchra plerumque circa rei exitum ſuſpenſione Lectorem ſuaviter tenet; & inſperato eventu attonitum relinquit. Affert plurimas tales Hiſtorias& Iacobus Maſenius in Comicis Tragiciſq; alijque

Idem cenſendum de inſperato argumento & probatione aſſertorum.

Quod attinet ad alteram, id eſt Inventionem ſeu excogitationem argumentorum, quæ mira etiam exigit Orator Admirabilis, de his hæc obiter. *Primò & robur* requirunt & ingenij acumen. Sæpè etiam non aliunde, quam ab ingenio petuntur. *Secundo*, nil vulgare ſonet, ne admirabilitate excidant. *Tertiò*, ſcrutetur eadem hic Orator tum in eruditione inſigniori, tum in ſimilibus & comparatione conſona; tũ in oppoſitis, tum in veriſimilibus

& Politicis, Horum exemplum habes tum apud acutissimos Rhetorũ, tum etiam supra in quibusdam Problematis; tum in Oratore MARIANO.

in Materiis amænioribus argumenta in speciem sumuntur; & quæ recreent, ac ingenium lepore dicendi condiant. Patet id in ludicris apud Pontanum. *Sic ibi Passeratius* equis asinos comparat. Argumenta illius sunt: *Nam nec* agilitate ab equis vincuntur; cùm in Syria & ad Euphratem sint pernicissimi; nec *viribus*, quod onera, quorum sunt bajuli, probant; *nec honore*: nam Cybele an Isis, asinis, non equis sua mysteria commisit, & Consualibus *ludis non minus asinos, quàm equos floribus Roma coronavit: nec pabuli parsimoniâ*, cùm post immania laborum, carduis aut paliuris vescantur: *nec spe-*

spectata in dominos fide, ob quam evagantur sine custode, non cohibetur ergastulis, vinculis non coercẽtur. At neque *acumen ingenii asino negandum* ait à quo vitis putandæ ratio indicata ob idq; *lapideum asinum Naupliæ* gratâ posteritatis memoriâ dedicatum; *& Romæ asellõrum capita* viti alligata in tricliniorum fulcris, & *Liberum Patrem eos* in fidem & clientelam suam eos accepisse *Viros consulares* id nomẽ etiam ait assumpsisse, *hinc Asina Prætor*, Vinnius Asella, Asinius Dento, Asinius Pellio. *Demosthenes umbrâ* asini sola concionem revocavit abeuntem &c. Sic ille.

Vide item in argumento ludicro Puteani, ubi Encomium Ovi, quæ & unde argumenta mirè colligat. *Vide in Pistore suburrano* Famiani Stradæ de sternutamenti veneratione,

ne, hujusque causas ab ingenio Authoris depromptas.

2. Mira Elocutio in Oratore mirabili exigitur.

Nondum ad *stuporem eximius*, qui *styli quædam prodigia* non sectatur. Hic unus pro fulgure est, quod percellit animos, hinc cultus & majestas dicendi. cui comes admiratio. Ab Elocutione ut eloquens, sic mire eloquens dicitur, qui admiranda styli exambit & retinet. Iam verò

Inprimis ad Miram Elocutionem facit summorum hac in laude imitatio. Admiranda styli ratio cernitur in Plinio, Tacito, Seneca, Quintiliano. His veterum inhære, ut indolem styli imbibas, hæres etiam laudis futurus. *Nec recensius ævum* posthabe, *à quo colorem ducas & lumina.* Atticè locuti præter alios, Ioan-

Ioannes Baptista Ferrariensis, Emmanuel Thesaurus, Aloysius Iuglaris, Masculus in elogijs Guinisius, Paulus Kuhn in Trophæo Regali alijsque Panegyricis, alijque Recentiores, in quibus styli felicitatem miramur. Ex his normam dicendi transsume, & æquè mirabilis evades

2dò. Sensus Admirabiles.

Reddunt Stylum admirabilem, qui in Phænice Rhetorum traduntur ac eorum ibidem fontes reserantur. Hi sunt profundæ mentis vestigia, ac Sagacioris animi illustre specimen, ubi & dicta profundum quiddam sonant, & reconditam veritatem non citra stuporem pandunt. Vide ibidem.

3tiò, In historiæ contextu vel alterius argumenti, mira quædam inijciantur. *Sic ille* de Hierosolyma eversa

versa: *Ævo coævam spoponderat cœlum Hierosolymam; sed quid diuturnum, si æterna pereunt.* Item de Antiochi copijs: *Non homines tantùm, sed elephantos in arma conscripsit: Bellum non ratus, nisi belluæ pugnarent.* Item de Quinctio, qui Dictator ab aratro: *Nec vomeri rubiginem indulsit, nec gladio: vtroq; terram subegit:* hostes tam facilè sub jugum misit, quàm juvencos; *eâdem arte & segetum messor, & Capitum.*

4*tò*, Sententiæ graves & concinnæ ad miram orationem conducũt. Harum quilibet sibi author esse potest; sed in ijs formandis id servandum. *Inprimis fiant* aliquando juxta communem sensum, aliquando supra vulgi sententiam. Sic illa est ex omnium sententia. *Populi nectar tyranni lacrymæ* & illa, *Nec probi sine probris*: Et illa: *Quos mala mens* obfir-

obfirmat, *plectas potiùs quàm flectas.* Et illæ: *Diu in exordio laborat virtus. Modestiæ Magister est alienus tumor: Nullum esse Deum, facit multiplicem, Mala exempla bonis natalibus prævalent. In vitiorum Schola brevi superatur Magister.* Illæ sunt præter aut supra vulgi opinionem: *Sæpe imminentium periculorum remedium sunt ipsa pericula:* Cùm transiit vita, non aliud, quàm morti decus quærendum. *Iudices Æaco sint similes, peccanti solum intenti, non precanti. Respublica navigium est, integrum natat, divisum mergitur.* Tarde concede, quod datum non adimitur. *Plura moderatione quàm vi.*

Præterea rotundâ brevitate sentẽtijs decus, ut patet ex allatis sententiis. Et in illa: *Quæ vetustissima habentur, nova fuêre. Fortuna gravior superanda ferendo. Aliquando* ex eruditi-

ditione lumen accipit sententia. ut illæ: *Rarus sine Phædra Hippolytus*, Aliquando *ex usu* & artis legibus. ut illa Regi fidibus imperitè canenti: *Aliud sceptrum, aliud plectrum*. Aliquando *ab experientia*: ut illa: *Prima ætas post tincturam voluptatis rarò alium colorem bibit*. Et illa: *Animo per libidinem corrupto nihil honesti inest*. Sed leges Sententiarum sat exempla Auctorum definiunt.

5tò, *Miræ* dicendi rationi sensus politici ad gratiam styli inserentur. Talium in Tacito abundè. Obiter ex illo aliqua. Sic illud: *Prona in Othonem Neronis aula, ut similem*. Pisoni sermo de se moderatus, nihil in vultu habituque mutatum, *quasi imperare magis posset, quàm vellet*. Fingebat & metum, *quò magis concupisceret*: Othonem, cui compositis in rebus nulla spes, *omne in turbido consi-*

consilium. Decernitur Othoni nomen Augusti, adnitentibus cunctis abolere convitia, quæ promiscuè jacta hæsisse ejus animo nemo non sensit: Testamentum Vinij, *magnitudine opum irritum*; Pisonis supremam voluntatem *paupertas firmavit*: Obstringuntur inter se tacito fœdere legiones, *faciliore inter malos consensu ad bellum, quàm pace ad concordiam*; proximi cujusque audaciam expectantes, *insitâ mortalibus naturâ propere sequi, quæ pigeret inchoare*. Verginium imparem, si recepisset imperium. tutum, si recusasset: *Galba* major privato visus, dum privatus fuit, & *omnium consensu capax imperii, nisi imperasset*: Avaritia & arrogantia, *potentiora validiorum vitia*: Propè eversum orbem, cùm de Principatu inter bonos certaretur, quorum *bello solùm id scires, deteriorem fore, qui vicisset &c.* *6tò.*

6tò. *Mira* ſtylo eſt gratia & aſſenſus, dum congruit ſeu ad perſonam ſeu ad rem id referas. Majeſtatem ſermonis gravia prenſant: vehemens dicendi genus atrocia: temperatum florida.

III.

Thaumaturga Naturæ, ac Mira eruditio de iiſdem Eloquentiæ Thaumaturgæ adiicitur:

Titulo huic non dubia fides, ſed longior labor ſi paream. Eruditio varia bibliothecas implet, & delectu opus eſt, ut mira excerpatur. Præibo excepturis ad tincturā morum Oratoris admirabilis auxiliarius. *Tu in admirandis Auctorem naturæ adora.*

I. *Mira lapidum Gemmarumque.*

Ab his eruditionem ordior, ut ad lapides poſt Deucalionem & Pyrrham. Poëſis hominum originem retulit. hinc *duriora*, credo, *quorundam ingenia*, & *novorum Saxonum plures familiæ*;

1. Inter mira lapidum inprimis *Lapis admirationis eſto*. Libyci montes in hunc dureſcunt, ſic appellatum, *quòd mutos efficiat ſui ſpectatores*. Elige, utrum velis, ſpectare illum, an loqui. Mallem tamen, ut *inepta garrulitas in eum incurrat, & à ſpectaculo remedium ferat*. Si Arabum dictis fides, ex hujuſmodi Saxis *Alexandro Domus Admirationis coaluit*. Labor primus fuit in inquirendo: alter in *adeundo linguæ periculo*, quod & *artifex timeret, & ſpectator*. Præmiſſus

missus tamen Aristotelis monitu, puer, qui lapidem indicaret, linguæ usu repente amisso. *Ne iret in cæteros*, qui cernerent *malum*, jussus idē prodromus Saxum tegere; sicque devectum sub sipario *haud noxæ fuit linguis* vectorum. *Timuêre tamen molem oculi*, quam incolere *cæcis tantùm vel mutis* licuit.

2. *Magnetem lapidi Admirationis &* miris naturæ operibus adjunge *vim eius amoremq; inferrum*, quam per obstantia diffundit, nemo non videt, nec id naturæ prodigium assiduitate vilescit. Poëtam audi:

Ex ferro vitam meret hic, ferriq; rigore
Pascitur: has dulces epulas, hæc pabula
novit:
Hinc proprias renovat vires: hinc fusus per artus (*gorem*
Aspera decretum servant alimenta vi-
Hoc absente perit: tristi morientia tor-
pent.

Mem-

Membra fame, venasq; sitis consumit
apertas. (*tallis.*
Quis calor infudit geminis alterna me-
Fædera? quæ duras iungit concordia mē-
tes? (*sentis*
Flagrat anhela silex, & amicam saucia
Materiem, placidosq; chalybs cognoscit
amores!

Habet tamen *Magnes suos hostes pavetque*, hos intet calor est. hinc si ignitis carbonibus eum intumules, vis omnis illius emoritur, nec reviviscit. Quin & affrictum Magnete ferrum, vi magnetica ignis despoliat. Sic *ignis naturæ* prodigia, ut artis pleraque corrumpit. Par *Magneti inimicitia* cum humore aqueo, quo madidus solique æstivo ac aëri expositus hebescit, virium suarum expers, etsi intra aquas easdem retineat. Sunt adhuc, qui *allium & adamantem Magneti* faciunt *hostem*.

Usque

Usque adeò, *nullæ vires absq; æmulo?* *& lapides bella gerunt!*

Habet nihilominus *Magnes* & *amicos*, qui vires illius in tuto reponat. Sic scobs ferrea vel chalybi detracta: Sic rubeus pannus: Sic folia laccæ vel chermis, aut isatidinis, aut erithodani. Sic & nativus Magnetis situs vim insitam tuetur & roborat. Illud hic mirabiliùs, quòd cùm ferrum rapiat Magnes, cor humanum Deo obluctetur. *O duræ mentes, & plùs quàm ferrea corda!*

3. Rariùs est, ut aliquis lucem imbibat, qua caret Bibit tamen potor, & *quædam lucis spongia lapis fossilis*, quo agri Bononiæ inclarescunt. In pollinem redactus, & albumine vel oleo perfusus, à sole vel lucerna lumen imbibit. Nec in aprico tantum lucet *hic Phosphorus*, sed acceptam lucem in umbra etiã diu

diu retinet *Rariùs id in factis hominum decus.* hinc plurium nomen sine luce.

4. *Maius aliquid Heturia ostentat.* Dentritem lapidem hæc profert, qui alijs *Petra Nemorosa.* causam nominis intus gerit, panditque, si diffidas. Nempè *intus Alcinoi & Hesperidum hortos refert*. Ibi arbores, ibi nemora, ibi prata, ibi rosas & narcyssos, ibi florum mille genera, & quo ver ipsum superbiat, expressit *non alius Apelles, quàm natura.* Nec parciùs provenit, ut qui Romam delatus mensas & arculas exornet ad pictorum invidiam. Sic & lapides intus gerunt, quo se in publico ostentent. Pudeat, si nos intus nihil exornet.

5. *Plus Prodigii in lapide*, si ultro etiam repat, motuque se vivere probet. Si talem inquiris, *Trochites seu*

astroites est. ut ad motum incites, sufficit, *si acetum bibat.* hoc enim *veluti temulentus* in gyrum sese circumaget, *si orgia in ebrio velis*; certè loco se uno haud continebit, quin veluti gressum promoveat. *At inter homines prodigium virtutis est, inter acerba tripudium.*

6. *Qui suæ gazæ Autolycum timet,* custodem ærarij accipiat. *Aurophylax lapis est*, ab hujusmodi excubijs nomen sortitus. Argenteus illi color *tubæ clangor*, quo insonat, cùm ad thesaurum quis propior accedit. Sic *furta prohibet, oditq; lapis, dum fures sono prodit arcetque. Placet omnino talis proditor.*

7. *Custodi, oculatum lapidem addo.* Triophtalmos lapis, quo nec homo oculatior. nam tres oculos gerit humanis similes. *Argi centum oculis tres hosce præfero* extra fabulam.

8 *Qui inter impura obduruit*, à lapide amianto emollescat. hic inquinari se haud sinit, ex igne purior eximitur. adhæc veneficijs resistit, nec veteratrices prævalét, uti nec ignis, quo minimè luditur: ut illum ab alijs dignoscas, ex colore alumini cognato discernes. Amiantum seu asbestum Cyprus profert, ex quo derasa lanugo funes etiam nauticos & telam ignibus intactam dabit. Cyprij, hoc etiam vectigal Turcis pendere coguntur. In charta asbestina quæ atramento scripseris, ignis delebit. En quot *in vno lapide admiranda!*

9. *Admirabere & anthracitem*, qui aqua perfusus ardescit, in igne extinguitur, alioquin ignitus. *Novit & hic extinguere ignibus ignes.*

10. Aliud habet *Scyrus lapis*, quod in eo mireris. integer enatat, mer-

gitur comminutus. an *non ubique vis vnita fortior, mergunt secta & dissidia?*

11. *In Selenite* aliud mirandum. Lunæ effigiem hic gerit, & cum ejus cursu minuitur augeturq; quasi *lapidi etiam cum cœlo fœdus inesset.*

12. Nec Chernitem præteribo ebori similem. corrumpi quia non sinit corpora, Dario in sepulchrum cessit *regius lapis.* An *regium non corrumpi?*

13. Post alios, injurium esset, *Achatem omittere.* Ex Græco sociabilem denotat, quòd multos in se colores figurasque associet: idem candidus & rubeus, croceus & viridis, niger & cæruleus. At quanta vi pollet? veneno & scorpijs adversus. hinc *aquila nidum eodem præmunit contra venenatum aggressorem.* In genus humanum beneficus. nam cor

cor recreat, rubeus visum acuit: *sitim compescit ore detentus; famem, detentus manu: Sudat inter venena,* & præcavet: Hinc de Christi sudore sanguineo illud apud Aloysium Iuglarem. *Ad oblatum sibi in calice venenum sudat nobilis gemma!* An non *verè fidus Achates?*

14. Et pretio & virtute certant illa nomina, quæ subijcio. *Smaragdus gemma* viridantium Princeps. suo imbuit colore, quæ contingit, etiam circumfuso aëri virorem impertiens. Nullius coloris lapidisq; aspectus *plus voluptatis afflat:* lassam aciem recreat, nec à se avelli facilè finit. Viror illi perspicuus, & qui velut in speculo rerum imagines depingat: refert & colorem olei defæcatissimi, quibusdam *virginitatis symbolum* ex Pierio, quòd dissiliat aliove signo adversetur Veneri. *Pudeat*

deat, verecundiorem esse lapidē, quàm hominem!

15. *Saphyrus cælo* sereno persimilis, aureis puncturis collucet, ardet sole perustus, Scalpturam non patitur, viret centris crystallinis, & medicam vim habere *putatur alter Æsculapius. At pulchriùs Saphyro emicat virtus teste sacra pagina.*

16. *Iaspidem etiam* multa nobilitant: hic firmissimus virensq; sanguinem sistit: *Lucinæ labores & tormenta levat.* quin & *horas tinnitu indicare dicitur in scypho* ad dimidium pleno desuper inter vitri labra suspensus. quod ultimum Athanasius Kircher reijcit nam nec experimentum successit; & *numeros horarum discernere* sola ratio potest, quæ lapidem destituit.

17. Beryllus instar aquæ fulgore solis percussæ nitet, rubeus: non ful-

fulget, nisi in sexangulas formas poliatur: nēpe repercussione angulorum fulgor acuitur.

18. *Carbunculus* excitaciùs alijs lucet: suam figuram aliis gemmis imprimit, sed alienas vicissim non recipit: igne haud læditur, ideoq; Plinio dicitur *apirotus.* est tamen velut carbo ignitus.

Plures jam lapillos in unum congero, tu singulos mirare. *Chrysophrasum* lux celat, prodit obscuritas. *Amethystus* purpuram rosamq; cum viola refert, leniter flammam fundit: sculpturæ facilis, *creditur ebrietati resistere inimica Baccho & Tricongiis gemma. Chrysolythus* marini aureique coloris: *Onyx* ungui humano geminus, ceram non recipit, ideoque sigillis aptior. *Mithridates* 2000 poculorum ex onyche habuit, eadem *pocula Romanis* myrrhina

rhina. *Ligupius* lapis miræ pulchritudinis: *hyacinthus* colore violaceo diluto mirè oculos paſcit. *Sardius* ignis ſpecie translucet, humore ſuffuſo tardiùs hebetatur. *Topazius* cæroleo aureoque colore, flammeſcit magis ad ſolis radium. *Chalcedonius* igneo ſplendore, pallenti ſimilis lucernæ: nitet ſub dio, & aperto cœlo potiſſimùm, non ita ſub tecto. in locis inacceſſis reperitur *Gemmæ hæ* pulcherrimæ; *tu nobilior gemma eſto*, quod nomen eximia virtus & multiplex dabit.

Compendium jam gemmarum in una accipe. *Vnio ſexaginta elegantiarum* dicitur in Paraquaria Occidẽtalis Indiæ. In hac gemma nullam deſideres. nam in ea adamas, amethyſtus, rubinus, carbunculus, ſmaragdus aliæque ita inſitæ veluti malo granato ſua grana. Eadem tanto

to impetu tumultuq; gignitur è terræ viſceribùs, ut *tonare cœlum* videatur. *Pulchrior à plurium virtutum radiis fulgor.* Hactenus admiranda lapidum gemmarumque Admirabili Oratori.

2. Mira Fontium.

In amnes transfero: & ibi hærebis attonitus ad naturæ opificium.

1. Ac inprimis *ad Afros enaviga.* ibi Apuſcidamus lacus eſt, in quo nil mergitur, exſtant omnia.

2. Nam in Aſphaltite lacu Palæſtinæ nil niſi animatum ſubmergitur, exſtat inanimè. *Nec tu quid mortale geras*

3. *Etiam fontes vitiis infeſti.* nam Abſamea aqua fidem ſervantibus dulcis & aſpectu placida, infidis adverſa, quorum pedes manuſque porta invadit, puſtulis vomiciſq; corpus

pus inquinans, nec illinc sic calamitosos discedere sinit. *Illuc ite perfidi*

4. *Apage cum furiali Beotiæ* lacu, qui libidinem aquis accendit. Melior fons Cyzici, qui hujusmodi faces & *verè fatuos ignes extinguit*. Datum & fontibus quibusdam ac fluviis, ut ex ijs per delectum Reges biberēt: Sic Rex Persarum ex Choaspe fluvio! Rex Parthorum ex Euleo amne.

5. *Est, vbi aqua pro igne*, & extinctas faces accendit; talisq; est fons Epiri. Sic pro foco deseruit *fons hic Epirota*!

6. Pisces mutos esse novimus; adi *Clitorem fluvium, ibi vocales pisces* auscultabis. nam *apud nos tantum ranæ coaxant*.

7. *Avari, quod sequitur, legite vel audite*. India fert fontem, ubi aurū ficti-

fictilibus hauritur; quo tamen nemo potitur, nisi fictile diffringat. *Facilis & felix iactura; vbi pro argilla aurum*.

8. *Nec Insulæ fortunatæ* mira fontium negant. Unus est, cujus epotæ aquæ *risu in mortem solvunt*. Cave infelicem *potum* dixeris, qui *tam hilarem mortem propinat*.

9. *Etiamné amnes Sabbata Sancta colunt*? Colit omninò Syriæ fluvius Sabbatius, inde etiam nomen mutuatus. Exundat, & ubertim aliàs fluit, *Sabbato quiescit* & siccatur.

10. *Sunt & præsaga futurorum flumina*. Sic fons Umbriæ, qui nunquam scaturit, nisi ante annonæ penuriam. *Vate, & vaticiniis malorum vmbri non egent*, ipsa minatur scaturigo. *Sic bona malis prodroma*!

11. *Hauriuntur quandoque è fontibus mærores*, vel gaudia. Nam in fi-

nibus Meropum gemini sunt fluvij ex quibus gemina hæc *Scatebra in animos emanat*. Prior *fluvius Tristitiæ*, qui potoribus lacrymas elicit: alter *voluptatis fluvius*, qui præteritorum oblivia *inducit* & exhilarat, imò *& senium depellit*.

Hinc, mæror seniumq́, bibe tuî remedia.

12. Auriferos amnes colligo; Tagus est in Hispania & Iberus, Hebrus in Thracia, in Lydia Pactolus, Indus & Ganges in India, Padus in Italia, Hydaspes, Hermus alibi. *Præstant his aurei mores.*

13. *Quatuor anni tempora Fons Iob* in Idumæa coloribus distinguit. nam quater in anno colorem variat quovis trimestri spatio: nunc cinereus, nunc rubeus; dein viridis & limpidus.

14. *Transire libet nonnihil ad Sineusses*.

ses. Hos Croceus amnis interluit semper turbidus limo, ita ut in parœmiam abierit de re difficili aut aut nunquam eventura: *Quando Croceus clarescet*. tamen limpidum hunc efficit injectum alumen. *Difficilius turbata mens componitur, aut turbæ sedantur.*

15 *Prodigiosior ibidem* lacus, qui injecto lapide rubescit, velut vulnere cruentus. *Si arboris folia recipiat, hirundines reddit*, quæ illinc evolant, velut *folia in aves degenerant.*

16. *Sunt & ignei Sineusibus putei*, qui etiam *cibis coquendis adhibentur*; adeoq; foco & *culinâ nemo ibi eget*. Crassior hic puteorum ignis est, nec lignis alitur; si inijciantur, intactis.

17. *Nec Limodis fontem* Sinicum tacebo instar crystalli pellucidum. Superficies perfrigida: in fundo ca-

let, neque pes immersus fert colorem. *Claudite iam rivos*, & difficilè est omnes enavigare.

3. Mira Arborum, Plantarum, Herbarumque.

A fontibus transi ad hortos, ubi plura occurrent naturæ prodigia.

1. Primum exhibet *Arbor tristis* in Indijs, vulgò *Paracicatus* noctu florida fragransque: sub sole exuitur floribus, tota cum folijs emarcida. Et sanè *pulcherrima in nobis pulchriùs reconduntur*: Modestiæ id schema est.

2 Aliud sol efficit in *Herba mimosa*, seu *Herba solis*, quam sol occũbens nativo ornatu ac vigore despoliat, oriens hesternæ gloriæ ac virori restituit: nec illa beneficii ingrata, in solem continuò folijs intenta. *Vtinam tu ad Auctorem solis tuumque sic oculos reflectas!* 3. Ma-

3. Majus prodigium in *Arbore frondiviva*, quam Insula Cimbubon profert. *Folia*, quæ in terram abijcit, *gradiuntur*, perinde ac si viverent, nec repere cessant translata: mori foliis similia.

4. Par est, Frõdivivæ arbori *Herbam vivam seu pudicam* adijcere. Lusitani *Sentadam* vocant. Hæc ad accessum vel contactum hominis flaccescit & constringitur, nec sese pãdit iterum, donec abeat, manumq; amoveat advena. Redit pristinus nitor, si abijt amovitque. *Ab Herba Pudica, inverecundia pudorem discat.*

5. Huc facit, quòd *Alba Viola* pronuntiato *Phædræ* nomine marcescat. *Ita flos etiam impura odit nomina!*

6. Ignis & humoris amor quasdam herbarum distinguit. Nam *a proxis* eminus ignem concipit: a-

dian-

diantum semper siccum etiam sub madido Iove; *voraria herba*. Cælo etiam sudo madet.

7. Si risus vel sopor placet, *Herbam Gelasimam* & simul Soporiferã offert novus orbis. *Dutroam dicunt*, rosmari similem. Hujus nuclei in cibo vel haustu sumpto *splenem in cachinnos distendunt*. *Ridet ibi etiam Galenus*. Ab eadem planta sopor facilis. Vernæ domestici observant, cùm herilis mensa Dutroam gerit. nam si herus aliquid ex ea delibavit, audent sopito gazam expilare.

8. *An etiam extra Paradisum Arbor vitæ & mortis simul?*

In Pervana regione visitur. Arboris ramus in morbidi manu positus, omen est vitæ vel lethi. Si lætitia hominem incessit, ramus sospitatis est præsagus, nec fallit. Si anxietas invasit, mortis est nuntia. *Arbor*,

Arbor Theamatæ dicitur. Habemus nos præstantiùs *Lignum vitæ*.

9. *Ex una arbore silvam profero.* Goæ sic excrevit ficus Indica. In altum assurgit unico trunco: ramis circùm latera expansis deorsum pendula, qui ubi terram attingunt, firmantur & novam propaginem condunt, & sic continua propagatio à ramis alijs in terram acclinibus succedit. Sub hac propaginis seriè umbracula conduntur, quæ ad octingentos hominum capiunt. *Arbos hæc refert Arborem consanguinitatis.*

10. Balare tantùm nescit *frutex Tartaricus*, agno simillimus Boramez dictus. Seritur, proditq; plantæ duos pedes alta: pedibus, ungulis auribus, totoq; corpore agnus omninò corium tenue in tegmen capitis incolæ detrahunt. Ex plantæ vul-

vulnere ſanguis promanat ſeu cruentus humor. *eadem planta à lupis impetitur*, veluti nullum diſcrimen à vero Agno agnoſcerent feræ. Vox tantùm & balatus abeſt, ut vivere putes.

11. Pænè arborum miracula ab Europa ſemovit natura, uti *& Arborem illuſtrem*, quam Inſula Zeilan jactitat, noctu coruſcam. Par illi Cynosbatus herba, quæ per diem non agnoſcitur, conſpicua noctu. *Sunt* nempe *& tenebræ illuſtres*, & *umbra aliquibus pro luce.*

12. *Literarum radix amara Iſocratis* ſed fructus prædulces. Aſſerit dictū *Arbor Muſa*, frequens in Ægypto, Cypro, & Syria. Ejus fructus melopeponem refert, primò inſipidus ſed qui mox ita palatum deliniat & oblectet, ut famem irritet.

13. *Perſidem nondum* memoravi, ubi

ubi non tantùm malus Parſica. Celebrior ibi herba *Theombrotion* odoris eximij. Regibus in uſu eſt contra quævis corporum contagia & mentis vertiginem. Hac herbâ tamen præ illis Regibus eget quorundam inconſtantia, *& indoles Protei.*

14. *Multiformes etiam plantæ* inter miros naturæ fætus. Tales ſunt *Orchides ſeu Satyriæ* harum aliquæ hominem, aliæ delphinum aut ſimiam, apem vel dapilionem, leonem aliæ referunt. In apiformi *Orchide* reſciſſa apis effigie, *Romæ inventa puſionis* ſpecies ſcutellam manibus gerentis.

15. Brevibus alia complectar. In Malabarica arbor eſt Cicara, trecētis fructibus prægnans. *pomum Athlantem exigit, qui illud ferat.*

16. *Arbor Solis & Lunæ*; utraque ſui ſideris afflatu percuſſa, reddebat oracu-

oraculũ: deficiente ſidere, lacrymis manabat.

17. Mattiolus refert in Italiæ montibus herbam gigni, quæ ab equis calcata, eorum *ſoleas ſolvit*. Notiùs eſt de dictamno herba, quæ corvis telo ſaucijs in uſu contra tela. ut excidant infixa. *Inſulæ* Philippinæ arborem gerunt, cujus folia, quæ in Orientem vergunt, ſalubria, quæ in Occaſum enecant.

18. Sunt etiam *plures Medicæ herbæ*, ceu *quidam Hortorum Hipocrates*, ita naturæ Auctor ceu *ſoſpitatis noſtræ Seplaſiarius*. Sic hemionitidis contactus ſplenem ſanat: comitialis morbus horret Pæoniæ Romanæ radicem: icterus, majus chelidonium: lippis rumex agreſtis proficit. Plura de his Pharmacopæorum libri.

19. *Nec homini* tantùm, ſed animantibus plantæ herbæque medentur vel obſunt. *Ficus* ferocientem taurum cicurat: *ruta* & ſaluia buſoni læſo pharmacum: *cicuta* ſturnos, helleborum *cotirnices*, helxine herba *columbas* & turtures, juncus grues, lauri folia palumbos & perdices, imò & contra chamalæontis venenum corvos juvat: herbá ſiderite anſeres & aves aquaticæ ſanantur, cervacynnate, adianto upupa, chelidoniâ hirundinum oculi, hederâ apri ſanantur. origano teſtudo & ciconia contra ſerpentes, rutâ contra regulum muſtela ſe tuetur. En *naturæ alexipharmaca!*

20. Quædam item herbarum eſt antipathia, vel amicitiæ inter ſe fœdera. Sic vitis olivæ & ulmo amica: roſa allio: oliva myrto & ficulneæ: majoranæ radices mori, ſquilla omnibus. hinc ei vicina cele-

celeriùs gliſcunt & germinant. *Sed hederam* vitis odit & braſſicam: hæc cyclamium & origanum: arundinē filix: rutam cicuta: oleam cucumis: quercus nucem. *Oderunt & capræ* ocymum, aquila ſimpithum, vipera arundinem, platanum veſpertilio, riccinum talpa, fraximum anguis, heliotropium Scorpio, lupus ſquillam En ut admiranda in herbiis plantiſque varietas, & potentia Conditoris.

21. Adijciam adhuc Granadilæ deſcriptionem ex Poëta.

Flos eſt Americæ moſcho redolētior idem
Exhibet occiſi nobile ſchema Dei.
Conſcia flagrorum croceo ſtat in orbe columna:
Circumſtāt rubeis vulnera quina notis.
Cum clavis reſidet ſpinoſum in vertice ſertum,
Reſperſus violam pingit vbiq; cruor.

Cernitur in plantæ foliis penetrabile ferrum,
Quo fodit ſacrum lancea dira latus.
Sed quæ vulnifici flores dant poma cadētes,
Ambroſius condit nectareuſq; ſapor.
Portenti novitas & conſona rebus imago
Adſtruit antiquam nobilitatq; fidem!

Diſcat à planta homo, Chriſti patientis inſignia cordi impreſſa gerere, ac ejus effigiem in ſe circūferre.

4. *Mira Piſcium.*

Redeo ad aquas, & in Piſcibus naturæ opera miror. *De Remora* ſuprà in utramque partem egimus.

1. *De Anthlia piſce* hic inprimis. hic ubicunque eſt, nulla eſt bellua. Aliorum exitium amolitur, hamo diſſecto, qui fata ſub offula occultat. *Sic beneficum & inter piſces reperias!*

2. Magis *abidem piscem obtupesco.* maris incola est ante senectam: cùm senuit, terras incolit, è mari transfuga. ad amphibia illum retuleris. nisi arrepti semel loci constantia vetet.

3. At Maripetus animal Iaponium, colore aureo, canis magnitudine, post senium in silvis, mare petit, ibique in piscem transformatur. Vidit Almecida pinnis jam squammisque ex parte indutum.

4. *Malè est piscatori*, si arotanum piscem capiat; nam febri id luere cogitur, tamdiu donec piscem dimittat.

5. *Habent & aquæ symphoniacos nec Arionem expectant*, qui Delphinas concentu recreet Nam in Erythræo Mari *Cytharædus est piscis*, nomen à lineis, quibus velut citharæ fidibus, corpus insignitum gerit.

6. Attamen *Fasten piscis* majore pollet in ore gratia, quàm ille concentu. nam sàlsus Oceani humor in ejus ore dulcescit.

7. *Nescio an non gulones exprimat Physa* vel Orbis, aliter Lagena aut venter. *Piscis est Niloticus*, aut Mediterranei maris: Sphæricum corpus ac veluti solus sine capite venter. Si exsiccetur, à cubiculi tholo appensus ventos indicat, *post fata Triton domesticus.*

8 *Sunt etiam pileati pisces*; sed ijdem navigijs sunt pro syrtibus aut Charybdi, contra quas mari placido feruntur, fitque *in malacia naufragium.* Nautæ avertunt exitium doliis, quæ invasoribus objiciunt. Sic relicta navi, cum dolijs naumachiam exercent. *Potoribus par naumachia.*

9. *Tauros etiam extra armenta vi-*

de. Phocæ ſunt ſeu manati: bubula caro & caput: nec ſquamma, ſed pellis carnem tegit. jugo boum opus, ut unus ſubvehas. *Pellis arcet fulmina*: dorſum etiam homines in ripam transfert. *tam mite vel in mari ingenium!*

10 Audijſti Cete grandia dici, vaſtitatem unius dimenſi, qui ſpectarunt. Longus nonaginta cubitos erat: corporis craſſitudo immenſa: oculus uterque cubitalis: caput quatuor ulnas latum: dentes cubitalibus majores: minimus dens dimidiæ ulnæ, & tales ſexdecim: os in ventre, non in capite.. *Vaſtiores cetos Plinius memorat* In ſinu Arabico viſus eſt pedes ſexcentos longus, latus trecentos & ſexaginta. Fovea unius oculi, hominum ferè viginti capax. Vaſtitas oris, dum aquas evomit, naviculas implet & abſor-

bet. *Viſus hebetior. hinc præducem piſciculum illi tribuit natura. hic cæcutienti anteambulo!*

11. *Etiam pompam funeris piſces amant.* Delphines ſuorum cadavera in ſummam aquam, deinde in continentem efferunt. Cognatum agmen funus proſequitur.

12. *Qui ſcit ſervire loco*, Polypum piſcem exprimit qui pro loci diverſitate mutat.

13. *Huſnem marinum* tubæ concentus captivat. Si inſonuit, gregatim ſequitur. vaſta ad 24 pedes, corporis moles, minimis terretur, in fugam cogit vel exilis tinunculus. *Plures hominum ſunt ex hac huſorum familia Piſandri!*

14. At *plures optarem. Vranoſcopo piſci ſimiles*, qui cæli ſpeculator, & *quidam inter piſces Aſtronomus*, in ſummo capite oculum gerit, in aſtra e-

rectum intentumque. *Audite id ô pronæ in terras animæ, & cælestium inanes*, ut vos satyricus incessit.

15, *Nec pisces aliqui inermes.* Xiphias seu Gladius piscis hinc nomē obtinet, quòd *rostro gladium gerat.* terret hic, quia nostrate acutior. *Periisti si in plures huiusmodi armatos incidas.*

16. *Piscem volare Paradoxum putes*: tamen Ravennam inter & Veneticis captus est piscis volans: alæ *huic Icaro* geminæ, viride rostrum.

17. *Quid quòd pisces etiam exercent piscaturam?* testis est Rana Piscatrix (seu *Bufo marinus*) à solertia piscendi & attrahendi minorem piscium turmam *Piscatrix*, fæditas,& *oris vetut Orci hiatus* dæmonem marinum vocitari jussit. *Exocætum* suum miratur Arcadia, quod in siccum somni causa exeat

18 Illu-

18. *Illustria iam Piscium* nomina profero. *Lucerna*, cui lingua ignea nomen dedit. *Est & stella piscis*, hic brachia ceu radios expandit. adurit etiam contacta, præter stellarum morem.

19. *Pisces fossiles* seu altiùs in terras depressos; *Cestrias* vocant. hi an exstent, problema esto. *Exstare*, Plinius author; & ante Livius, ante utrumque Aristoteles. Visi in Gallico agro: item circa Babylonem, & Heracleæ: latitant in cavernulis: limus, ut anguillis, pabulum. Inuenti & in Anconitano littone intra diffissos lapides *Senecæ* tamen nullus id persuadet, qui extra aquas pisces non novit.

20. *Nilus Crocodilum alit Ægypti monstrum.* ad septem passus porrigitur: dentium ordo triplex: famelicus, *etiam saxis vescitur. ita famescē-*

ti

ti cibus hic mollis. Avicula eidem dentes purgat par turdo, quæ ſpinam in capite gerit, *ne* morſus crocodili *bene meritam* enecet. eſt & paſſer, qui viſcera illa impunè corrodit. *Prolem agnoſcit, ſi poſtquam edita eſt, rapiat.* ita *Crocodili fœtum, rapinæ probant.*

21. *Loligo ſe* extra aquas effert, volatque inſtar ſagittæ.

22. Concludo mira Piſcium *Ranâ ſeriphiâ* mutâ, & conticeſco. Garruli idem ab ea diſcant.

5. *Mira Animalium.*

Lectiora proferam: nam ſerò omnia expedirem.

1. *Ignavos nolo meminiſſe Pigritiæ* ſeu ignaui animalis, quod per antiphraſim, *agilem catellum* Luſitania vocat, ad quindecim dies vix jactû lapidis reptando adæquat: ſtimulis nil

nil de tarditate remittit: in aſcenſu arboris biduum laborat: vox ejus riſum hominis gradatim exprimit *Sic ignavia ridicula & ridenda! Nec alibi hanc quære, vbiq; eſt*

2. *Contra vulnera ſit animal* Sionilim ſeu Cabim, cujus oſcillum etiam è vulnere manare ſanguinem non ſinit. Si fluxit ante, oſcillo ſiſtetur.

3. *Poſt echinum eſt* inter animantes *Sagittarius*. Animal dumis obſitum hic Sagittator eſt *Spinas in canes iaculatur*, quæ viſcera fodiunt & exſugunt, *Sibi eſt pharetra, ſibi arcus & iaculum.* Hi tamen aculei capitis dolorem levant, quem applicitæ bibunt velut hirũdines, nec ante excidunt. *Ita non obeſt, quod non etiam proſit.*

4. Sagittario *aliud armatum animal* affine, *Armadillo* dicitur. cruſta

cataphracta, & in laminas divisa. Cervos sic enecat hic cataphractus. Cælo pluvio supinus imbrem intra laterum crustas colligit in Cervi exitium. nam is dum in eo canali sitim adaquat, comprimit os bibuli armadillo, & spiritu intercluso mori cogit. *Sic vincit hic armatus!*

5. *Beneficum* tamen est *animal Dasypus*, etsi alijs animantibus infestum. Cervos & feras promiscuè venatur; Cæsarumq; cadavera cespite contegit, *ceu iusta ageret post iniusta cædium*. Tum deinde ex summa arbore, quam conscendit ululatu veluti signo feras ad epulum invitat, ut innocuè pascantur priùs convivæ. alioquin linguæ toxico escam corrumperet præmandens. *Pauci hominum tam benefici.*

6. *Dolus aliquando in eiulatu, nec miserantem poscit, sed cautum.* Ejulator dolosus quoddam Indiæ animal. vagitu infantis sub creperam post occasum lucem illudit. *Vagitum qui sequitur, lethum* incurrit, quo incautos opprimit personatus ejulator. Cautiores alij accensis titionibus armantur; & *tunc plorare dolus desinit.*

7. *Alius in hyæna* dolus metuitur. Sermonem humanum ementitur, nomenque ediscit, quòd evocet laceretque.

8. *Sic hyæna voce: odore decipit panthera* cùm famescit, latet in frutice, odor hinnulos & dorcades attrahit, ruuntque in escam famelici venatoris. *Felix vbique contra dolos cautela.*

9. *Vitæ poculum propino.* Ex onagri cornibus bibe. Sic Rex Indus potavit, nec veneno, nec ferro aut

igni eo die obnoxius, Quid *censendum de Poculo Eucharistico?*

10. *De elephanto mira leges* in Schotto & Nerembergio. Ejus adeps venena animantium fugat. Saucio flos oleæ tela excutit. Ita docilis, ut aliquando scribere, pilâ colludere sit visus. Etiam gloria movetur. Phaleras argenteas Antiochus elephanto pollicitus, si vadum fluminis prætentaret. Præivit Patroclus elephas, & phaleris potitus. Movit hoc Ajaci *(elephanto alteri id agnomen)* invidiam, quâ extinctus. *Sic & bruta ferit æmuli honor!* Ælianus ait elephantos duplici esse corde: *uno irasci, leniri altero.* Elephas morsum Culicum non curat; velut illud diceret Lucani: *Dignum te Cæsaris irâ nullus honor faciet. &c.*

11. *Nec minora transeo.* Scarabæus

us in Hispaniola toto corpore lucet: oculi, ceu geminæ faces, idque solum Indis convivantibus lumen.

12. *Alia mira obiter.* Duplex jecur *Bisaltinis leporibus: Æthiopum sues* cornua gerunt, quibus boves Scythici carent. *Neurici eadē* in humeris: *Aonii boves* in media fronte gerunt. *Asini albentes,* capite purpureo visuntur in Indijs. Pecora ibidem melle saginantur, ut Pontica absinthio.

13. *Cameli* quatriduo sitim tolerant, implenturque cum est occasio, in præteritum & futurum.

14. *Animal siccum* Libya novit, quod potum nescit: *humor illi venenum,* peritque, si palatum aqua humectet.

15. *Camelum musica* oblectat. hinc si sub pondere fatiscat, non taureis, sed cantu erigitur.

16. At Tygridem tympani sonus efferat magis. Adoro in his pluribusque alijs naturæ Thaumaturgũ, sed in Apuliam abi.

Tarantulæ Prodigia.

In Apulia visitur phalangii seu aranearum genus, Tarantulæ nomen. Infesta hæc messoribus alijsque. Color & venenum inter tarantulas discernit. Sunt cinereæ, sunt virides. Icti ab illis venenum hauriunt, quod saltu & sudore nimio evanescit; alioquin perimit. Agit aliquos lues in risum, alios in cursum vel orgia, in ploratum alios; omnes veluti deliros aut in phrenesim prolapsos. Febrium ardores, artuum, icterismum perferunt icti: colore trahuntur, quo tingitur aranea, quæ momordit. Quia verò agitatio sudorem elicit, per quem exspi-

exspirat sensim hausta pestis; ideò cantu in choreas incitantur. Nec quævis proficit symphonia, *Sed venena delectum carminis amant*. Sufficit hoc sonuisse, mox è lecto exilit vel letho propior, saltuque incondito malum allevat. Ictus tamen à diversis tarantulis sanari nequit variato cantu, quod carmine hoc in saltum urgente, alterius venenum à saltu revocet. Plura in Magnete Kircheri de tarantula. Hinc transi ad Lusitanos.

Canis Ulyßiponensis.

Cultor Prodigiosus SS. Eucharistiæ.

Audiant id legantque, qui nec fide, nec cultu Sacram Altaris Orthodoxi Hostiam dignentur. *Pudeat, si bruta, si canes* melius Deum Hominem sub panis exuvijs recon-

 ditum

ditum colant. Et tamen ſic coluit Ulyſſipo, ut alibi pauci. *Profecit Luſitania*, dum Antonio jubente aſellum, poſtea canem Deo ſubmitteret. *Erudiit in cultum occulta* Majeſtas & cæli magiſterium, *hominibus vel ad calcar, vel ad opprobrium.* Nullum inviſit morbidum hoſpes in vitali ferculo Deus, cui ponè ſequax hic canis non aſſiſteret comes. Nolæ tinnitum vix audit, domo ſemper erupit alacrior, & prodromæ puerorum catervæ ſeſe immiſcuit. Nil moram obiecit ſecuturo non imperia, non minæ aut verbera, non objecta in moram offula; nulli tunc ille parere, non herum agnoſcere, cùm exhibendus foret Cœli Principi tranſeunti comitatus tenuitque hic cultus, donec in Sacra adyta reducem Divinitatis bajulus Myſtes reconderet. Noctu ſi cam-

campanula ſonuiſſet, Myſtæ pro more prævia; herum latratu, ancillam blandimentis adortus, donec liber oſtio domûs aperto exitus pateret. Emicuit mox ille, nocturno etiam obſequio Deum veneratus. Erat, cùm id obſequij præſtaret, quod nonnemo per ſoporem neglexerat: *excuſſus latratu torpor*, & ingenua ſubmiſit experrectum.

Idem extorſit ab alio, quem aſino vehi advertetat: nam morſu aſelli, latratu in ſeſſorem, deſcēſum in profundiorem cultum Sacræ Hoſtiæ perſuaſit. Nec triduum illud ſanctius, quo extincto Deo Homini ſolenniùs in templis parentatur, aliter exigit cultor ille prodigioſus. adſuit per hos dies, & excubias ſepulto præbuit templi triduanus incola, in ſacra obtutum defigens, nec domum, niſi redivivo Domino

mino regressus. *I nunc, & quisquis es, culum Divinæ Cereri nega: plus hic sapuit canis.*

19. Canum exercitus & suppetias ab eis militares alibi legi. *Colophoniis* hic miles: primi in acie canes, qui bella toties confecerint. Digitis monstratus hostis, mox illis præda fuit, nec stipendio caruit virtus emerita.

Nec Rhodienses his subsidijs carebant. Canum etiam caterva alebatur qui *odore Thracas à Christianis discernebant*. hic in Thraces catervam impulit, causaque in eos irruendi, odor fuit.

20. *Inter animantes* ultimo loco mustelam repono, quæ cænoso veluti uallo circumdata, si viam, quà erumpat; non reperit, mavult etiã ipsa *mori quàm fœdari*. quod in Symbolum eximiæ puritatis nonnemo traxit.

6. Mi-

6, Mira Avium

1. Ipsa quarundam avium nomina te reddent attonitum. Sic *avis verminosa*, quæ vermes pro carne gerit: præter pellem & ossa nihil carneum. Tuputam barbari vocãt.

2. Sic & *avis tritona*, quæ tres sonos suavissimè edit, perinde ac si terno gutture concineret.

3. *Sic avis torquata*, cui collum candido torque insigne: cyaneus albensque in pennis color.

4. *Sic avis gelasima*, Ceoan dicta hæc humani sermonis æmula transeuntes irridet.

5. *Sic avis polyglotta* vocis cujusvis æmulatrix mima. *Suavitas cantûm in ea supra volucrum laudes*: à vario concentu Quadringentas linguas Indi vocitant. Volucrum Reginam *argentea corona* indicat, quã illam natura redimivit.

6.

6. *Sic avis nivea* ſeu nivium e-vocatrix. hæc ante nivium procellam clamitat, qua ſubſecuta ſilet.

7. *Sic avis Paradiſiaca*; quæ quia ſine pedibus, continuò volat, turmatim tamen cum alijs, rege comite. Sitibundis una ad aquas prævolat; quæ ſi à potu nullam ſentiat noxam, cæteræ advolant bibuntque. Rege cadente ac perempto, aliæ ſine vulnere cadunt, ſeque capi ſinunt: *tantus Regis amor! O mira volucrum!*

8. *Alias volucres* non ex nomine, ſed naturâ ſtupebis. Nam *Luſciniæ in Hiſpaniola* toto anno concinunt. *Corvi Indiæ*, albi. *Aves* aliquæ bifurcata caudâ *Anſer lauro* inimicus *Gruum pennæ eodem* ſemper colore. *Senex Pſittacus* negligit ferulam. *Corvi devorant* confectos ſenio parentes, à quibus pulli olim expoſiti, turpi vin-

vindicta. *Leo & baſiliſcus* cucurrientem gallum pavet: Gallinæ vox muſtellas exanimat. Loxia hyeme ſuaviter canit, æſtate ſilet, præpoſtera lætitia.

9. *Illud rarius*. Aſterias âuis Ægyptia convitio, vel ſi pigram quis ludibrio vocet indignatur. *Anſeres* Taurum montem cùm prætervolant, aquilarum metu clangorem cohibent, *lapide mordicus apprehenſo.*

10. Avis Braſiliæ Quirapanga exilis, voce ſtentoreâ, quæ ad Semileucam pænè auditur.

11. *Mira & illa*, tum *quod trochilus*, dum virgæ colurnæ infixus aſſatum, ſponte in veru illo ad ignem circumvolvitur.

12. Tum *quod accipitri panis* ſit venenum, hieracium ejuſdem oculis medeatur.

13. Tum *quod onocrotalus* noctu in medio

medio mari, se insublimè efferat, & tunc primum collo sub axillam reducto somnum capiat, altera alâ ventis expansâ, donec suopte pondere delabatur, quod ubi sentit, rursus alta repetit excitatus.

14. Tum *quod noctuæ* ovum abstemios faciat, qui primâ ætate ante vini usum illud comedissent: tum quòd galerita à capite instar galeri plumato sic dicta avis assa & comesta colicam submovet: Galgalus sui conspectu epilepsiam sanat, sanato homine moritur.

15. Mira etiam hæc *de aquilis*, quod licet duos excludat pullos, unum expellant tædio nutriendi. *Hic cessat pietas Matrum.*

16, *Aquila Mexicana* vervecem devorat unico pastu.

17. *Fel aquilæ* temperatum melle, visum acuit. Ne ungues obtundat

dat eadem ales, petram declinat, aut eam pellibus cæsorum animalium insternit.

18. *Aquila miræ* magnitudinis Ruch dicitur, quæ elephantem unguibus correptum in altum sublevat, deinde præcipitat in canum pabulum, ejus pennæ octo passibus longæ. *Hæc plane Aquila magnarum alarum!*

Psittaci in Æthiopia albi, rubei in Brasilia, in Calecuti regione Scutulati. Regio Psittacorum est supra Promontorium bonæ spei,

Plura apud Aldrovandum, Nerembergium, Schottum de avibus admiranda. Nitedulam tamen haud omittam, quæ noctu lucet, & Cardanus ad eam legit in tenebris velut ad lucernam, quâ & tu uti possis.

Mira Hominum.

1. Macrobios seu longævos primò accipe. In Ætolia Epiorum testatur Hellanus vitam protrahi ad ducentos annos, in Arcadia ad trecētos Dandonem in Illyrico vixisse ad sexcentos; ejus filium ad octingentos. In Montanis Iucutan ad trecentos, aut, si fata præcipitēt, ad centum & quadraginta, id quod etiam in Taprobana insula, & Arabia felice frequens. *Ioannes de temporibus* trecentos annos attigit Caroli Magni armiger. *Divus Servatius* Tungrensium Antistes superavit trecentos, septuaginta, & tribus, *felix ævi spatio, felicior virtutis fastigio.*

2. Etiam *Endymiones refero.* Plinius memorat puerum in specu soporem produxisse ad annos septem supra

supra quinquaginta. *Endymion*, quā diu vixerit, incompertum: dormiit septuaginta annis, nec ante hos evigilavit. *Septem dormientes* ducentis annis prodigium id somni fuit, quo vigilantium erronum somnia erroresque curati.

3. *Mira voracitas pridem obtinuit.* TubicenMegarēsis tres panis modios edit, carnium libras viginti, binos vini congios. *Maior solio & ingluvie Maximinus*, qui sexaginta libras, carnium in dies esitabat, octo congios vini. *Albinus par solio & gulâ.* quingentæ ficus, centum Persica, melopepones decem, uvarum pondo viginti, ficedulæ centum: hæc illi bellaria & mensæ secundæ. quid ante bellaria? ostrea quadringenta præter alios missus. *Aureliano in deliciis* fuit parasitus, qui uno die aprum integrum edit, veruecem

&

& porcellum, panesque centum. par gulæ bibacitas, quæ infundibulo ori apposito plus quàm Orcâ eguit in sitim restinguendam. *Augustæ* nonnemo crudum vitulum, & ovem incoctam voravit. Alter Patavij saccum carbonibus refertum: alter vitrum, mures, feles vivas, coria. carbones in cibis habuit. *Mira edacitas, quæ tamen vix famem timeat, talibus contenta.*

4. *Nanos etiam inter mira referam.* Nicephorus meminit *hominis qui perdice non maior.* prudentia par maximis, & *vox à Musis non abhorrebat.* quinque suprà viginti annos perdix hæc attigit. Vidit hanc Nicephorus oculatus scriptor. *Nuptiæ Bavari Ducis pari spectaculo hilaratæ.* latebat in artocreis nanus cum lancea, quantum sub tantillo sipario occultari poterat, in mensam subito

eripit hic miles, & *inter fercula ludicrum Martem exercuit*, non sine convivarum plausu risuque. *Vnus hic*; & Rex Indiæ comites tantillos habuit, qui tres turmas compleverant, imò tria millia. nec inermis hic comitatus aut imbellis, sed pharetris & jaculo metuendus.

5. *Nanis gigantes oppono.* Og *Regis Basan* lectus novem cubitos longus, quatuor latus. *Orestis corpus* Monitu oraculi resossum, septem cubitorum fuit: *Gabbara Abbas* novem cubitorum: Protesi laus decem; Ajax undecim, *conjux* Ariadnæ triginta: *Gigas in Cretico bello repertus* trium & triginta ulnarum: *alius in Creta* sex & quadraginta. *Æthiopes octona* cubita longitudine excedunt. *In Dalmatia* reperta corpora, quorũ costæ, sexdecim ulnis longiores. *Molaris dens* hominis nostris dentibus

bus centum par ab Hipponensi Antistite conspectus. *Quid vastum* Titij corpus & novem jugera protensum? *Maior his animi à virtute moles*

6 *Celeres etiam admirare.* Notum de Abari Scytha, qui jaculi volatum ad metam prævenit, an æquavit. *Roma puerum* conspexit, qui per diē octoginta millia passuum emensus. *Virgilius* de Camilla canit:

Illa vel intactæ segetis per summa volare. (stas:
Gramina, nec tactas cursu læsisset ari-
Vel mare per medium fluctu suspensa timenti. (plantas.
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore

7. *Quibusdam pes pro manu fuit.* Augusto missus ab Indis puer brachij utriusq; expers: pedibus valuit ad usum arcûs & jaculi *Hispania alteri par gloria.* pes illi ad acu pingēdum & ad arma expeditus. *Franc*

fordiæ mulier manibus orba, *pedem in officia manûs erudiit:* illo calamum ducere vel penicillum, illo colum trahere edocta. *Alter pedibus* pro manu ŭsus, secare, aleà colludere visus. *En novum Hermetem,* illo solertiorem?

8. *Mulieres eruditas evulgo.* Zenobia *Palmeriorum Regina* omnes calluit linguas. *Sat tamen, si mulier bene vel vna utatur.* Laura *Veronensis Sappho altera*, Sapphico versu: *Cassandra* Lyricis insignis. *Assiotæa* Pythagoræ filia post parentis obitum philosophata non impari gloria. *Amphiclæa* itidem Philosophiæ gnara. *Ducis Vrbani coniunx* Oratoriæ perita, coram Iulio II. Romano Antistite perorare jussa *Eruditæ fuerunt* & Aspasia, Bersane, Leontia, Demophila: *Et nuper in Polonia* Sophia Corbiniana, cujus illud Sapphicum carmen ad Iridem.

Iri, nimborum facies serena,
Atque jucundus lacrymātis auræ
Risus, & ludus, speciosa pulchræ
Filia lucis:
Eja, si quando, modo lætiorem
exeras vultum &c.

9. *Monstra iam hominum* obstupesce. *Arimaspi monoculi* in fronte media. *In Asiæ silvis* acephali, faciem gerunt in pectore. *Quidam Æthiopes unico* pede: nec ambulant, sed saltitant; *nec aliter pes vnus sinit*: ijdem tamen longævi. *Insula Iambolus* bilingues profert, *possuntque colloquia partiri*. una linguâ unum, aliâ alium alloquendo. *Reperti homines è Midæ familia* nempe asininis ut ille, auriculis, sed insuper crure equi. *Fanesiis Scythis* aures prolixæ, totum corpus contegunt. *In Iava insula* caudati homines, id quod in Anglia Divi Patritij derisoribus contigit, qui-

quibus piscium caudæ: *sunt in Æthiopia*, qui æquali oris planitie narium experte nascuntur. *Triballis bina pupilla* in uno oculo. *Ad Indum fluvium* homines cynocephali seu canino capite. *Rara hæc monstra hominum: sed vbique portenta vitiorum.*

10. *Iam Metamorphoses hominum* audi. Teridates Armeniæ solium luxu fædavit: *mulctatum prodigio scelus*, quod illi speciem porci induxit; *nec aliâ dignior fuit illa libido. Cereticum tyrannis* in vulpem mutavit *auxissetque Metamorphosim Nasonis*. In lupum lupamque conjuges duo apud Nieembergium versi, auxeruntque *Lycaonis familiam*. At illa Poëtica, quòd *Tereus mutatus in upupam*, Atalanta in Leænam, Arachne in araneam, Antigone in ciconiam, Alcithoe in vespertilionem, Daphne in laurum, Iphigenia in cervam,

vam, Actæon in cervum, Cadmus in anguem, Lycaon in lupum: item quòt Circes poculum in belluas mutavit &c.

11. *Genealogia quorundam* ex belluis ducitur. Olaus & Saxo Grammaticus Reges Danorum quosdam olim ex urso primam duxisse originem testantur: nam *hinc Trugillus Sprageles* dux eximius, ex hoc Ulso, ex Ulsone Suenus Daniæ Princeps. *In Regno Pegu* natio ducit ortum à cane. *Attilam Hunnorum* Regem indidem putant prognatum, ut etiam Schottus meminit. *In Belgio natum* ex vacca Deusingius memorat, & ritu Catholico, sacro latice lustratum.

12. *Homo primus* è Pœnis leonem manu tractare ausus, & masuefactũ exhibuit; damnatus illo argumẽto, quòd nil non persuasurus vir tam arti-

artificis ingenij videretur; & malè credi libertatem ei, cui in tantum cessisset etiam feritas.

13. Antonius expertus in gloria palati, quòd saperent margaritæ, ne solus id sentiret, singulos uniones convivis absorbendos dedit. Romæ in promiscuum ac frequentem usum ea sorbendi margaritas ratio venit, Alexandria in ditionem redacta; primo cæpit circa Syllana tempora, Plinio teste. *Sic luxus & gulæ ingenium profecit.*

14. Idem Antonius (ne id etiam ceu mirum transeam) primus leones currui junxit. *Vilescit iam labor Herculis in Nemeæo leone clavâ domito!* Plura apud plurimos mira naturæ effecta comperies. hæc sufficiant thaumaturga illius opera Oratori Thaumaturgo.

SPECIMEN VIII.

Admirabilis Eloquentiæ
ELOQUENTIA FACILIS & EXTEMPORANEA.

HÆc Eloquentiæ ſpecies eſt, quam nemo aſſequi nolit. *Obſequar votis*, re ipsâ monſtraturus, *non ſemper difficilia eſſe, quæ pulchra.* nam hîc facile cuivis reddetur pulcherrimum Oratoris nomen.

§ I.
PRIMA SPECIES ELOQUENTIÆ FACILIS.

Eloquentia Extemporanea.

Vix quidquam extemporali facũdiâ mirabiliùs, ſi felicior contingat. nam

nam *magis mira ſunt, quæ ſubita, & meditatò dictis laudem præcerpunt vel adæquant.* Vix eadem quid optatiùs; eò *quòd illi cum labore, qui pleroſque gravat, inges induciæ* N*emo laborat minus, quàm qui ex tempore agit*

I.
An detur Extemporanea Eloquentia?

Nolit fortaſſe quis poſſibilem, *ne illam exuat pretio, quo plerumq; carent facilè parabilia*; viliuſque habetur, quod citra laborem provenit. item *quæ ſubita, ſæpe tumultuaria, minimumq; laudis habent, quia parum præviæ rationis*. Sed fruſtra impugnes id facundiæ genus, quod vota omnium rapit. *quis enim totam tempori laudem velit*, ſi cum plauſu roſtra occupet? Cunctatio nomen in ijs aliquando parit, ſemper celeritas

ritas, si parem cunctatio ferat non sine invidiæ morsu. *Moram adhibet, cui non est expeditū, statim agere: qui eandem ab agendo removet, expeditiùs ingenium gerit. Ars perfecta non deliberat;* alias consilio eget, ut aliquid *perfectum ingenio, elaboratū industriâ* proferat.

Nec Athenæ aliter locutæ quandoque: ibi Attica primùm ingenia, ibi loqui ex tempore solenne *Gorgias Leontinus* inter subitarios Oratores primus, & exemplum latè abijt. *Primus illud, Proponite, usurpavit,* argumentum subitæ dictionis sic à quocunq; deposcens. *Nec arrogantia dicto inerat,* sed promptæ facultatis conscientia. *Exarsit dein æmulatio,* pluresque post Gorgiam ex tempore locuti. Hos *inter Isæus,* cui fortuitus sermo tersior, aliorum diutiùs elimato. *Par illis Vinicius,* cui Augustus

gustus obtigit laudator. *ingenium is in numerato habuit,* ita repente locutus, ut per ævum laborata credi posset Oratio. *Nec Arpinas* noster extra id laudis. *Pro Milone ante* dixit, quàm scripsisset. *Sacri Oratores sic dicere* subinde coguntur, & sæpe meliori exitu, quàm si lucubrata protulissent. Adeo (quidquid de cibis in contrarium aggeras) *cruda quandoq; dictio potior, quàm excocta.*

I I.

Extemporalis facundiæ adminicula & Modi.

Primò Per subitam Propositionem Oratoriâ Expolitione producendam.

Per hanc ad extemporaneam Orationem aliqua Propositio celerri-

mè ab ingenio oxtorquenda, cum ſubita ratione ejuſdem Propoſitionis: cujus rationis ſi aliqua momẽto occurrat ratio, & aliqua teſtimonij extrinſeci auctoritas, erit extemporanea Expolitio Oratoria, quæ conſtat Propoſitione, Ratione Propoſitionis, Ratione prædictæ rationis, Confirmatione a ſententia alicujus auctoris, vel ab exemplo, vel à ſimili: denique complexione ſeu Concluſione per repetitam Primã Propoſitionem. Sic gratulaturo ex tempore, initam dignitatem, facilè occurret hæc Propoſitio: *Honor hic tuus novo nos* lætitiæ ſenſu imbuit. Ratio in promptu eſſet: *Quia iuſta gaudendi ratio, ſi dignis ac emeritis honores contingant.* Ratio hujus rationis eſſet: *Inde enim dignitas ſui nominis etymon ducere videtur, quòd dignos exornare ambiat.* Quod ſi oc-

cur-

currant ad idem confirmandum ſententiæ, ut illa Senecæ: *Valuit munus, quod vel peſſimus gerit.* Et illa Neoterici: *Non ita humile fortunæ donum eſt honor, vt immeritis etiam obtrudatur*; jam haberes expeditam repentè dicendi materiam, N deinde ad exornandum, cui gratularis, deſcenderes: *Quis verò te dignior? quæ tibi non inſunt merita, quæ* non jure *optimo coronet honor?* Iam hæc ſubito præmeditatus, diceres non invitus.

Subita Gratulatio honoris.

Tibi capeſſendi honoris, nobis nova gaudendi incumbit felicitas. Nec tu ergo ſine faſtigio, nec animi ſine novo lætitiæ ſenſu. Indulgemus honori gloriam ab emerito, *qualem apex hic requirit ſemper, rarò invenit.* Et tamen *ipſum dignitatis etymon dignos ambit*, & *Athlantem id o-*

 nus

nus requirit, non qui sub pondere fatiscat, vel impari lacerto præceps fortunæ timeat. Honor nimirum - - *gaudet emeritam redimere frontem. Viluit* enim *munus, quod vel pessimus gerit,* quasi tam humile id donum fortunæ sit, ut immeritis etiam obtrudatur. *At tuis in humeris securus gloriæ honor.* digno is obtigit, & *in quo tot merita coronet.* Superant in te & summum obtinent dotes, *quas id muneris voves.* Quid non inest consilij? &c.

Secundò sumpto impetu ab aliqua circumstantia.

Ex tempore dicendi apparatum offeret aliqua rerum circumstantia, seu nomen, seu persona, seu res alia fuerit, quæ in acumen vel in argumentum attrahi possit. *Sic ad dedicationem libelli,* in quo *Carmen de Æter-*

Æternitate, dedit non levem impetum pænè extemporaneum tum ipsa exilitas libelli, tum ejus argumentum, Æternitas & hinc coaluit illa.

Subita Dedicatio libelli de Æternitate.

Mole caret, quod tibi consecratum eo: sed *sunt aliqua, quæ ex argumento grandescunt.* & tale argumentum est hujus Carminis; cm *nihil maius sit*, quo durationem metiare, *quàm Æternitas. Supplet* hæc *exilitatem operis suà immensitate.* Quod si à Mecænatis magnitudine suam aliqua mutuantur; hujus illi *certius est omen à tua.* Inter maximos Heroas ætatis tuæ imò & Heroicæ cujusvis te novimus: *id tu munere, tu factis asseris. Atomus est alicubi, ubi Olympum fama credit*; in te summa semper omnia; *nec errorem fama timet*

met. Hinc quodnam te dignius argumentum, quàm æternitas, quàm magnitudine operum mereris? nempe *nec tu vivis tempori, ſed æternitati &c.*

Alia Dedicatio libelli ſubita.

Ex eodem fonte impetum derivat illa ſupplicis libelli Dedicatio Sieniaviano Nomini, cui avitum inſigne Luna, illi ſubitæ dictioni lucem prætulit. Libellus eſt Latino & Polonico idiomate ſcriptus contra Vitia.

Solem alii orientem adorent, ego Lunam Sieniavianam malim. Nil quidem, quo ſolem referat, Luna hæc non gerit; *hoc tamen vno ſe Lunam probat*, quòd per continua luminum incrementa creſcat. Etiam tu illi ſpondes amplius ſerenum, etſi

non jam ſæculis nativam illi lucẽ facta augeant. Ne tamen primi radij, quos in Athenas Leopolienſes ſpargis, ſine urbaniore cultu abeãt, hoc illos munere colo. It ad te ſupplex libellus contra ſcelerum luem, re *vnus duplex idiomate*. nam unum haud ſuffecerat; quòd *non in Latio tantùm vapulet virtus. Vbique hæc eget ſtylo vindice*, & *niſi pro illa omnem linguam exacuas, non ſat præſidii*. Nefas etiam quoſdam non percipere, *vbi omnes propemodum rei*, & *cum lingua diſpare, par omnibus vitium gerunt*. Id tamen fortiùs fulmen excipiet à tua innocentia, quæ hoc *ipſo vitiis eſt infeſta, quòd illa neſciat &c.*

Nec illa facis Aſceticæ Dedicatio hinc non pænè ſubitario calore effuſa. Nomen ipſum & lux Mecænatis dicendi anſa fuit.

Alia

Alia Dedicatio, Facis subita.

Etiam Faces luce indigent nec eâ sufficit, quam ultro in alios effundunt. *Illustrari postulant, dum illustrant*, ita in plurium umbras prodigæ, ut *à Mecænate diem expectent*, sibique precentur. *Æmulas Lunæ dixeris*, quæ unum è Maximis sidus, *solem adhuc flagitat in lucis adminiculum*; & extinguitur pænè, nisi sol illam accenderit.. Par lucis egestas Facem hanc afficit. *Nomen illi rutilat; cætera caligini propiora*, nisi in aliud lumen incurrant, cum quo *per orbem & sæcula illustriùs eant*. Sed nolim aliud, quàm tuum Illustrissime Antistes, *quo regnum, quo templa, quo* majorem Europæ ambitum *serenas*. Quid enim in dissitis peregre aris ceras suspiciam, quando tuæ

tuæ propriis coruscant, & *lucis indigum volumen augurio lucis implent*? Quantùm hâc ipse polleas, *loquuntur repetiti à puero gloriæ tuæ fasti*. Ante aras ivisti per exteros, non ut minor facula, sed *qualem beatior ævi indoles suo in Occidente rariùs oriri dolet*. Regum deinde atriis & purpurato Procerum consessui illuxisti, parem ubique lucem factis dictisq; imprimens, & in *Fascia natali Zodiacum circumferens*. ita *ubiq; te radii discrevere, inter quos medius incedis*. Quidni hinc Faci huic bene augurer, si luce indiget, minorum ignium more? Tibi hæc sacra esto, ut in tuæ claritudinis consortio suum nomen retineat, alatque ignem feliciùs. quo sanctiores animæ inardescant, *totusque in flammas cœlestes abeat noster septemtrio*.

Item connubium è voto Maje-

sta-

ſtatum nuper in Illuſtriſſima Domo coalitum, circumſtãtia fuit repentina Epithalamij.

Subiti plauſus Epithalamici.

Ite in pulchra animorum fœdera, Pares Maximis Neoſponſi. Arbitra tantorum fœderum eſt Sarmatica majeſtas! *Nuſquam auguſtiùs in huiuſmodi nexus itur, quàm Paranymphâ Maieſtate!* Quod ſi felix connubium quod regali calculo comprobatur; quod cum idem votis etiam Domûs auguſtæ coaluit? &c. *Vide in Oratore Peripatetico.*

Tertiò ex loco communi obiter ſe inſinuante & aſſumpto.

Extemporaneam dat facundiam communis locus, vel hypotheſis ſubi-

ſubitò revocata ad theſim ſeu Propoſitionem Univerſalem. ſi enim id univerſaliùs aſſumptum, tum ſententijs Synonymis, tum occurrenti comparatione aut eruditione obvia illuſtres; non ſine fauſtâ admurmuratione ſubitò dices Id verò commodiùs fiet, *theſi & hypotheſi ad ſyllogiſmum obiter reductâ* ex tempore verbis illuſtrioribus exornandum. *Sic nonnemo ſalutaturus* Præſulem, pro hypotheſi habuit: *Deſideratus hoſpes, lætitia nos perfundis.* Pro theſi fuit illud: *Gratior is hoſpes, qui ante ardentibus deſideriis expetitus.* hinc ergo ſyllogiſmus coaluit.

Nil gratius hoſpite, quem ante quis concupierit. Sed nos tui adventûs deſiderio tenebamur, ſeu èundem concupivimus. Meritò igitur tuus adventus nobis, & tu hoſpes gratiſſimus. Hujus Syllogiſmi ſingulæ Propoſitiones ſubitò exornatæ ſic.

Salutatio extemporanea Hospitis.

Vix *gratius quidquam* illuxit *hospite, qui vota priùs occupat, quàm adyta. Frui* enim *non citra voluptatis sensum contingit eo, quod concupieris. Augent vt rerum pretium, sic æstum animi desideria,* & tantò beatiora adventu videntur, quantò studiosiùs in aliquid exarserunt. Quod ad te attinet, Magne Antistes, non alius animos ardor vehementiùs adussit, quàm tui conspectus desideria. *Pridem tu nobis votorum meta es,* imò *tota inter hos æstus nobis arsit æstus, nec frigent affectus, quando eminentia Hospitis pro face est.* at tibi *hanc* cum sacratioribus Infulis *avitus & virtutis apex indidit. &c.*

Sic & cognatum splendorem in Præsule celebraturus Orator, prævie dixit universaliùs, *A*

A maioribus oriuntur maximi: nec nativas faces, aræ majestas refugit: *ceras hæc amat, quibus illucescat;* & imagines ab ætatum fuligine fumosas recipit, quas adoret. Tibi certè nec originis, nec meritorum deficit splendor &c.

Eiusdem eruditionem laudaturus, eam generatim in Præsulibus sic requirit: *Pulchro ligari fœdere gestiunt libris tiaræ. Brutam nimirum mentē delubra non ambiunt,* imò *brutas pecudes securi ac victimæ destinant.* Excluduntur inde & idola, quæ auro duntaxat gravia sensus destituit. *At illiteratus Antistes idolum est in Infula, & sub aureo vellere pecudem gerit.* Malè conscientiarum regimen capitur sine scientiarum adminiculo. *Impleat mitram ratio &c.*

Porrò prædictos duos modos ac ijs insistentem, *Extemporalem* facūdiam

diam uberiùs dicere volentem juvat Quadripartitus Syllogiſmus. Prior eſt, cum ratio Majoris Propoſitionis adnectitur, vel minoris: alter verò, cùm tam Majori, quam Minori Propoſitioni ſeu aſſumpto ſua adijcitur probatio. Nequit enim etiam ſubitaria Oratio non diffuſiùs loqui, ſi ſingulæ Propoſitiones Syllogiſmi, & inſuper geminata ratio Majoris minoriſve colore Oratorio, qui ſe exercitato repentè offeret, venuſtetur. Hic illud moneo, licere à quacunque Propoſitione Syllogiſmi ſermonem ducere: unde ſi à Concluſione ordiare retrogradè, hinc ad minorem majoremque progreſſurus, Oratio fiet per Syllogiſmum inverſum: ſi à Majore incipiat Oratio, dein Minorem & Concluſionem recto ordine ſubijciat, erit Syllogiſmus rectus: ſi aliter

aliter promiſcuè fiat, Syllogiſmus immutatus dicitur.

Exemplum hic eſto unicum. *Cælibatum & caſtimoniam ſuaſurus* ex ea ratione, *quia Cælibes quaſi Cælites*, hunc inprimis ſyllogiſmum conficeres.

Quæ virtus quaſi Cœlites nos efficit,
par eſt in eius ſtudiũ ferri.
Sed Cœlibatus nos quaſi cœlites efficit.
Igitur in cœlibatûs ſtudiũ par eſt ferri

Ut hic ſyllogiſmus ſit quadripartitus, ratio Minoris hæc eſto: *Quòd cœlum caſtimoniæ ſedes ſit, & virtutis huius labem neſciat*: Quibus prohibitis, ſic Oratoriè id ſuaderes etiam ex tempore, à Concluſione exorſus.

PARÆNESIS
Ad Caſtimoniæ ſtudium
Cælibes quaſi Cælites.

Plumbum Saxoni apoſtatæ virginitas

 eſt;

est; *aurum mihi*: imò, *quia terræ partus est aurum, vnde hic oculo illustris limus effoditur*; *Cœleste mihi potius est Margaritum*. Illuc *originem puritas refert, vbi perennat*; Patriamq; non aliam potiorem novit, quàm ubi etiam canente Nazianzeno, *Prima Trias Virgo est, & cœlites vniversi, omninò Cœlibes*. Pulchrum *huic virtutum gemmæ Divis esse consanguineã*, Angelis coævam! Nemo terrarum connubia huic affinitati cum Superis ullus anteponat. *Nihil enim ibi non candet liliis: non purpurascit rosis*: ver in cælis æternum, *quod huiusmodi flores ambit*. Nempè, *vbi puritatis regnum est, in sceptrum pubescunt lilia & narcyssi, in purpuram rosæ vernant & hyacinthi*. Eja, quisquis cœli sententiam non abrogas, illuc mentem & studia, *vbi hæc Patria florum*, non *vbi myrtus Cypriæ Deæ peramica*. *Beatis*

tis Divorum cœtibus se inserit, qui se cælibi vitæ inscribit; nec adhuc voluptate caret in hoc voluptatis Oceano, cui cælites æternùm innatãt. imò *nullibi vernantior amænitati locus, quàm in Beatorum Elysiis: alibi cœnum, ibi cælum*. Alibi regnare *nequit solida voluptas, vbi sceptra simul obtinet dolorum ilias*. Si quid ibi volupe videtur; fucus est, *& melle tinguntur venena*. Clariùs dixero: *Cui caro blanditur, infamis terræ limus benè eidem olet, potiorq́; illi cum belluis, quàm cœlestis cognatio*. Sed quidni te potiùs Divinis inseras, jam *pænè cæli incola, antequam heres &c*.

Alij Modi Extemporaneæ facundiæ comparandæ.

Præterea conferet exercitatio privata domi, vel in umbratili aut minori consessu. Nam *vbiq́; multùm profi-*

proficit prolusio, nec *Athleticam tantùm iuvat* præexercitatrix *palæstra*, *vel gladiatoriam gymnasia. In vmbra priùs, quàm in sole & pulvere periclitari vires expedit.* Quare & tu à te ipso privatim exige, quid in quocũque argumento, *præclusâ ad cogitandum morâ diceres.*

Confert eodem multa lectio, ex qua plurimum menti inhæreat, quod deinde *in rem subitam* trahatur vel ex sententijs, vel eruditione varia, repentinis subsidium allatura.

Cæterùm etsi omnibus, tamen Sacro Oratori vel maximè, si subita ingruant, Divina ope nitendum, & suppetiæ cælitùs implorandæ. Reliqui modi ex tempore loquendi sequentibus §§ continentur.

§ 2.

§ 2.

ALII DUO MODI ELOQUENTIÆ FACILIS, & EXTEMPORANEÆ.

I.

Prior Modus quâdam divisione continetur; quatenus dicendi materiam in aliquot puncta seu partes dispertimur, uno contextu orationis efferenda. Hic modus præbet facilitatem etiam copiosiùs atque in longum productà Oratione disserendi: item methodus hæc rem partitò dirimendi, memoriæ est subsidiaria; & Auditori sic disserta, *fixiùs hærent*. Huic methodo inhæret Senatus *seu consiliorum adyta*, ubi plura puncta à Quiritibus Oraculum quoddam poscunt, & singulis in ordinem ac certam seriem digestis occurritur. Sic *Comitia perorant*, & puncta consilij publici a-

 gitan-

gitantur, quæ ſingula unico connexu cujuſque Procerum ſententijs ventilantur. Idem modus Sacræ Cathedræ ac Divinis Oratoribus perfamiliaris, qui ſæpe dicenda è Superiori ſuggeſtu ad populum aliquot punctis diſpertiunt, vel modos inſinuant rei perficiendæ, aut plures ejuſdem cauſas & ſtimulos inveſtigant.

Idem modus epiſtolis uſitatus, quæ per puncta etiam diſparata digeruntur. Sic fiunt & ſummatum imperia, quæ unà eàdemque ſeriè compluria vetant aut præcipiunt.

Re ſic in partes diſpertita, Facilis habebitur jam Invẽtio & Diſpoſitio. Iam verò elocutionem facilem dabit imprimis tum uſus & exercitatio, tum lectio librorum, tũ diſertorum auſcultatio imitatrix.

Præterea facilior elocutio habetur

tur tum per ſenſus Synonymos, de quibus in Phænice Rhetorum; tum per periphraſim, aut eruditam, aut allegoriam ab aſſuetudine expreſsã; tum per ornamenta dicendi deſumpta à ſimilibus, comparatione, experientia, Sententijs, & varia eruditione, & inſertis figuris facilioribus ac deſcriptionibus.

Horum exempla dat Senatus Regni Poloniæ, ubi Procerum Sententiæ in commune de pluribus promuntur. v. g. de armorum ſocietate contra Turcam, de regni Contributione & ſtipendijs militum, de legationibus, de Munimentis, de poſtulatis variorum &c. ubi puncta his ſimilia Civili elocutione ſplendidè proferuntur.

I I.

Alter Modus Per ratiocinium multiplex ijſdem modis, quos modò

do insinuavi exornatum. *Per ratiocinium* intellige congeriem causarum vel retrahentium, si est dissuasio; vel impellentium, si suasio: vel verisimilium aut evidentium, si assertio rei alicujus, aut simplex Propositio; vel conjecturarum vel congruentiarum, si agitur de re & quæstione dubia ac perplexa, vel difficili. Color Oratorius desumetur ab ijsdem, quæ proximè indicavi. Idem Ratiocinium continebitur vel solo enthymemate cum congerie causarum pro antecedenti Propositione; vel ad instar Expolitionis, de qua superiùs.

Exemplum duplex accipe. Primum continet verecundiæ encomium & calcar: Ratio multiplex: tum quia *Pudor par Regum purpuræ*; tum quia *eidem antecellit*: tum quia *plerisque vitâ potior visus.*

1. *Encomium verecundiæ, & ad eandem calcar.*

Detumesce, arrogans Regum fortuna: non sola purpuram geris regnatricem. Melior adolescentiam exornat, *cùm genas illi & animũ depingit pudor. Vbi hæc oris & animi tinctura est; viluit regalis murex.* Tot *grandiores Purpurati sunt, quot Pudici!* Unus olim inter Poloniæ Reges, *cui verecundia geminavit Purpuram Boleslaus Pudicus*: adeò pauci sunt, quibus *pudor sit in Purpura!* Vobis, ô pubescentes animæ, singulis conceditur, *sic incedere paludatos.* Verecundia vestræ prætextæ insigne est, *nec augustali ostro indiget, cui color hic animum imbuit. Fucus alibi est vbi fullonum labor adscititio rubore vellus perfudit: pulchriore minio colorat, qui in genis purpurascit pudor.* nam

speciosius est suo rubere, quàm alieno, & ad lenocinia erubescere. quàm nitere purpurisso. *Democle adhuc tument Athenæ,* quòd in ahenum bulliens insilierit, *tutior inter ignes, quàm inter lenonum greges.* Atque *ex hoc aheno vestræ tinctura Purpuræ.* Adolescentes; nisi *ab Hyppolyti sanguine* malitis, quo, dum Phædræ vecordiam solitudine vincit, *dumis horrentes scopulos affatim coloravit.* Adeò vel inter veterum fastos *verecundiæ caluit amor!* Sic incalescite, sic incedite purpurati pusiones. Habetis & veterum exempla, *& vos nova estote,* vestrisque sæculis *Casimirum vel Nicetam castissimum date.*

Aliud exemplum sit Parenæticum ad temperantiam ex ratione multiplici; nimirum, *quòd temperantia servituti ventris nos eximat, morbus averruncet,* vitam proroget, *maioresq́; in*

in ea, quàm in gula deliciæ; quod sequens Parenæsis comprehendit.

2. *Paræneticum Temperantiæ encomium.*

Ieiunium exclusit ingluvies, revocet virtus. Sæpius vicit gula, abstinentia tandem *triumphet.* Fædum id, si abdomen jure victoris imperet, postquam *in mensa, imbelli sanè arenâ, temperantiam toties prostavit.* Age profligata non semel virtus, arma hæc mollia meliori Marte tandem excute. *Sufficit Capuæ vnus Annibal,* quæ vires illius luxu perdito fregit: *pudeat, si & te sua inter mancipia gula numeret.* Quod si *vitam* prorogari inter obsonia velis, vide *ne copiâ suffoces, & inpræcox fatum præcipites. Non sat sospitati prospicit, qui genio indulget,* vitæ adimens, quod illi ultra modum adijcit. Videris quos ere-

mus vidit inedia exhaustos. Vixerunt hi annos, *quos nunquam sperare possit ingluvies & mēsa lautior*. Datū id frugalitati ut in eam ætatem viverent, ciborum parsimonia liberaliùs vitam producente. Si ergo fata præfestina per dapsiles cænas arces, vide ne accersas, *meliùs alit, quod diu sospitem* conservat. Idem hic, quod in navi, cogita; quam pondus in ima fluminum pessundat & absorbet. Mitto, quòd *maiores sint tēperantis palati deliciæ, quàm vt eas venale forum capiat, aut Vitellii patinæ. &c.*

§ 3.

ALIUS MODUS FACILIS ELOQUENTIÆ, PER ADIUNCTA.

Hæc semper *suggerent, quod facilè dicas*. Principem alloqueris, se ac te componet ad modestiam Oratio. Inopia tibi os aperit? Supplicem eidem te sistet, & munificentiæ cāpum offeret. Consilia capienda? rerum & temporum ratio illis moderabitur. Urbaniùs agendum vel salutatori hospitis, de fortunæ ac eventuum benevolentia plaudendū; ijdem fontes venam dictionis uberem recludent.

Adjuncta Personarum sunt plurima, per quæ si dicatur Oratio, *ante diem clauso componet vesper Olympo, quàm finem reperiat*. Sunt illa potissimùm: *Nomen, Cognomen, Patria, genus, cognatio, affinitas, Stemma, indoles, educatio, studia & doctrinæ, artesque aliæ, virtutes, vitia, habitus, status & vitæ ratio in pace togaq́ꝫ, honores, opes, seu bona fortunæ.* Aliæ circumstantiæ illo versiculo continentur: *Quis quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando!*

Ex adjunctis seligenda commodiora

diora in argumentum dicendi. Aliquando unum ſufficiet. Sic recentiorum panegyres Stemma ſæpe conficit, ut jam immeritò Iuvenalis interroget: *Stemmata quid prosũt?* nam prodeſſe illa nec Orator negat, nec Poeta. Aliquando honorum inſignia & ſeries implet Panegyrim, ſeu quos Majores geſſerint cũ laude, ſeu quos is ipſe, quem exornat Oratio. Sic nonnemo ab honoribus geſtis laudatur. *Is per honorum Appiam, gradusq; tibi honoris, prodromus honor,* qui alius ex alio te exambit; quòd illi pulchrius ſit, cùm datur digniſſimo Et par eſt emeritos ſic attolli; *ne felicior videatur ætas edendis Heroibus, quàm ornandis.* At tu is Heros es, *qualis inter Optimates optetur ſæpius, rariùs contingat,* quoad publica ſolertior, quàm privata, *vt ſoles huiuſmodi non ſibi, ſed publico lucent,*

cent. Nefas ergo *eſt te ima terere, cùm ſumma te poſtulent.*

Aliquando victoriæ vel legationes, quas ſi calamus decurrat, dixeris: *Vaſtum mihi panditur æquor.* Sic Panegyres variæ tum in alijs, tum in Oratore Peripatetico honores & legationes cum plauſu terrarum obitas liberaliùs proſequuntur. Aliquando longa virtutum ſeries pæne dicentem opprimit argumenti mole. Sic ibidem Antiſtitum Primatis virtutes Senatoriæ ac Pontificiæ ex ordine digeruntur ac diſtinguuntur; eò quòd *alio profana radio egeant, alio ſana: aræ alio, quàm minores tiaræ;* adeoque intereſt, quẽ referas.

Aliquando longa ſeries Majorũ, in quibus virtus cum fortuna de faſtigio laudis decertârũt, eſt *pars maxima laudum;* ut quævis enumeratio

ratio Partium fons eſt uberrimus dicendi. Sic illa incipit Panegyris. Sic tu majorum paſſibus inſiſtis, ut qui tua cum illis acta conferat, Majores neget. *Quæcunq; illi ſumma edidêre, tu plerumq; maiora;* adeoque *tantis alioquin Maioribus ſolâ tu ætate minor.* Quanquam à te ſuperari non abnuant, qui ſuæ gloriæ incrementa in te amant. In majorum enim decus redundat, quidquid ſeri Nepotes Atavorum laudibus adjecerunt. Aſſurgunt illuſtres eorum Manes ad inaugurationis tuæ pompam; ut nempe *ſuam colit, qui parem fortunam adorat.*

Aliquando Scientiarum & inſignium facinorum ſeries Oratoris materiam locupletat. Aliquando prodigia; ut in Panegyri Michaëli I Regi Poloniæ, ſeu in Sarmatia Cive Patriæ coronata decurruntur Ora-

Oratoriè mira quædam throni regalis præſagia.

Præterea temporis adjunctum ſuggerit rara aliqua, & arguta, quæ proferas. Sic & Autumno in funere Principis argutè Iuglaris: *Pluvius nobis eſt Autumnus, ſerenitate ſepultâ: ulciſcimur fletibus felicitatem æſtatis præteritæ, dum unius vitâ conculcatâ, vindemiam lacrymarum dedit October: temulentus hinc pænè dolor inſanit. At autumnum evadere neſcit tanta maturitas! cœlo maturus Princeps concidit in autumno, & October qui eum dederat ſolio, dedit & tumulo!* Sic de Honoris aditu in tenera ætate dicitur: *Erubeſceret Palatina Purpura, ſi ſeriùs tibi obtigiſſet. Sat illi maturuit, qui ſenium meritis prævertit. Non hic tantùm color efficit candidatos, qui capillum nive imbuit: Meriti ſemper potiùs eſt, quàm pili ſuffragium.*

Plura

Plura in Suada Civili & Phænice Rhetorum exempla ex circumſtantijs ductæ Orationis, nec non in aliorum Panegyribus videbis.

§ 4.

RELIQUI MODI FACILIS ELOQUENTIÆ.

Duo adhuc modi occurrunt, qui *facilè diſertum reddant*: hi autem ſunt, tum enumeratio partium, ſi totum aliquod in orationem cadit; tum eruditio in protaſim dicẽdi adhibita, cui ſua reſpondeat apodoſis. hic de ſingulis.

I.

Enumeratio partium quandoque felicitat Oratorem.

Non rarò contingit, ut argumẽtum ſit totum aliquod ex partibus coale-

coaleſcens. Tunc verò locuples dicendi ærarium nactus eſt Orator. Pariunt facilitatem partes ſingulæ, per quas ſi feratur Oratio, inſtar Oceani latiùs exundabit. Sic ſcientiarum encomium dilataret facilè earundem erudita & concinna enumeratio: Virtutum ſimiliter vel victoriarum. Sic ſi libeat eloquentiæ quandam immenſitatem tribuere, facile id argumentum evadet, ſi per complures locos evagetur, qui eloquentiæ adminiculis egeant. nimirum eloquentiæ locus eſt tum in ſenatu, tum in legationibus, tum inter arma, tũ in ſanctioribus exedris. exemplum id premo, & *Eloquentiæ locum vbique* per hunc modum ſeu enumerationem locorum aſſero.

1. Dux

1. Dux Militum Orator esto:

Seu Eloquentiæ locus inter arma.

Etiam inter arma, Rhetorum rostra defixit quædam neceſſitas, *nec arma togæ, nec cedit laurea linguæ:* nec Pallas tantùm, ſed Suada etiam ſagum induit, ac inter bella claſſicum canit. Sic eſt omninò: arma poſtulant Ducem, non manu valẽtiorem, quàm linguâ. *Emortuæ ſunt in armis vires, quas ſubinde Ducis Oratio non animat. Pars victoriæ eſt. acuere militem, vt vincat.* nam *prima ante conflictum in milite formido periculi expugnanda,* quæ ubi fulmen accepit à Ducis lingua, hoſtis time. *pauciores iam ſuperſunt profligandi, vbi primus eſt profligatus timor. Amantur aut etiam ridentur pericula, poſtquam timeri deſierunt.* At *metum eximit,* qui armorum regimen non elumbi facundiâ novit temperare. *Acuit in diſcrimina vt tubæ clangor,* Sic Dux Orator. imò *tubæ ſegniùs in aures agunt, quàm* Imperatoris *lingua in animos. Vocalius id ære claſſicum, quod in pericula emollit,* quàm quod aurem tantùm emortuo ſono ferit. *Tubæ quidem arma provocant, ſed concentu hoc non excantantur pericula,* eorumque horror. Feliciùs hunc propulſat, dum vel gloriæ ſpe delinit, vel impẽdentis exitij formidine percellit Ducum facundia. *Non ſemper* ergo *Mars in lingua labem incurrit, niſi à lingua tota vis illi in pedes defluat;* ſecus ſi fortium manui lingua diſertior moderetur. *Vicit Græcia,* quia Ulyſſem Diomedi, hoc eſt, forti diſertum innexuit. Nam *nec ſola militaris ſcientia, nec ſola facun-*

cundia trophæum ſtatuit: Si vtraque in arma conſpiret, facilè *Pæanam conci-nit* accenſa virtus & laureis incla-reſcit. Nec Hiſtoria Imperatorem profert, quin ſimul ſæpius facundũ. Hinc illæ Orationes Alexandri & Darij apud Curtium ante aciem; Cæſaris & Magni apud Lucanum: documento *quantùm facundia poſſit, dominæque potentia linguæ, quæ animis non viles ingerit auſus* Audi iam pe-rorantes.

Oratio Darij ad Commi-litones, ex Curtio.

Terrarum, quas hinc Oceanus alluit, illinc claudit Helleſpontus, paulò antè dominis, jam non de gloria. ſed de ſalute, & *quæ ſaluti præponitur*, de libertate dimicandũ eſt. Hic dies imperium, quo nullũ amplius vidit ætas, aut conſtituet, aut

aut finiet. Eo ventum eſt, *vt depulſis ne fugæ quidem locus ſuperſit*. Audete vincere, *famamq́ʒ infirmum adversùs fortes telum*, contemnite. *Temeritas eſt, quam pro virtute timuiſtis*, quæ *vbi primum impetum effudit*, velut quædam animalia amiſſo aculeo, *torpet*. Videtis hoſtium raros ordi-nes, extenta cornua: obteri equo-rum ungulis poſſunt; *& bello vicerimus, ſi vincimus prælio*. Quod ſi quẽ Macedonum nomen movet, cogi-tet *Macedonum ibi arma eſſe, non cor-pora*. multũ enim ſanguinis hauſi-mus; & *ſemper in paucitate gravior iactura eſt*. nam *Alexander noſtro pa-vore, quàm ſua virtute felicior. Nihil poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubeſt ra-tio*: licet *felicitas* aſpirare, videatur, tamen *ad vltimum temeritati non ſuffi-cit*. Præterea *breves & mutabiles re-rum vices ſunt? & fortuna nunquam ſimpli-*

simpliciter indulget: iactamur invicem varietate fortunæ. Ergo ite alacres, ut, quam accepistis à majoribus, posteris gloriam relinquatis. *effugit mortem, quisquis contempserit: timidissimum quemque consequitur.*

Oratio Alexandri ad Commilitones.

Magnitudinem rerum, quas gessimus, intuentibus nobis, minimè mirum est, & desiderium quietis, & satietatem gloriæ occurrere. Si crederem certam esse possessionem terrarum, quas vobiscum perdomui; ipse vel renitentibus vobis in Macedoniam erumperem, ut ibi parta vobiscum gloria fruerer: sed in novo & precario imperio, adhuc jugum rigida cervice subeuntibus barbaris, tempore opus est, dum & mitioribus ingenijs imbuantur, & effe-

efferatos mollior consuetudo permulceat. *Fruges* quoque *statuto tempore maturitatem capiunt, & sensûs omnis expertia suâ lege mitescunt. Feras* etiam, quas natura non potest, *longior dies captas mitigat.* Non eodem imperio gentes hæ domitæ, quo victæ sunt. Vestris armis continentur; sed *qui præsentes metuunt, in absentia hostes erunt. Suis quisque paret placidiùs,* etiam cùm is præest, qui magis timeri potest. Proinde aut quæ cepimus, amittenda; aut, quæ non habemus, occupanda. Sicut *in ægris corporibus, nihil, quod nociturum est, relinquunt medici:* sic nos, quidquid obstat imperio, recidamus. *Nihil tutò in hoste despicitur. quem spreveris, valentiorem negligentiâ facies.* Quatridui nobis iter superest, qui tot proculcavimus nives, tot amnes superavimus. Non mare mora-

moratur euntes, non Ciliciæ fauces & anguſtiæ includunt: plana omnia & prona ſunt: in ipſo limine victoriæ ſtamus.

2. *Senator ſit Orator.*

Seu Eloquentiæ locus eſt in Senatu.

Et inter Proceres ſolium defige, Eloquentia. Regnas, ubicunq; lingua Civilis nativum munus exercet. *Deliberatio te purpuræ immiſcet;* & *vbi Conſiliis, ibidem togatæ facundiæ locum deſcribit*. Nam *inter conſilia, omnes ſuadent: qui perſuadet, Orator eſt. Suadæ* etenim *duo ſunt adminicula, Ratio & Oratio*; quæ is, qui perſuadet, in lingua gerit. *Felix Curia, quæ conſilii* & bonæ mentis auſpicia ex utroque colligit. Adi veterem Romæ Senatum: occurret ibi Arpi-

Arpinas *Tullius, qui in Senatum nihil præter Eloquentiæ ornamenta attulit.* Athenæ adhuc ad Demoſthenis vocem aures arrigũt, boni pacis bellique conſilia permiſcuit, quoties in Senatu Attico peroraſſet. Sed exẽpla fruſtra peregre accerſam, quæ domi habeo. Nullibi auguſtius politioris eloquentiæ theatrum eſt, quàm in Polona Curia, ubi Procerum ſententias qui auſcultat, *Neſtoris flumen contemnit, & Orationi æternitatem vovet*. Uni fama & Poëta accinit, quod ſingulis poſſet.

Illius attonitum iurare in verba Senatum (verbis,
Vidimus, & doctis ſubſellia plaudere
Seu pacem, ſeu bella iubet: ſeu congrua rebus (bus æquus
Decernit, ſceptriſq; caret: ſeu partiArbiter: obſcuris ſeu iudex litibus unus
Accedit: Primus cenſet, quod cernimus omnes.

 3. Le-

3. Legatus Principis aut Respub: sit Orator.

Seu Usus locusvé Eloquentiæ in Legationibus.

Agit Respublica persæpe cum Exteris per publicum Oratorem & votorum internuntium; & *agere iubent fortuita, vel congrui leges.* Armorum *auxilia sic urgentur: sic amicitiæ fœdera*; nova ut coalescant; vetera, ut firmentur Hostem etiam ita primò aggredimur, cùm injurias propulsat patriæ amor, vel inimicitias timor præcavet. Nam & bella sic olim Roma indixit, dum in Carthaginem velut è sinu Fabij Punicum bellum effunderet. Quidquid demum peregrè committas apud Orbis Principes, *Oratore opus est*, qui è re Patriæ id transigat.

Hinc non multùm fuit olim laborandum, cui honoraria missio offerretur, nisi Oratorum penuria ætas laborasset: alioquin, ubi Orator occurrit, ei Legationis munus incubuit. *Sic Cyneæ Romana obtigit* legatio, Anaximeni ad Alexandrũ, Scopeliano ad Domitium, Eustatio ad Saporem Persidis Regem sæpius quidem *fortuna comes legato quæritur, honoratior poscitur, quàm eloquentior*; sed ab utroque beatior est legatio; aut si alterutró carendum sit, *præstat censu carere, quàm sensu*; potiorque animi dignitas in linguã refusæ, præ aureo comitantium apparatu. Ne domestica taceam; utrumque adhuc fama & Roma celebrat in Georgio Ossolinski. *Veteres triumphos illa noluit*, ad Legati hujus Sarmatici comitatum attonita, qui cùm auram textili togarum

auro accenderet; insuper non terram calcare voluit, *sed aurum, quod in equorũ soleas* deformarat. Sed tamen admirationem præripuit Oratio, & raro *sese Maiestas meminit sic Romana locutam.* Lubet eius Orationem ad Urbanum VIII. Summum Ecclesiæ Antistitem in ætatum gratiam hic reponere.

Oratio Georgij Ossolinſki, Legati Regni Poloniæ ad Vrbanum VIII. Summũ Pontificem.

Venit iterum Romam Vladislaus, Beatissime Pater; & qui nuper barbaricis ornatus laureis, ad tuos pedes venerabundus procubuit, is hodie triplici coronâ auctior ad eosdem per me Oratorem supplex advolvitur: Vladislaus inquam, Pole-

Poloniæ & Sueciæ Rex, ac Magnus Moſchoviæ Dux, qui antequam regnaret, Regum regnorumque tyrannos debellavit, & Romam triumphator sine triumpho ingressus, pia vota, & Pontificiorum pedum oscula triumphalibus prætulit: qui nova Tiberim felicitate beavit, cum invicta dexterâ ultra Tyram & Borysthenem pertraxit. Hic ergo ac tantus Princeps Tuæ sanctitati non in cunis, sed in ipso gloriæ ac rerũ gestarum fastigio: non famâ, sed aspectu & familiaritate cognitus, quos qualesque populos Vaticanæ Sedi supplices secum offerat, jam declaro. Quidcunque gentium Septemtrio noster gerit: quàm latè à Carpatijs montibus ad Caspium mare, à glaciali Oceano ad Pontũ Euxinum patet Europa, totum id genu flectente Vladislao ante thro-

 num

num tuum prosternitur, Sanctissime Domine Omnes enim illæ nationes aut liberis suffragijs eum sibi Regem dixerunt, aut hæredem purpuræ agnoscunt, aut armis subactæ Dominum. Sed primum meritò locum obtinet *Polonia*, quæ ut Principi suo liberè paret, ita *religionem & Sacra, nullâ vi aut metu adacta colit*, illa, inquam, Sarmatia Romanorum armis impervia, Romanæ religioni mancipata: illa tot olim superstitionum altrix, nunc unius Dei alumna: illa libertatis custos acerrima, nullius jugum experta, quæ à *tot sæculis adversus immanes Christiani nominis hostes excubat, nec stationem deserit*; & Scythicam pernicitatem, ne universam pervagetur Europam, moratur. Ibidem juris ac legum amor, nil in habitu corporis, nil in moribus

molle

molle: juventus prætextam non in cytharædorum gymnasijs, sed intra castra deponit: Equitibus jus Paternum colere haud probrosum, ne urbanis enervati delicijs, bello fiant ineptiores: humiles domos plerumque incolunt, sed excelsos fovent animos, non propugnaculorum, non Pontis Sublicij, sed legum & innocentiæ præsidio tuti. Adhæc *cicuram*, si quæ fuit, Sarmatiæ *ferociam*, *religio & Musæ Latinæ*: *has*, ubi è Septemtrione devolutæ gentes Latio moverunt, credo equidem castra secutas, *Heliconi suo propè vltimùm valedixisse*: gentem profectò nostram adeò sibi mancipárunt, ut sine illarum præsidio & ornamento militarem gloriam minus gloriosam æstimet. Talis itaque ac tanta Polonia, ima *Tuos ad pedes procumbit* P B. illam ceruicem nullius jugi

pati-

patientem, illum animum nullius imperijs natum, Regis sui exemplo, Majorum instituto Tibi submittit: tuis auspicijs se Vladislaum Regem dixisse, ac proinde eum tibi debere profitetur. Tu enim geniales ejus Divos, Primum, ac Felicianum, Roma discessuro, in sacris ciner ibus tribuisti, omine Pontificio, *tum primum Regem fore, qui sine æmulo: Felicissimum, qui sine suffragiorum dissidio Rex diceretur*. Tuis ergo auspicijs, Pontificum Maxime, habet Vladislaum Polonia, Vladislaus Poloniam, tu utrũq;. Erige hanc dexterã, Pontifex Optime Maxime, qua nescio quo turbine motum ac penè ruentem orbem retines: summo hujus sæculi bono destinatus, ac Paternis votis & benedictione prosequere tam cari pignoris pios conatus &c.

4. Sar-

4. Sacer Ecclesiastes, sit Orator:

Seu Eloquentiæ locus in Sacris exedris.

Nihil ab Eloquentia vacat; ne templa quidem. Hic Sacra fixêre Rostra *Chrysostomi, quibus aureus facundiæ torrens in linguam influxit*: hic Chrysologi, & *quotquot auream dicendi venam nacta, aurum in nomen admiserũt ingenia*: hic Ambrosij & Bernardi, *quibus mella in ore, quædam in verbis ambrosia. Sanè puduit Italiam post Ambrosium dicere*, Palestinam post Hieronymum, orbem post Augustinũ: tantùm hi cœlesti facundia valuêre! *Nec mella tantùm stillavit Ambrosius*; Sed, *vt gerunt & apes aculeum*, Hyblæ permiscuit acorem, *telumq; ab hac lingua expavit Theodosius. Nôrunt*

 & hi

& hi tonare Pericles: norunt fulmina, quæ scelus exterreant, intorquere, *Leonem* Urbis Orbisq; Antistitē Attila extimuit; *nec nomen terruit, sed lingua*. Nam monstra illa Pelagium, Faustum, Fortunatum (quo nomine felices erant, vel infelicitatis rei, vel tantùm fausti per antithesim) Manichæum, *aliosque Orci rabulas calamus* Augustini profligavit, *nec aliâ Herculis clavâ contra huiusmodi monstra opus fuit*. Ab eadē eloquentia virtuti calcar, *fulgur cū tonitru* in scelera semper emicuit, *quo Tonantes illi* graviter è suggestu *detonuêre, novamq; senserunt Phlægrā Gigantea piacula*. I per ætates singulas, & fulminatricis hujus eloquentiæ vim in sacris adytis animisque admirabere.

5. Po-

5. *Polonia eloquentiæ amica.*

Ætas prima Poloniæ, Musas nesciit; armis tunc omnia personuêre, *potiorque Gradivus fuit quàm Tullius: maior tunc, qui bellis clarior*: neque *auro tantùm inerat pretii, quantum ferro*. Nec Roma primo aliter; *Sero nimium Consul Orator placuit*. Et sane sic agendum inprimis fuerat, ut latiùs proferretur armis imperium, quod inter auspicia vulturum Romæ, ad nidum Aquilarum hic coaluit. *At sensim mansuescunt ingenia*, & *velut ferrum lima, sic ætas ætatem perpolit*. Cultius successit *seculum* & quod *desipere noluit, cùm regna vbique saperent*. Florent jam scientiæ & quædam Encyclopædia: eloquentiæ tamen usus communior, quæ Civem usibus Patriæ idoneum efformat.

 Nam

Nam si obeunda legatio: *disertum hæc Sparta exigit*. Si perorandum in Curia; *Suada Patriæ* ibi est quoddã *augustal*. Si causæ in foro agendæ; Iudiciale Oratorum genus inibi regnat. At nec ad Comitia Regni potior comes, quàm civilis facundia, quæ armorum stipendia, vel fatiscenti Patriæ præsidium decernat, quæ *pacis bellique momenta in consilii lance* expendat. Quid domi urbana polities! ut illa Polonam indolem inter Oratores redigit, dum vel emeritis Quiritum Manibus parentat; vel hospitalem facundiam in Comitatis officia; vel obæratam Principi aut Mecænatibus in gratias solicitat. Adeò multiplex hic Oratoriæ facultatis usus, *ac penè regnum Eloquentiæ!*

II.

II.

Alius Modus Eloquentiæ Facilis. Ab eruditione, aut aliunde per Protasim & Apodosim.

Eruditionis multiplicem usum in Phœnicè Rhetorum indicavi; hic sufficit eandem Facili Eloquentiæ obnoxiam deservire. Quare si Argumento congruens quiddam obtrudant veterum, aut recentium fasti, id Oratoris laborem molliet, si ad Protasim historicam, Apodosim argumento consonam accommodet.

Id verò bifariam fiet, vel breviùs quatenus Protasis, totam historiæ seriem uno contextu Oratorio complectitur, cui Apodosis in altera parte respondeat. Vel uberiùs, quatenus Historiam Orator in plura puncta

cta partitur, & singulis Apodosim statim subnectit. Et juxta hunc modum etiam longior Oratio conderetur Nam si v. g. Heroem aliquem cum Hercule vel Alexandro conferre libeat, vel insignes alicujus Virtutes, cum aliquo cœlitum, tu verò Herculis labores aliquos partitim cum applicatione ad argumentum exponeres: aut cælitum ornamenta sigillatim depromeres, cum accommoda Apodosi ad singula; uberrimam id dicendi rationem efficeret. Hic verò posterior modus, etiam sacris Oratoribus solennis, dum sacram Divis panegyrim contexunt.

Brevior autem modus, quem priore loco attigi, usui esse poterit etiam in officiosis Orationibus. *Sic in salutatione Protasis esset. Aves aliquando* in urbanitatis officia erudiit

diit Roma; Sic enim post Atticum triumphum reducem Augustum salutavit ales; *fuitque* tunc *inter Quiritium populiq; plausus, Corvus Augusti salutator.* Iam Protasi huic subderes Apodosim: *Etiam tu nobis, ô Princeps, Augustus es; absit vt minor vrbanitas te recipiat inter homines, quàm fuerit inter alites &c.*

Sic item inter Eucharistica seu Gratiarum actoria Oratione Protasis esse posset: *Nimis exaggeravit gratiam Furius, quam Augusto acceptam retulit; dum se magnitudine beneficii, eò redactum diceret, ut ingratus semper vivere cogeretur*, ubi scilicet nihil unquam par è gratijs reponi posse cerneret. Subtexeres deinde Apodosim. *In Furio dictum illud oderat Veritas; non item in me, seu gratiæ dantis reddentisq; invicem conferantur,* seu sola beneficij magnitudo. Sic de alijs

alijs intellige officiosis Argumẽtis.

Adverte quòd eodem modo uti poterit Orator. Si loco eruditionis historicæ, utatur vel similitudine, vel sententiâ, vel Apologo, vel fabula Poeticâ, vel Allegoria, aliquâ comparatione, nam tunc etiam Apodosis accommoda cum aliqua ex istis in Protasim assumpto cohærebit, & Oratori facilè suppeditabit dicendi uberem copiam. Exempla quisque dabit. nam res plana omnino videtur, & effectu expedita; nec alia Facili Eloquentiæ accommodatior.

III.

Reliqui modi Facilis Eloquentiæ.

1mò. *Ex sententia* etiam propria, & nunc primùm excogitata, quæ ad rem præsentem vel trahi possit, vel

vel rejici Si sit rei nostræ accõmoda breviter illustretur, vel si placeat longiùs per Chriæ partes, aut aliter: si sit nostræ causæ dissona, refutetur obiter ex causa occurrente. Tum deinde ad Propositum accedatur impetu ab illa sententia laudata aut refutata sumpto. Potest etiam sententiæ illius quædam in varios sensus deflexio institui, & accommodatior acceptari. Sic si videres restitutam Mecænati sanitatem, unde domi nova gaudij communis seges, gratulaturo occurreret illa sententia: *Rege incolumi, mens omnibus una*. Pro *Rege* Mecænatem poneres *mentem omnibus unam*, explicares, quòd omnes in gaudij consortia conspirent, quorum Mecænas incolumis. Sententiam explicatam ratione fulcires ex natura rei & grati animi. Iam præsens incolumitas quòd

quòd idem præstet, assereres & meritò præstat, tum quia &c.

2dò. Ex proverbio occurrente, & ad propositum deflexo. Sic magni legati munus nonnemo gratulaturus cuidam Procerum, cui arbor in frondibus recisa avitum fuit Schema; sumpsit subitum dicendi impetum ex illo proverbio: *Non ex omni ligno fit Mercurius*, qui utiq; Legatus Deorum: at tua arbos avita pridem talium fæcunda nominum Numinumque &c.

3tiò. Ex analogia quadam vel proportione ac similitudine alicujus rei cum illa, de qua subitò dicendũ: puta, ex analogia vel nominis, vel facti, vel eventûs, vel alia proportione. Sic alius eidem legato munus idem honorariũ gratulaturus, quia vidit ex ejus familia insignes Heroas oriri, analogiam instituit inter arborem

borem ejus Gentilitiam, & silvæ Dodonææ arbusta, ex quibus nulla incisa arbos, nisi vel in clavam Herculis, vel in cadùceum Mercurij, vel in Neptuni tridentem, vel in alia Deorum insignia, & sic facilè rem latè & gloriosè deduxit.

4tò. Ex congruo tum tuæ, tum Principis Personæ, ex congruo rei, muneri, loco, alijsque occurrentibus gestis vel eventibus discursu & affectu. Sic victoria epinicion & triumphale carmė, aut pæanem exigit: Sic Festa quædam, sic reducis Mecænatis conspectus, sic verna Maij aut æstiva temperies, sic mæstior eventus alios affectus cient & postulant &c.

5tò Ex insignibus vel muneris, vel Generis, vel nominibus rerum ac Personarum aut etiam loci, subita dictio habet quod decerpat & arripiat,

piat. de quo fusè in Phænice Rhetorum egimus.

6tò. Ex comparatione, aut prælatione seu Historia seu naturali subitum quid, facilè dilatandum occurret; unius rei cum altera collatæ proprias dotes componendo. Comparatio Historica vel prælatio aut postpositio esset v. g. conferendo Mecænatem dies beneficijs distinguentem cum Tito Cæsare &c. Cõparatio naturalis esset, v.g. si insignem quoad raras animi & fortunæ dotes Heroem conferas cum Phænice, qui ut ait Poëta, est -- *vnica semper avis*, aliam parem non habet. &c.

7mò. Ex ingenii penu & vario acumine, quod & eruditior Auditor, & materia ferat, & mentis agilitas Oratori citiùs obtrudat. Sic alicubi trecentos acutiores conceptus audijmus ad illam propositam quæstionem: Cur Divo Petro Apostolorum Principi potiùs Crux obtigit, quàm Ioanni. Sic & elogia à plerisque extemporaneo calore effusa, ubi una materia per plures argutias trahitur.

Denique tum idem Oratoris ingenium, tum exercitatio & usus frequentior, tum lectio varia rerũ ac eruditionis supellectile mentem imbuens, tum auditæ aliorum, à quibus ideam transsumere liceat, Orationes in Scholis, in Senatu, in Comitijs, in Civili congressu consessuque, ad subita mentem ac linguam instruent polientque.

SPE-

SPECIMEN IX.
Admirabilis Eloquentiæ.
ELOQUENTIA PERICLIS FULMINATRIX.

PEricles ſic à Tullio deſcribitur, quòd *cùm diceret, tonare, fulminare, permiſcere Græciam videretur*. Tanta vis inerat dicenti! Imò & Demoſthenes *fulmen in lingua* gerere dicebatur. Ita hi *Athenarum Tonantes* quidam fuêre; *nec vno Tonante hæ egebant!* Quin & *legio* Chriſtianorum ſub Cæſare Antonino *dicta eſt Fulminatrix*, quòd in Romani exercitûs hoſtes fulmina & tonitrua cælo deduxerit precario. Etiam quoddam eloquentiæ genus eſt.

Qualis triſulci fulminis impetus.
Quem Dædaleis fæta vaporibus,

Pinguemvé pabulata terram
Per medias rapit ira nubes.

Nempe vis quædam & vehementia dicendi, vel æquè, vel *potentiùs ictu fulmineo* percellit. Ad hanc eloquentiam ſpectant Catilinariæ, Philippicæ, acrior objurgatio, exprobratio cum aculeo, Minæ, Diræ. *Tali facundiâ ſæpiùs & templa tonant* ejuſque loci Oratores, à quibus *intentatus æternitatis horror pro fulmine eſt*. Etſi autem *fulmina magis mira, dum parcunt, quàm dum feriunt*; tamẽ Fulminatrix eloquentia non parcit, pronior in aſpera & ictus animorũ ac aurium; nec tamen admiratione caret; imo & amore, quod admirabiliùs.

§ 1.
FULMEN CÆLESTE AC ORATORIUM MULTIPLEX.

Fulminum officinam Philoſophi deſi-

defixerunt in aëre, Poëtæ in Sicilia & Vulcani antro. Sed *Oratorum fulmina non Mulciber*, at ars & vis dicendi *fabricat. Quorundam vox etiam ipsa tonitru est*; quid si cum sententia percellat? *quales illi tunc Tonantes! quales filii tonitrui!* Porro ut tela cælestia, sic Oratoria licet distinguere.

Fulmen è nubibus excussum, *Motus & effectus*, multiplex discernit, *Nam fulminum recta* quædam, obliqua alia, ut motus eorundem, etsi plerumque volatus fulminis fit obliquior, exhalatione ignea sursum enitente, quam tamen impulsus violentior fert deorsum.

At verò effectus fulminum fecit, ut Seneca distingueret inter *fulmina urentia,& terebrantia, ac discutiëtia*. Iam miros eorum effectus accipe. *Messores in Lemno* insula quercus con-

contra æstum ac imbres defenderat sed non contra fulmen. Ibi ultimùm cænabant,eratque illud lethale epulum. nam vescentibus fulmen incubuit, & ictos comedentium situ reliquit. extrà, vivos crederes; at intus consumpti. *Malè cænatur, vbi conviva fulmen: fata tunc vorantur, bibitur* cicuta.

Est & fulmen prodigio sævum, simulque mite. *Sic Martiæ Romanæ* fætus in utero fulmine afflatus periit, Matre illæsa salvaque.

Etiam Mithridatis pharetra de cælo tacta citra damnum permansit; sagittas tantùm ignis ille consumpsit. Quin & *Albertus Maior* cognomento, meminit, ossa viventis absumpta fulmine,carne integra Scipioni aurum duntaxat in viminea cista eodem igne liquatum.

Est, cum illæsis loculis argentei num-

nummi conflantur à fulmine; vaginâ incolumi gladius liquescit. *Interdum vestibus*, non item vestito corpori perniciem affert fulmen: aliud pilos exurit, non carnem aut cuticulam. *Quin & lymphaticum fulminis genus* reperio, quod illæso dolio vinum epotat; etsi aliud fulmen in dolium tantùm sævierit, vino per triduum stante, nec diffuso, ut memorat Lucretius.

Sed neque Oratorium fulmen unicum est: vi argumentorum, vocis & actionis terrore, sententiarũ acrimoniâ, rerum ac verborum pōdere & aculeo distinguitur.

§ 2.
FULMINUM ORATORIORUM GENERA & OFFICINÆ.

I. *Primum Fulminum genus Minax.*

Ful-

Fulmen hujusmodi cudunt non Brontes aut Pyracmon, sed peracres minæ, & pænarum ingruentium gravis exaggeratio. Huc spectant igitur supplicia, labes nominis; huc tristes eventus, huc graves ætatum omnium censuræ, huc longe infelicium series, huc *Nemesis & conscientiæ Phalarismus*, huc vindicta Numinis, & quidquid vel obiter memoratum exterret. Hæc ergo ad minacium fulminum officinam referuntur. Atque hinc illa ducuntur in Tricongij nepotes fulmina rythmo liberiori evibrata.

Bibes fluenta sulphure, &
Plumbo liquentì plena!
Quæ raveo fremunt murmure,
Virus fundente venâ
Bibes, & imis fecibus
Prolues ora vivus:
His fauces tinget haustibus

He

Ille æternum vivus!
Bibes, & adhuc arida
Fauces aduret sitis!
Novum te prement livida
Tantalum stagna Ditis.

Ex eadem officina est illud in avaros Fulmen.

In alienam involas
Rapax Harpyia penum?
Erit, cùm & quæ patriæ
Sors tibi gazæ dedit,
Ridente cælo evomes
Et suffocante Pluto
Effundet minax Iupiter
Pharetram telis gravem:
Addet morsuram graviter
Iecur Prometheî avem!
Torrebit orci igneus
In pœnas vigil focus eris.

Secundum Fulmen Oratorium Sarcasticum.

Fulmi-

Fulminis ad instar erunt verba & acres sententiæ, plena fellis bilisque Oratio citra minarum terrorem, Proverbia amara; acerbæ appellationes & scommata, dicta illusoria & probrosa. Passim talia cuduntur fulmina, *nec Vulcani operâ vel Sterope egent. Furor & ira pro Ætna & tonitruum incude*: audies hæc indies inter litigia.

Etiam Poëtæ sic tonant. sic Sarbievius in Herodem invehitur.

Devota sacræ progenies domûs,
Fatale monstrũ parentũ! seu Libyssa
Marmaricis lea pavit antris,
Seu te maligno sidere degener
Pardus maritâ tygride prodidit,
Furoris hæredem paterni
Seu belluosis fluctibus exspuit
Irata tempestas nocentem
Alitibusque ferisque prædam:

 Tu

Tuo severas pectore marmora (24.
Duxere venas &c. Lyr: 1.2. Od.
Non impari bile detonat Venusinus in arborem, cujus casu pænè oppressus:

Ille & nefasto te posuit die,
Quicunq; primùm sacrilegâ manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem opprobriumq; pagi:
Illum & parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, & penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colchica,
Et quidquid usquam cōcipitur nefas,
Tractavit. agro qui statuit meo
Te triste lignum, te caducum
In Domini caput immerentis &c.

Tertium Fulmen Oratoriū
Probrosæ analogiæ.

Feriunt velut fulmen & comparationes odiosæ, delusoria similitudo,

tudo, postpositio vel prælatio probrosa. Sic illud impuro dictum: *ô effrons Veneris Adonidisq; nepos, Ægysto impudentior &c.* Sic superbo *Quis mentem hanc cucurbitæ instar distendit tumor? Quid Tereū cristam erigis?* Sic bilioso: *Plus in te Afræ tygridis exhibes, quando furis &c.*

Quartum Fulmen Oratorium, ex quibusdam Figuris ácrioribus.

Sumitur ex officina Rhetorum, nempe quædam figuræ per quam sunt accommodæ Fulminatrici facundiæ; ut est Execratio, Imprecatio Diræ, Ironia mordax: his adde ominā tristia, vota inimica, væ intentatum. Denique huc attinet Interrogatio instandi acriùs : item longior facti exaggeratio & exprobratio. Nam ipsa mora tunc ene-

cat, fulmenq; est longa illa Oratio, *simile tormentis Claudii Cæsaris, qui mori addictos mori citò vetuit*, lentâ lanienâ excruciatos *ita ferire iubens vt mori se sentirent.*

Illud adijcio, quòd hujusmodi fulmina non exterreant, si desit dicendi acrimonia, velut *tonitru satelles fulminis*: si flaccescat Oratio; aut quamvis ignem spiret in pagina, frigescat in modo dicendi agendiq; aut, cùm fulmen sit, velut pluma excutiatur.

Nihilominus quædam leniùs dicuntur, & acriùs quãdoq; feriunt. Sic illud: *Menecrates Regi sanam mentem.* Iam exempla accipe.

§ 5.
ELOCUTIO FULMIMATRIX.

Hactenus ars & doctrina fulminum, ipsa iam fulmina sequuntur.

I.

1. *Fulmen in armorum Auctorem.*

Arma, arma in Auctorem ârmorum! hebetet in se tela, quæ reperit! Fruatur inventis, *nec Perillus tantùm suum doceat mugire iuvencum.* Meruit primus experiri aciem, quam ferro dedit, ipse ferreus. *Meliùs ferrum fuit, antequam per eum igni emollesceret: duriùs est, postquam sic cereum effecit labor improbus*, & in arma feralia ductile. Eheu! erudijt nefarius hic telorum faber, *erudiit ferrum in nostra vulnera* & cruentas neces! *nec à securibus iam ulla securitas, nec à telis tutela.* Nihil tam est, quod non invadat *stricti ensis ira! non iam omnis in ferro salus*, sed omne potiùs à ferro exitium, quod nos punctim cæsimque conficit!

Dispereat, & omnia unus excipiat fulmina, quæ cudit *novus hic terrarum Mulciber*, tot malorum parens. Illi duella, illi cruentas acies, illi innocentum funera orbis debet, ab illo sicariorum instructa manus, & *mors in fata eruditior! Pereat per quē tot pereunt.*

2. In Auctorem Sclopi.

Didicit jam à Vesaniore *Salmoneo* tonare tellus, didicit ex arte fulminare, *veluti fulmina non essent, nisi nova furor conderet.* Aucti ergo jam *Tonantes auctis in terra tonitruis*; quasi ad terrorem cœlestia non sufficerent. Atrox ingenium, cui placuit ruinas tam corporum, quàm murorum momento perficere. Meruit par exitium alter hic Salmoneus, cui malè cessit tonitruum imitatrix

moles

moles. Nemo aliud precari queat *Tonanti tam nefasto*, qui primus fragore, tonitru mentitus, nubiumq; infaustum murmur auxit, mortalium funera tam ferali commento, dignus qui primo id sibi fatale expertus, caderet primum funus. *Plūbum aliàs plumbum nūc ferale telum*, & pila fatalis nesciit volare, donec illi alas fanaticus illius furor affigeret. Sat nativi ponderis tam gravi metallo, sed nunc sua minori mole opprimit. *nec illi aliud in meta est, nisi humana, vel vrbium strages.* Malè me habet, quòd Sclopum tuetur Puteanus; *aliter ab ictu sapuisset.* Non facilè quis defenderit, contra quem sese vix cautus præmuniat. &c.

3. In Hastæ Auctorem.

Nec hasta auctorem vindicet. *Par est illum in metam* eidem deposce

re.

re. *Sub hastam ire meruit primus*, & pila minantia pilis experiri. Nullũ feralius pridem *telum, quod in præcordia collimat!* audax nimium, quod sic rimetur viscera, & vitæ regiam invadat. *Malè ergo sit hastæ; peius Auctori.*

4. *In Bertholdum Nigrum in pulveris pyrii inventorem Anno 1380.*

Periisti Bertholde; nec superstitem te vellet tuum facinus. Pulveris igniti primus tu auctor, quo terras velut, *novus earum Phaeton* accendisti. *Fuit iam orbis funerum satur*, tellusque defossis tot cadaveribus; tu *in cumulum fatorum pulverem erudisti, dignus hâc ipsâ sepulchrali pyrâ.* Usque adeò per te aliter terra edocta ignescere, *terrarum bustuarie!* parum

parum illi erat Ætnam intus alere, & Vesuvio de seipsa dare pabulum, in viciniæ perniciem nisi tu sulphur & nitrum in novos & *exitiales ignes* ab illa deposceres. hinc tu *artificiosos commentus ignes*, hoc est rarum & illustre quiddam, sed *quod te Phœnicem vnum, in rogum fatalem exigeret.* Nec enim aliud meruisti tot novorum funerum, nec unius ruinæ auctor. Nigro tibi cognomen; nam candido haud notandũ, calculo quod terris tam fatale, *nigro suffigi theta dignius. &c.*

5. *In Pulveris pyrii, ejusq; Muti Inventorem, quem citat Cardanus.*

Graviùs in te tonandum post jacta in Bertholdum fulmina, quisquis mutum pulverem primus flammis animasti. Sat injuriæ cladiumque à so-

à sonoro, tot funerum fæcundo, *plus à subdolo igne ac pulvere.* Prior ille Bertholdi noxias gerit flammas *sed palàm nocet*; tuus hic *tacitus invasor est*, & subdolà arte perniciem molitur, & affert: *ille veluti latro publicus*, tuus furtivo more agit ac perimit. At si nulli unquam; nec tibi fraus patrocinari debet, contra quam nulla sit cautio, & in tuto periculum.

Fata ergo in te omnia & inopinum funus, Perniciosissime Iaculator. Nec aliter te, nisi incautum opprimat, & subità clade pares injurias reponat. Quod enim fatorum genus meruit tam abditus nocendi & enecandi modus? *Sic occide, sic occumbe*, qui tam funestus alijs fata clàm accersis. *Dolo fatalem dolum elue &c.*

II.

II.

Fulmen in otium.

Apage, mollis desidia: ex urbibus, e regnis terrisque exesto.

Pestis es animorum, honesti labes; exula. *Flagitia didicit te magistrâ, quisquis nescit.* Nihil bonæ frugis, nil opis in commune. Nil operum, quæ laudem ferant; ubi locum fixisti: exesse te jubeo, ac virtutis amor imperat. Tibi uni scelerum origo, tibi profligatus pudor, tibi prostrata innocentia, tibi libidinis probra, tibi virtutum exitia, tibi fortium enervatæ vires, tibi urbium interitus debetur. Hostis est imperiorum, qui te ferat. Vix ulla præ te fæcundior malorũ lues! nulla sic omnium legibus proscribenda, nisi contagia fædiora gliscere velint, O si te nulla ætas vel

vel locus ferat! ô si pulcherrima operum undique te proscribant! *Exula, ac æternùm exul interi*, labes ætatum unica, scopule virtutis, fomes scelerum.

III.

Fulmen in Scelestum.

Adhucné effrenis licentia? adhuc te effrons libido in præceps scelerũ agit? Vivis adhuc tui tuorumque opprobrium,& horas flagitijs incestas? At non semper tibi inter fæda vel luxum vita effluet, aut *ludicra diu deliniens*, quin brevi hæc in lanienam tibi, Avernale monstrum abeant. Perhorresce in duram Nemesim non cunctaturum Iudicem; & adhuc metue plùs cunctantem. *diu gravida nubes damnosius quoddam parit*. Aderit Adrastææ Nemesis ministra Erynnis, aderit vindex flam-

flamma, quæ eadem luce & scrutetur impios & comburat. Mors ipsa absorptos demum evomet, ut resorbeat; tuque perennem illi offam dabis: &c.

Diræ seu Fulmen in primum modulantium Choragum ex Thesauro.

Malè tibi sit, qui dulci peste afficere aures, animos inficere primus docuisti. Per te inter citharæ fides libido infida, eodem arcu & *chordas, & corda ferit*. Vah ingrate Pastor, qui greges in citharæ equuleo mortuos torques, *& inter tormenta canere iubes*. Carebis funebri luctu, lætitiæ auctor; & qui flebili sæculo non flevisti, extincto ridebêre.

Ful-

Fulmen in Cham filium Noe ex eodem.

Voveo te tuis manibus, Navale mancipium, Chame. Apage in arcam illam, dignior ferarum conviva, quàm hominum! Quanquam fœdior nulla bellua ex natante stabulo illo prodiit. nam cum illæ inclusæ castiùs degerent, tu ipso in salo salax fuisti.

Furiæ te omnes, insolentissime puer, nova purgati orbis macula, & unicum Patris ludibrium! Utinam oculis ac linguâ caruisses, in utroque nimiùm reus! Nemo te dicto protegat, nemo de te taceat in tuum dedecus. Semper tibi in nequitia cõstitisti: *ter si diluvio mergaris, ter emergis impurior. Vt vitia sunt, dum homines*; sic tu nunquam bonæ frugis, dum vivis &c.

Diræ

Diræ in hæreses.

Exarescite tandem *errorum fontes ex Acheronte deducti.* Utinam à prima scaturigine nullos duxissetis rivulos, ex quibus *non vnus derivatur ad stagna Erebi aquæ ductus!* Utinam tunc primùm hæc lethalis aruisset scatebra, cum in animorum regnorumque perniciem fluere cæpisset! *Ipsa hinc hauriuntur venena, merum Cocyti virus bibitur*; imò, quia fontes hi exundant in flumina, naufragio tot populos absorbent. &c.

§ 4.
FULMINATRIX ELOQUENTIA IN REFUTATIONE ACRIORI, CUM INVECTIVA.

In hujusmodi argumento ipsa dicentis indignatio fulmina ministrat; cujus exemplum adijcio.

I.

I.

Invectiva in Licinium Cæsarem,

Cui literæ, virus ac pestis Reipublicæ sunt visæ.

Ergone virus tibi literæ, Licini? ergo Reipublicæ pestis ac exitium? *Vecors sententia*, nec Principe aut homine digna! Quid aliud Caudex, si loquendi munere potiretur, diceret? Hoc ipsum est virus, quod primus in literas evomuisti! Nihil hoc dicto virulentius, quo tantam doctrinis pestem per summum odium afflas, quantam ruditati nolis. Sic *livor alienum decus rodit, quo caret!* Serò *desipere orbem malles, cùm tam latè sapuit* in ætatum urbiumq; laudem. Certè ideò *malles, quòd ipse desipis*, & idcirco in alijs horres pulcherrimum animi decus, *vt speculum Thersites*. Sed frustra sic insanis, frustra in literas debaccharis; dulces terris esse haud desinent, etsi tuo palato minus sano desipiant. *Fragrat & rosæ aliis, etsi Sabellico sui graveoleant*. Quid ergo? nolis quẽquam hominum à brutis ratione, à rudibus sapientià discerni? *an potiùs eligas, vt Matres deinceps non liberos, sed asinos pariant*? an florem ætatis primævum ad inertiam & otium condemnes? *Diræ in te omnes, qui sic purpuram delirio deformas, & insipientiæ regna condis*? Aversa id aure sæcula, aversà scholæ semper audient, simulque fastis temporum te inseri volent, ut *sæculorum odia feras quæ in literaturam accendisti*. Quanquam quid tibi succenseant sæcula, cùm *sanius dictum à Vesano capite sperari vix posset? Mentis vitio dicta*

dicta consonant; nec Chorœbus aut fatuitas fundit oracula. Literas odit, qui nihil dignum literis gerit; at tu vel maximè, cui nec virtus vitiis est potior; & sic vivis penitus, ut sapis. *Quid ergo erit ruditas, si doctrina est lues imperii?* quid erit salubre, si virulentum quid gerit sapientia? O excors effatum, quod tamen ut vilescat, *sufficit, illius authorem nosse!* damnat etenim, quisquis audiit hoc Licinio visum; eò quod *quædam ab auctore pondus accipiant*, aut amittãt. Potior mihi sensus Augusti, quàm tuus, quem literæ coluerunt & Roma togata: Potior *Iulii Cæsaris*, cui *præ manibus semper liber & pugio*: potior Alexandri, cui Homerus semper sub pulvino; potior universorum sententia, qui literas amant, quas unus odisti. Quid contra te Athenas bonarum artium inventrices? quid Græciæ Latijque Sapientes? quid terrarum exedras armem & lycêa? Cave tibi ab his, *cave & à Iovis fulmine, è cuius cerebro prognata Pallas, tibi tam invisa &c.*

II.

Acrior Lucani Refutatio cuius est illud carmen.

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Id verò miles audiat, & scomma tam insolens ferat? vide, Lucane, in quem calamum distringas! Ætatũ omnium legiones in te provocas, & *ferrũ dicto exacuis* in tuũ caput. Cave inermis vates, a tot Heroum manu, *quos carmine lacessis. Multos per timescat, qui multos temerè ferit.* Timeat secum tibi tuus *Helicon suo non sat tutus Apolline* ac Musis imbelli-

bus: *Mars bellis potior*, victorijs assuetum Numen, *quod tu cum Apolline committis, & inter Deos accendis prælia.* An enim Mars arma non corripiat, cui labem illam in Pharsalide appinxisti? Nulla, inquis, fides pietasque viris, qui castra sequuntur! ergo fides fluctuat, quam vitæ dispendio miles asserit? is fidē tibi exuit, qui militari Sacramento eandem firmat atque communit? Dicto potiùs tuo nulla fides, quam probro insolenti deteris! At verò an adhuc ille impius tibi, qui incolumitatem patriæ suo interitu, vigilijs securitatem, tranquilla pacis otia præliari discrimine parat? sint verò, in quos hæc carminis labes cadat; adhuc tamen injurium est carmen, quod nullum ab illa eximat. *male vniversi plectuntur, ubi aliqui delinquunt. Luat piaculum, qui con-*

conscivit. at plures in castris ejus noxæ vacui, quibus sua fides & pietas constat. Quod si ætatis tuæ militiam exagitas, adhuc in omnium ætates delinquis, qni nullam carmine distinguas; Imò nec Romana id disciplina, adeòque nec ætas tua tulit, quod opprobras; vitiumq; illud carminis potitus est vel tuum, quod castris immeritò affingis. *In focum & flammas eat tua Pharsalis,* in qua sic calore Poetico efferbueras in insontes &c.

COROLLARIUM:
Quænám Fulmen non impetat?

Refert nôsse, ubi fulmines. nam *quædam fulmen non merentur, alia non timent.* vani proinde tonitrus essent qui ignem illum è nubibus casso terrore excuterent. Recenseo, quæ fulmini haud obnoxia.

Inprimis *fulmina non timet laurus.* hinc Tiberius tonante cælo lauru coronatus contra fulminum minas metumque.

Nec Aquilam exterret fulmen. Pernicitati alitis id quidam tribuunt, qua se tempestati subducit Nescio tamen, an hæc pernicitas *sit fulminis ocyor alis*, ut illud volatu aquila prævertat.

Inter immunes à fulmine, *vitulũ marinum* adhuc repone. Asserit hanc vim Palatiorum fides, & augusta Nomina nam nubium fragori pellem hujus vituli opposuit Augustus, quam pro toga palmata tunc gessit, pulchrior sibi tutiorque tunc visus, quàm *in exuviis leonis Hercules.* Idem Severo Imperatori contra cæli murmura minasque scutũ, vituli corio lecticam texit, quo se contra fulmen protegeret.

Quin & lapidum hæc gloria. Ætites lapis è nido aquilæ petitur, qui fulmen fugat. *Eadem vis* in ignem cæli trisulcum est in hyacintho. *Sic gemmis & fulmina parcunt!* Imò Ceraunia gemma inter cæli fragores & tonitrua gignitur, nedum illa paveat. hoc illa epigraphe indicat: *Cœlo concepta severo.*

Adhuc ficulnea de cælo haud tangitur, quod in amarum arboris succum rejicit Cælius Rhodiginus.

Adde his ex Claudiano:

Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis:
Nec parvi frutices iram meruêre Tonantis:
Ingentes quercus, annosas fulminat (ornos.

Illud pænè prodigio par, quòd Mithridates bis fulmine tactus, nec tamen damnum ab ictu tulit. *Mirũ fulmen, quod ferit, nec perimit!*

Hinc & Eloquentia fulminatrix colliget, nec sibi semper distringenda fulmina, ubi vel incongrua, vel importuna, vel ubi nullo exitu vibrantur. Sunt quidam & ad hæc tonitrua surdi, & *perinde illis est plumam, ac fulmen intentare. quò ergo ibi Hercules furens*, vel fulgur illud cælesti simile! quò stylus, qui non tam stylus sit, quàm furor?

SPECIMEN X.

Admirabilis Eloquentiæ

ELOQUENTIA SATYRICA

N*Ec Satyra ab Oratoriis aliena.* vide Euphormionem Barclaji, vel Iconem animorum: vide Critica quorundam Politica; & nihil in eorum Oratione Persio aut Iuvena-

li geminum non agnosces Si hominum ingenium spectes sæpè alienis obliquum; nil hoc dicendi genere usitatiùs, & *difficultatem usus abstulit*. Cæterum sese & modum tenere, non perinde est.

§ 1.

COMMUNIOR SATYRÆ AUCTOR GEMINUS.

Nil hic de vulgatis Satyræ Scriptoribus; sed ignotos inquirimus. Quare

Duplex *Satyræ auctor. inprimis, sibi quisque; aut certè Momus.* Nam *vt suæ quisque fortunæ faber, ita famæ. Prout acta sunt, sic famæ obiacent.* Idem hic cuique, *quod Mario*, contingit; qui gladio cæsus, quem ipse cuderat, dictumque illi sub ictu. *Hic est gladius, quem fecisti.* Nullius ergo calamo succenseat, si egit quis

tali calamo digna. Ipse pennam scripturo ingerit, qui culpa nomen & animum ultro contaminat. imò *ipse sibi Satyram pangit, qui digna Persio vel bile Venusini agit. Si Satyrico indignatur prius debuit sibi. Non priùs Satyræ emergunt, quàm vitia*; quibus in taxandis nulla jam injuria post famam facinoris. Et juvat sic saltem plectere flagitia, si pænam aliter non ferant, quam debent: juvat sic temporum labes detergere aut minuere; quæ gliscerent impunitæ; at si taxantur, pudor & famæ vulnus ab ijs avocat. Hactenus primus auctor Satyræ. *Cessent ergo flagitia, cessabunt Satyræ.*

Momus etiam aliquando hoc dicendi vel scribendi genus arripit. Sic enim est quorundam ingenium, ut alienis infixi, eadem perperam sugillent. *eò scriptorem agit*

agit vel livor, vel malevolentia, quam stylus profert vel nocendi cupiditas. Hinc quædam promunt, quæ læsa veritas neget, aut sola factum adstruat in malevolis crebra suspicio Sed Momo Satyris interdico, utpote intemperantis linguæ & calami, qui *tam in aliquo crimē non reperit, facit, affingitque*. Veris inhærent Satyræ, nec in illis invidiæ stylus relucet, sed publici honesti amor, ad quod revocat, quos novit eundem omnino exuisse.

§ 2.

SATYRICI à QUIBUSDAM DISTINCTIO, & VITIA.

Satyram, si non à Momo profecta, fas scribere. Hanc tamen ab Historia vel famoso carmine sunt, quæ dirimant; sunt quæ illis permisceant. Permiscet argumenti nul-

nullum quandoque discrimen. nam & Historicus dilucidè narrat, quod non sine aculeo taxat Satyra carpitque; & famæ vulnus infligit talis oratio, non minùs, quàm *carmen illud, quo pulchrum atteritur & fuscatur nomen*. Interest tamen hæc inter, quòd in Satyra bilis è calamo funditur, & sannis vitia plectit, quæ Historiæ ratio tantùm in notitiam promere jubet. Nec tamen injuria famæ sic Satyra, ut est injurius sæpe famosus scriptor; qui *nec tacenda tacet*, sed perinde habet *operta scelerum, atque aperta* in dedecus alienum effundere.

Satyrici jam vitia nosce, ut evites. *Inprimis abstrusa dicendi ratio*, & quædam involucra, quibus res & nomina teguntur, ad ænigma videntur releganda. Talis Oratio nil in Scelestis corrigit, qui hæc dum

dum legunt. assequi haud possint. Quod si aliquod siparium obtendis, tale sit, quod facilè acumen ingenij removeat. *Noctes etiam Atticas Luna, aliaque sidera illustrent.*

Plus criminis, si *nimiùm fœdis chartam* aut linguam *temeres* idque eò magis si fama nesciat, quæ jus latebræ talibus negat. nam tunc non Satyra est, sed famosum carmen & libellus. *Ad Paphum & Lupercos talia, nec paginam incestent.* Vapulat hinc Tranquillus, quòd Probra Cæsarum, nullo discrimine sæculis pandat, quibus hinc corrũptela morum sæpiùs timenda. *Meliùs aliqua silentio plectunrur, & calamus pungit, quæ expungit.*

Adhæc putidum te in Satyricis nolim. Is esses, *si per minuta plaustrum deducas*, aut eandem cramben sæpè recoquas ac ingeras. *Nec vitia*

quæ remedium tulerunt, hic locum habent. nam *talia fontem non corrigunt iam usque in fontem*, ſed contra fas fama actis recuperata deſpoliat.

Nec illud ferendum in Satyra, ſi cretizet, & in calumniæ metas mēdaci ſtylo immigret. Hic non Satyricus, ſed impoſtor, *& acriori Satyra eget ipſe*. Eodem refer, ſi certis admiſceat incerta, & conjecturam in evidens argumentum trahat

Item, ſi odio vel gratiæ obnoxius ſcribat. nam *affectuum pondus in obliqua ſæpiùs ſtylum trahit*. Habes ſcopulos, hos devita in hoc Scyllæo.

§ 3.

NATURA, & LEGES SATYRICI ALIÆ

Satyricus, eſt quidam Cato *vel Ariſtarchus*: cenſorium munus in alios gerit aut uſurpat: *nulli palpo, omnibus Cato*: *tacet* perſæpe *nomina, vitiis infeſtus*: *ſuum verò nomen diſſimulat in libertatis anſam*; non vacuus laudis, ſi ſannis & libero charactere ueluti Sale utatur, ne ſic ſæcula ſe corrumpi ſinant; vel ut conſcios noxæ ad bonam frugem revocet.

Leges Satyræ hæ ſunto. Styli acrimonia, aculei ſermonis, libertas dicendi cenſoria: ſtylus ſcelerum vindex: non ſacra, non Principum adyta, non viles præterit caſas, etſi inprimis duobus moderatior, *faſtigiis ſe nonnihil acclinet*, &, *ne viloſcat*, in quibuſdam *aræ & purpuræ parcat*. Item corruptelam morum, urbanitatis impoſturam, perſonatas virtutes, luxum & avaritiam, pſeudapolitiam, gentium ingenia Satyra verſat, ac, ut ait ille, *ſæpè mordaci perfundit aceto*.

Modum non eundem ſemper Satyra tenet nam quandoque apertè vitia inſectatur: aliquando ſub allegoriæ obtentu: nec apologo vel commentitia hiſtoria utitur, ut illud de cornicula furtivis ornata orbataque coloribus: nunc hiſtoriam prout res perperàm geſta, pertexit, ſed nomina immutat, non crimina; vel *nomina anagrammatiſmo occultat*: nuc regna vel ditiones fingit, in quas *ſceleris auctores trāsfert*, ne videatur domeſtica perſequi. Exempla & ideæ Satyrici ſtyli, præter Poetarum Satyras, non rarò occurrunt; quòd pronior in hunc ſtylum ſit Orbis, aliquas ſubijcio.

§ 4.

§ 4.

ALIQUA SATYRICA ORATORIE,

Ubi Satyra aperta

Oratoriè, inquam; nam Poëſis Satyrica ſat ideæ habet in Iuvenali, Perſio & Horatio, & recentiùs in Iacobo Maſeno. Dixi præterea Satyra aperta; nam non aperta, & quæ clave eget idem habet in pleriſque etiam famæ alienæ injurijs, niſi quod nomen occultent, quod proſcindunt, alia nomina induunt, & pleraque apologi vel parabolæ inſtar, ac allegoricè proferunt.

1, *Satyricus in luxum ſæculi labentis.*

Non Satyram, ſed multiplex *fulmen meruit* hujus ſæculi luxus. Quid enim

nim calamus aut lingua vindex in tot piacula? *Non equuleo agendum, vbi culeo crimen eget: nec pennâ ultrice, vbi pæna gravior deposcitur,* Et verò mitiùs nihil ferit, quàm quo etiam insontes possint. at calamus & in hos distringitur: *lingua vel innocentiam lacessit. Male communi aut miti supplicio plectitur sonticum crimen.* Si tamen *fulmina cessant, vel calami tonent: luxus in meta tonitruum esto.* Quid aut primum? quid ultimum persequar? Latè abijt hoc malum, nec ætatem ullam vel locũ præterit *Statim terras invasit cum rerum copia.* Ubi *fortunæ munera; priùs hæc effusa, quàm pænè accepta:* ubi hominum vestigia; raro luxus hæc non temeravit. Crescit vitij labes ex causa, quæ aut fastus est, aut ingluvies. quibus si addas, in quos hi emanent fortunæ rivuli; prodigos

gos pænè damnasti. Lactant vitiũ parasiti, dum velut munificentiam celebrant, ubi effusio inconsulta ijdem laude subdola supplent, quod ærario palàm detrahunt, & *assentatio illis pro patrimonio.* Sed laudem nemo hâc jactura emat, quam subit. Sic *venalis gaza & conscientia.* Epulas adhuc cõsidera. Regnorum pretia escariæ lances appendunt; *tantique discus, quanti fiscus.* Vile *obsonium quid tantùm meruit, vt auro incubet, fluctuet in argento?* *Ditiùs* reclinatur *in mensis pecus cæsa, vel ferinæ tergora;* quàm Principum ossa, *vel piacularia sacra.* At quid interest, aurum, an testa cramben aut atagenem offerant?

Quò verò hæc patinarum series? *tantisne copiis expugnanda fames?* imò adhuc tot cibariæ lances ventrem non infarciunt? nec huic satis

tis, quantum belluæ! atqui *meliùs mensas condit parsimonia; & salubriùs cœnavit, qui frugaliùs. O convivia, fortunarum Charybdis, patrimonii scopulus?* Iam non cibus quæritur, sed cibi pretium; *meliusque putatur, quod cariùs vel à Ponto usque petitum.* Fabula jam Heliogabali symposia, patina Maximini aut Vitellij Patinarij Principis, Luculli cænæ vel epotus unio Antonij: ætatem hanc altiùs luxus extulit. *Gemunt sub pondere mensæ*, quas tot missuum intacta gravat acies; *nec iam convivæ, sed oculi pascuntur!* Frustra es, si incuses. Sic usus obtinuit, nec aliter vult esse etiam exhaustæ gazæ inopia, scilicet in mutuum intenta, & alieno ære jam gravior. Ad vestium fastum transeo. Auro sutiles, textiles argẽto togas hic induit, ut *luce hâc auram accendat. Provincias*

cias in dorso gerit, & collo appensam in monilibus fortunam. *Seres non sufficiunt & bombycum labor ad tot induvias*: nec Oriens gemmas uberius profert, *quàm cervices gerant.*

Et tamen apud hos *sæpè culina tepet*, ubi tota in synthesi nitet tumetque opulentia, *& sæpè plumbea mens sic auro tegitur*, quæ plus corpori, quàm animo impendit. Taceo profusa in ganeas & virtutis propudium æraria. Tale enim mercimonium est, *vbi sub hasta, vel auro venalis pudor.* At verò quid tot lateris comites? *Non in publicum quosdam diceres, sed ad bella progredi: non tam satellitium ducunt, quàm exercitum*: miseri, qui cùm alias oderint, has *aulæ tineas ament. Comitatum quidem sæpè imperat Maiestas, aut etiam, vt cæco vel ægro, necessitas*; sed arrogantia plus sibi in leges sumptu-

ptuarias vult licere, quæ *mavult comitatior, quam modestior apparere.* Nec Actæones hoc loco persequar canum nutritios; *apud quos adhuc Catulorum familia.* Venaticæ animæ, *& quibus campus aut silvæ gloriam alunt.* Utinam vel tantum profunderent in ergastula miserorum, quantum in canum venaticorum catabula! &c.

Hic obiter addo de luxu Getæ, qui tot fercula mensæ inferri jussit ordine alphabetico, quot excogitare poterat ad singulas literas, ut anseres, anates, atagenes, apros. Caligula triennio 22 milliones dilapidavit.

II.

Satyra Noëtico sæculo.

Hæc illa fuit ætas - - *Noeam digna videre ratem.* Vitijs tunc ætatem homi-

homines anteverterant; *nondum adulti, iam adulteri.* Non erant consultiore ictu mittenda *fulmina; quâcunque caderent, in scelestum casura.* Denique *sic obsorduerat tellus, vt elui nequiret nisi diluvio.* Vide quanta fuerit ætatis illius labes! totam orbis pietatem trabs una sustinuit, aut casa brevior! reliquæ cum hominibus perierunt feræ, in quorum ingenia transierant homines! Unus in corrupto sæculo integer Noe; *vt scias magna inter vitia magnæ virtuti locum esse.*

Giganteo sæculo Satyricus.

Et bonis stirpibus stolones agnascuntur: & magnis Corporibus scelera nectuntur Gigantêa. Creverant Titanum corpora animis majora: ut nempe *pessima citò adolescunt;* proinde

inde crevit ſpatii vaſtioris neceſſitas & imperij fames, finitimique vocabuli auctoritate *Ius & vis pro eodem accepta!* Tunc orti legislatores, cum mortuæ leges! *tunc ſcripta iura, cùm proſcripta iuſtitia;* eòq; inſolentiæ ventum, *vt gloriosiùs haberetur, cælum aggredi, quàm mereri; ac Deum adoriri, quàm adorare.* Obſtitit cœlum cæptis audacibus, & linguas tanti ſceleris miniſtras mul tavit, cùm mutavit. *Solvitur enim mala Reſpublica, cùm dividitur.* Nec magnæ infamiæ debebatur æternitas; adeoque *proſpera hæc viderentur ſcelera, niſi perirent.* Optimo peſſimoque ſæculo *certabant paria virtutibus vitia*: modeſtiam procacitas, ſacrilegium ſacrificia coæquabant. Hominem inter homines nullu[m] inveniſſes; ſed vel Angelos, vel belluas: *aut arâ dignos, aut harâ!* adeò mor-

mortale genus vel extremos Numinis amores, vel extrema odia promeritum, voluptati & mærori parem materiam dabat!

I I I.

Alia Satyrica promiſcuè,

Ex faſtis Cæſarum hæc promuntur. De Claudio illud: *Ante imperium ſine fama fuit, quia latuit: in imperio infamis, quia non latuit; clarior futurus, ſi fuiſſet obſcurior.* Calamo feliciùs, quam gladio uſus, avorum geſta ſuo calamo teſtatus, *ſua reliquit poſteris deteſtanda. Triumphavit ſemel, pugnavit nunquam. Omnia habuit in imperio præter imperium.*

De Galba illud Satyricum: Neroni ſucceſſit, *fero iuvenì ſenex furens. non tyrannum amiſit Roma, ſed mutavit.* Paſiphaës filius credi voluit; & fidem fecerat, niſi quod ex Paſi-

Pasiphae tantùm prodiit Minotaurus, seu Semiferus, hic autem totus omnino ferus. Auri scylla, gemmarum Magnes. *Durus aliis, mollior sibi* timorem exegit, odium elicuit, utroque dignus.

Tribus libertis gerendum sceptrum dedit, *ne pauciores Romam quàm Avernum affligerent Furiæ*

De Vitellio illud Satyricè. Ætas virilis notior, non melior. *Aurum detraxit templis, quod prostibulis daret*. Perpetuò *Consul, perpetuò inconsultus, fami, non famæ consuluit*; Præses scelestorum, præsidium scelerũ. Denique *imperium citò reperit, citiùs amisit*. nempe *id, mali etiam adeunt boni tantùm tenent*

Brevius illud de Domitiano: In theatro bellator, in campo spectator: Hostis muscis, hostibus muscæ fuit.

SPECIMEN XI.

Admirabilis Eloquentiæ.

ELOQUENTIA PANTOMIMA.

IN aliena *intendit* Mimus, *in omnia Pantomimus*: intendit autem, ut exprimat, seu naturæ, seu *artis* sit *quidam Simius*. Qui bellè exprimit, *Roscius in scena dicitur*, quem in histrionia primas obtinuisse constat. Nec Orator non Pantomimus, dũ probatissimæ Authorum ideæ ita dictionem conformat, ut *nec ovum ovo, nec nummus similior nummo* videatur. Triplicem Eloquentiam Pantomimam statuo: quoad stylum, vel quoad affectus; vel quoad rei naturam, quam stylo adumbrat, si non exprimit.

§ 1.
ELOQUENTIA PANTOMIMA IN STYLO.

Illam hîc intelligo, quæ ſtyli cujuſvis belliſſima imitatrix, quem in probatis Auctoribus nemo non probat. *Sic Famianus Strada* in Proluſionibus Pantomimam Poëſim Heroicam ſibi non defuiſſe luculenter demonſtrat, feliciter in diverſis argumentis Papinium, Naſonem, Claudianum, Lucretium, Lucanũ, Maronem exprimens. Sed quem referre ſtylo libet, legendus antea, Nam *idea menti imprimi poſtulat, antequam exprimas.* Neſcio an quiſquam feliciùs Tullij ſtylum imitatus Guiniſio, dum hiſtoriam de exercitu Divæ Lauretanæ ſacrilego aggreſſore è norma ejuſdem Tullij proſequitur, quam affero.

Militare facinus in Ædem Lauretanam ſtylo Tullij deſcriptum.

Proficiſcitur audaciſſimus, *ſuoque iam ſcelere ſecurus* exercitus modo militum, nunc latronum, maturatque teterrimum funeſtiſſimumque flagitium parere, quod ſatis animo ac diu parturiit, ac Magnæ ſuperũ Reginæ bellum effuſo temeritatis ſinu denuntiat; vel inde *victoriam auſpicatus imbellem* ac felicem, *quòd videt confligendum ſibi cum virgine*. Per eadem igitur veſtigia, quæ nuper Othomanicæ claſſis furor impreſſerat, Chriſtianos milites ire non pudet! & quam demum ad metam, Deus immortalis? nempe ad templum ſanctitatis, ad aram publicæ ſalutis, ad Divinitatis ærarium nefariè crudeliterque diripi-

endum, ac manibus ſacrilegis de-prædandas opes; quas iniquiſſimâ jam dudum ſpe atque animo compilarat. *Debueras, ſcelerate miles*, ea tibi ſaltem proponere, quæ poteras pænè, ſi velles, oculis ipſis aſpicere, recentia Turcarum exempla ad ſanctiſſimam Virginis ſupellectilem accedentium pænitētia majore, quàm fructu. debueras, quorum facta tam nequiter imitabaris, eorum funeſtos exitus perhorreſcere. Verùm *quos ſuæ iam faces ac furiæ ſtimulabant*, non illos veneranda loci Majeſtas abſterruit, non inſita mentibus religio retardavit, non ſceleris inauditi conſcientia, non Ducis optimi preces ac minæ, non denique Divini humanique juris auctoritas, non pæna, non metus ſocietatem hominum manipularē ferino more graſſantium à tanti fædi-

fæditate facinoris prohibuerunt. Audite prodigium memorabile, ac majus omni expectatione petitum è proximo ſaltu ſubſidium. Belluas (quid enim potuit importunius excogitari?) belluas, inquam ipſas, atque immaniſſimos belluarum lupos, eodem planè pietatis ſenſu emollitos, in quo jam homines obcalluerant, fama eſt è medijs emerſiſſe gurguſtijs nemorum, receſſibuſque ſilvarum, atque agmine veluti facto, terroribus armatos ac minis penetraſſe confeſtim inter primos amentis exercitûs exploratores, contumaces eorum atq; impios infregiſſe ſpiritus, laceraſſe ferociter aliquos, ut *omnium ſalus eſſet pæna paucorum*: conſternatos amenteſque periculo, egiſſe diſperſos ac vagos in fugam, profligaſſe, utque ſemel abſolvam, tela nequiſſimæ admi-

administra crudelitatis non retu-
disse solùm ac hebetasse, sed etiam
compressisse, revocâsse, extorsisse
de manibus barbarorum. Quan-
quam resumit animos ac redit ad
sese depressa parum ac residens, sed
non oppressa penitus atque extin-
cta crudelitas. Sed facilè se tuetur
ac vindicat ex arce præsertim sua
Imperatrix acerrima, quæ satis ipsa
per se formidolose, non alio sanè
telo quàm *nomine virginis, quo nihil
esse mitius solet*, pro suis ipsa fortu-
nis, pro religione, pro cultu, pro a-
ris ac focis, & verè pro domo sua
pugnat ac vincit. Vix enim sese de-
dit in conspectum festinantis exer-
citûs sacrosancta moles, cùm illa
sensim militaris alacritas repenti-
no veluti fulmine consternata lan-
guescere atque hebetari primò cœ-
pit: mox in terrorem evasit amen-
tia,

tia, temeritas in formidinem, in
religionem impietas: excussa deni-
que voluntas; inversa vota, hone-
stata profectio, confirmata cupidi-
tas deprædandi quidem, sed pro sup
pellctile opulenta, virtutes atque a-
nimi bona: pro gemmis & auro,
salutem ac vitam: pro numerata
pecunia, veniam criminis expedi-
tam: dicam verbo, ubi res agitur ac
domus verbi, pro sacra Virginis
dote, cor Virginis. O spectaculũ,
quo nullum augustius in terris ac
lætius! Vidisses lymphatici exerci-
tûs antesignanos, ac reliquam mi-
litum aciem procumbere certatim
in genua, simul detestari flagitium,
simul supplicium deprecari, *pœnam-
que redimere pœnitentiâ*. Madebant
pavimenta lacrymis, tecta clamo-
ribus personabant, cùm inter ge-
mitus fremitusque suspirijs inter-

 ruptos

ruptos una vox audiretur, Magnæ Virgini ſeſe ſuaque omnia devovētium. *Tantum inſidet loco Numen*, ac tanta eſt auguſtiſſimi templi vetuſtiſſimique religio, ut vi ſua duntaxat ac metu Virginis, non opis externæ præſidijs inviolatum ſemper ſanctumque perſtiterit.

Idem argumentum Stylo Taciti Lipſiivè.

Facinus dicam *lætum exitu, incæptu horridum.* Urbinas exercitus ſceleris auctor; *dux in operto* ut *quædam nomina faciliùs odiſſe, quàm noveris; ſeu pœna id ſceleris, ſic taceri; ſeu annalium mutila fides, metu vel gratiâ ſcriptoris*. Iter militi fuit per avia locorum, nec qua ductabat ſemita, ſed quò *prædæ amor, qui etiam per iniqua operum viam aperit.* Dux an præſto fuerit, compertum non habeo

habeo, certiùs abfuiſſe, *quod ſæpe audaciæ fomes cupiditati militis fuit.* Niſi militem credas à Duce ſapuiſſe, *cuius exempla auſibus probrum auferunt.* Placuit præda; & *vt in audendo ſcelus creſceret*, ſacra. Non longè quæſitus ſacrilegio locus. Ædes in conſpectum ibat, quam Chriſto obſtetricem ferunt, & *prodigiis fides aſſeritur.* Notæ loci *divitiæ, quas auget plerumq; religio, prout ſeſe fama prodigiorum protulerit. Vicit avaritia, ſceluſq; placuit.* Itur, & aræ invaduntur, *hoc vno infelices, quod avaris placerent*, apud quos nihil ſanctum, *& ſacra non tuta, ſi acceſſu pervia.* Aræ inerat Diva, quàm ædes illa pro indigena nôrat, cùm terras incoleret cum infante Deo. Major auſus, quàm ut caperet locus: nam direpta ſacra ſupellex, nudatæ auro penſili aræ, &, *quæ barbari nollent*

ausa avaritia. Silva in proximo erat: hæc feras expulit in loci vindictam. Depulsa prodigio, militũ manus; *sed metu dein vacua,* rediit *ad fœda captorum* Horror tandem perculit, *& loci maiestas, temeritatis frenum.* Damnavit ausum Pietas & *sceleris Comes pœnitentia, fletuque* seriùs *damnatum, quod actum perperam.* Mira loci illius, vulgavit fama; hoc addet, quisquis miratur; ut mirari cogunt eventa.

§ 2.

ELOQUENTIA PANTOMIMA QUOAD AFFECTUS.

Alieni etiam affectus sunt pro idea, quos in se transfert Pantomimus. Eloquentiæ idem conatus in Ethopæia, alibique. Nam Euthopæia vitæ ac morum atque affectuum alienorum sedula est imitatrix. Si,

Si, quod repræsentat, nec oculo, nec aure libavit; eos affectus ab ingenio affingit, quibus certum agitatos fuisse- quos refers; & personæ, loci temporis circumstantiæ postularent. Personam induat quam referant stylus illi conformis. Aliqua hujusmodi Pantomimæ Ethopæiæ subnectam.

Ethopæia ıma.

Quis Parisiensium sensus & affectûs inter prodigia cæsi Dionysii Areopagitæ?

O prodigia, quæ nulla viderit ætas? Vivisne etiam post fata Dionysi? an & *extincto aliquid vitæ superest,* nec mutila cervice vis motiva evanescit? Non ergo vitalem motum tibi mors abstulit? Sic *fata etiam ipsa cogis vivere,* nec, ut iter

 capes-

capeſſas, itineris duces oculos requiris? Portenta rerum! Parum eſt incedere, etiam reſectum caput manibus ſuſtentat? *ceu nefas ſit in terras cadere*, quod hâc etiam ætate ſecurim tam fortiter exceperit. At verò en ut in capitis vicem *Luna in cæſi cervicem defluit!* en ut ſidera collum id coronant! nec pulchriùs lunæ in cœlo, quàm in huiuſmodi collo. Abſit, ut *in præſtigias* id mens referat, vel *in Carmen Magicum*. Multum Stygi & piacularibus ſacris hæc tribueret, quibus nil cum tanta virtute, quam in hoc cæſo Heroe ſpectavimus. Nullus hic oculorum faſcinus, *nec ſimile quidquam patrârunt præſtigiæ. Certiùs vim cæleſtem miris intercedere*, quæ Heroem vivere poſt fata teſtentur. Sequimur pronis animis Ducem mortuum, à quo vitam me-

liorem

liorem duximus. Placet *adeo thaumaturga in Deum fides, nec pudet ſerò ab Athenis ſapere*, quæ nobis hunc Antiſtitem ſubmiſerunt &c.

Ethopæia 2da.

Affectus & Oratio Trium Orientis Regum, ad ſtellæ novæ conſpectum.

Quæ verò hæc ſubita rerum mutatio? en ut novis ignibus collucet æther, nec viſo unquam ſidere pupillam ferit! Pauciora nuper ſub Arctico cælo ſpectavimus, quam hic oſtentet dies! Nec numerus tantùm auctior facit attonitos, ſed magis *lux* adventitia *Phoſphoro major*, ſimlior ſoli. Superat ſanè minores cæli faculàs, ſeu fulgorem, ſeu molem oculis metiare! Quid quòd nec ſitus motuſque par alijs,

 quæ

quæ ſupra Lunarem Solaremque globum volvuntur? nam cæleſte id Phænomenon infra lunam viſitur, in aëre defixum? Quid ergo id prodigij? quid portenti? Tam illuſtribus indicijs grande aliquid cælum pandit, & novo terrarum Principi horoſcopum accendit! Stella hæc ignea cæli lingua eſt, quæ nati Principis cultum regnis imperat! Imus, & prævia cæli face natum inquirimus. Huc opes, huc munera, quæ deceant natales Dei cunas. *aurum* inprimis, *quod ſemper inter Regum munera* fuit. Arabia hoc metallo felix, fortunas omnes auguſto Puſioni, in auro ſubſternat. Ora Sabæa thure colat, quo ſemper colitur Numen: colat & myrrhæ lacryma vagientis Majeſtatis incunabula. Quod ſi exile id munus, ut etiam tota regni fortuna; nos ipſi inter

ter munera, ad nati cunabula *prono corpore, pronioribus animis* procumbemus. Quid verò jam itineri moram obtendat? Evoca, cæli prodromus: præit prævia fax cæleſtis: ſequimur ductricem Reges. *Ite comites, & totus animi voto Oriens. &c.*

Ethopæia 3tia.

Heraclius Divinæ Crucis baiulus.

Reſtituo tibi tuas opes, Hieroſolyma, & ſalutis pignus refero. *Vici nec viciſſe pænitet*, dum tali trophæo à Perſis redux potior. *Bis ingemueras*; cùm Deum in Crucem agi cerneres, & dum ſalutare id lignum iret in Perſidem captivum. Sed *Perſæ meliùs nôrant tractare arborem quàm tu Deum vivere voluiſti*. Gemebas igitur tam de vulnere Divino, quàm tuo, quod jactura Divini pigno-

gnoris inflixit. Sed en reddit Perſia, quod rapuerat, *rea nim ùm, quãdiu Crucis rea.* Non alius id in Golgotham poſt Deum referet, quàm Heraclius. Et jam in humeros attollo tam ſuave pondus; Sed *quæ vis ſubita greſſum retardat?* Vix humeros Sacræ ſubjeci ſarcinæ, & ad Clivi feralis radices cogor ſiſtere? *lacertos moveo, & pedum vſum am ſi*; adeoné *ligno vitali triumphalia inſtaurare* nefas? ceu *pulchrius illi fuerit ſquallere in Perſide*, quam in Golgotha rurſum fulgere? an *Cyrenæi brachia gravare malit, quàm Cæſarum colla*? Sed novi conſilia cælitum, novi ingenium viventis in carne Dei! *modeſtius id eſt, nec phaleras amat: inopia illi, ſummæ opes: inculta ruſticitas, cultus elegans.* Ergo *ite trabeæ regales*, ite aurei torques, & ſuperbæ Principum induviæ: melius

ùs throno huic Divino convenit cum vili lacernula: hanc date, & *molliùs Crux recumbet. &c.*

Ethopæia 4ta.

Affectibus plena de excidio Hieroſolymæ.

Nondum Hieroſolymæ deferbuerat cinis, cùm inſidens buſto lamentabili gemitu nonnemo conclamavit: *O Solymæ!* ô adyta! ô læti colles Sionis! Cecidit ſuperba regia, *nihil iam niſi funus & fumus!* Quò rediit excelſa templi moles, Angelorum colonia, cæli ſuburbium? Evertitur mortali manu Divinus ille labor, & nemini penetrabile limen flammæ penetrant! ubi ſacra? ubi *fontes? ignavi fontes, & naturæ obliti, ignem non extinguunt, quē culpa ſuccēdit!* Ubi menſa? ubi ara? ubi

ubi lampas solis æmula? *Tota Sion* in flammas abiit, *tota lampas*! Cui palmas feretis linteati Mystæ? Abière Angeli, Cæli Indigetes! exusta domo abiit Deus! ô avida ignis potentia; quam nobis patriam linquet, quæ velut exulem facit Deũ! Incumbit spolijs *prædatrix flamma*, quæ quidquid rapit, momento decoquit! Prô dolor! quæritur Urbs à Civibus, ab urbe Cives! Pereunt illi Principum cætus, gemmantes pueri, cana maturitas, flos Sionis! *hic hostili ferro incubuit, hic occubuit suo*! Patriæ fetum secutus, flammis exarsit. Sed heu! superstitum pejor conditio, quos instans victor præagit! gaudete sub Patriæ cineribus sepulti Cives: *magis lugendi sunt, qui vos lugent: conflagrâstis vos flammâ, illi infamiâ &c.*

4. Nio-

4. *Niobe super liberis occisis.*

Hactenus ego *tot liberorum mater*, *nunc, prô dolor! nullius*! Iacet tot pignorum exangue corpus, nec mihi *ex illis superest, nisi dolor*! Cruentus nimiûm Apollo, *qui tela hoc cruore imbuit, vno die toties parricida*! Nec Diana fratre mitior, quæ partita cum illo ferociam, *funera mihi totidem dedit, quot ego gaudia*. Eheu cara pignora periistis, *æternum Niobes funus, æternus mæror*. Non sufficit pectus in planctum, oculi in lacrymas! Dolor me conficit, & vivere non sinit: tota in lacrymis colliquesco, *obrigesco in lapidem*.

§ 3.

ELOQUENTIA PANTOMIMA IN DESCRIPTIONIBUS RERUM STYLO CEU VIVIS COLORIBUS EXPRESSARUM.

In hac re eximij ſunt. Poëtæ inprimis, qui naturæ ſimio cultu res exornant, & carmine ſic adumbrãt, *vt ars certet cum natura*. Agunt illi, quod Zeuxem egiſſe nôrunt. Uvas depinxit, ſed quas in vite natas crederes, non pictas in tabula; *fecitq; penicillus, quod natura in botro feciſſet* hinc ille avium error, quæ *ad tabulam, velut ad vitem advolitârũt*, quod *pictum à vero racemo ars diſcerni non ſineret*. At Poëſis quædam pictura eſt; hinc ad eam ſe laudem etiam illa perurget, ut rebus ſtylum accommodet, eaſque *non deteriùs calamo depingat*, ars concolor quàm fuerint

rint naturæ opificio venuſtatæ. Sic loci amænitatem Stiliconis vates depingit:

-- Sinuata tumore
Parvo planities, & mollibus edita clivis.
Creverat in collem: niveo de pumice fontes
Roſcida mobilibus lambebant gramina rivis,
Silvaque torrentes ramorum frigore ſoles
Temperat, & modico brumam ſibi vendicat æſtu.
-- illic Zephyrus madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas ſœcundo rore maritat,
Quaq; fluit, vernus ſequitur color, omnis in herbas
Turget humus:
Sanguineo ſplendore roſas, vacinia nigro
Induit, & dulci violas ferrugine pingit.
-- hîc denſo criſpata cacumine buxus
Hîc hederæ ſerpunt, hîc Pampinus induit ulmos &c.

Ad

Ad Pantomimos in descriptionibus accedunt & Historici, cum Oratoribus, dum res quascunque sub nativis pænè coloribus ob oculos ponunt, *egregii naturæ æmuli*. Sic nonnemo columbam descripsit:

Caput illi cristæ, & plumeus apex attollit: formosum frontis suggestum geminis oculorum stellis intercurrentibus roseum terminat rostrum: in pedibus mineis quini digituli, quos totidem falculæ unguium, sed innoxiæ arcuant: cætera omnia intactæ nivi simillima; color tamẽ collum versicolor imbuit. Sanè cùm in illud reverberatus Dedali solis radius recidit, omnem Parrhasij penicillum, & Timanthææ artis industriam superat: nam venustissimæ Iridis circulo vel aurea torque pari fulgoris circumamictu, luminis ingenio, cingit & coro-

nat: neque tam variegatus est aut Psittacus in penna, aut Iunonia volucris in cauda, aut Phasis Colchicus in ala, aut apis in Hybla, quàm perstrictum illud columbæ collum in Solis flamma, circa quod adverso sole, mille coloribus ludere voluit solers natura.

Vide suprà & cantum arti Musicæ liberaliùs indulgentem, & *Proteum dulcem vocis lusciniam* Oratoriè descriptam, in Thaumaturga eloquentia § 2. Certè etiam ibi natura vocis variæ in artis & lusciniæ Musurgia ad amussim exprimitur.

§ 4.
PANTOMIMÆ ELOQUENTIÆ LEGES RELIQUÆ.

Prima sit: Ideas sibi statuat selectiores. Apiculam viderit in Hybla volitantem, quæ nunc hederæ corym-

corymbos, nunc tiliæ florentis ſurculos, nunc thymi hortorumq; divitias populatur, omnes delibat flores, ab omnibus excerpit, quo alveare ditet, favos conſtruat, & *dulci nectare diſtendat.*

Secunda. Pantomimus Orator *ſit Proteus alter.* Norit alias, aliaſque induere formas, permutare affectus & ſtyli rationem, cum argumentũ poſtulat, vel ne tædium una dicendi forma progignat. Varietati ſtyli conducent tum ea, quæ in Phænice Rhetorum dicta, ubi idem argumentum deducitur tum conciſo & Laconico, tum ampliori ſtylo, tum acuto, tum erudito, tum allegorico; tum imitatio alicujus probatiſſimi Auctoris, nunc hujus, nunc illius: v. g. nunc Tullij, nunc Quintiliani, nunc Senecæ vel Taciti &c. Sed ad hanc dicendi rationem

nem accurata eorundem Auctorũ lectione opus, quæ ideam ſtyli mẽti legentis imprimat.

Tertia: In officioſis Orationibus, item in elogijs & Inſcriptionibus tum ſepulchralibus, tum alijs, Recentiorum Ideæ paſſim habẽtur. imò de his poſt alios liberaliùs dictum in Suada Civili & Phænice Rhetorum.

SPECIMEN XII.

Admirabilis Eloquentiæ.

ELOQUENTIA SIMULATRIX, MUTUATRIX, & ÆNIGMATICA.

RAriùs ſic loquitur Orator, ſed loquitur tamen, & artificio ineſt quædam gratia, quod expromere *mens congeſta iubet.*

§ 1.

ELOQUENTIA SIMULATRIX.

Mendacium nemo probet, cui amica veritas, nec vulnus conſcientiæ placet. Et tamen Eloquentiæ genus ſimulatorium, & *in ſpeciem mēdax* Sed ars eſt ſic dicere, *nec mendacium id, ſed acumen.* Nam ita veritatem diſſimulat ſeu occultat, ut advertas alio ſenſu, veris dicta congruere, quæ ſub ſpecie veri oppoſita panduntur.

I.

Artificium Simulatricis Eloquentiæ.

Orator hic ſpeciem tantùm agit, dicitque: *Furere videtur & odiſſe & hoc ipſo amat; nec odit: ſtylus eſt, ſed amoris.* Item in ſpeciem carpit, & objurgat; cùm vel maximè dilaudat: accuſat, cum vel maximè defendit. *Scenam & vultum* fingit, *ſimulat Cupreſſum, cùm Laurum implantat.*

Hoc genus dicendi tantò faciliùs feliciuſque, quantò amænius Oratorium ingenium. Iuvant illud jucundæ æquivocationes; qualis eſt tum illa de filio ſepulchrum Parentis in fruges aratro excolente: *Hoc eſt, Parentem colere:* tum illa Sarbievij de Poëtæ Carmine inſulſo in lacrymas Divæ Magdalenæ & in flammas Divæ Afræ ſcripto: *Digna fuit lacrymis Magdalis Afra focis*, id eſt carmen de illis deplorandum, ac meritò ob ineptiam flammis donandum. *Sic & illa de Calvo: Nemo tuos poterit numerare capillos, æquè ac meos.*

Iuvat idem ſcribendi genus, ſi ex dicto celebri ac pervulgato, anſam ſtyli

ſtyli ducat. Sic de quodam minore Alexandro, ad menſam ſingulos cum cibis porrectis orbes guloſiùs exſorbente dictum: *Alexander eſt vnus illi non ſufficit orbis*; Sic de fure nonnemo;

-- *Sic* inquit, *petitur cœlum: ſic itur ad aſtra.*

Aſcendens furcam, fur Labienus ait.

Iuvant inſuper ea, quæ ſupra de Eutrapelia Oratoria attulimus.

II.

Idea Simulatricis Eloquentiæ.

Primam Aloyſius Iuglaris exhibet ideam in objurgatione encomiaſtica Albricij inſignis Oratoris, quàm ſtrictim affero.

Objurgatio Encomiſtica Orátoris.

Con-

Conqueri de te cogimur, quòd *Tullii gloriam extinxiſti*. Dum peroras, ſummorum auctor es criminũ. Nam *ad invidiam auditorem perurges* qui cogitur illico, vel deſperando, vel invidendo peccare. *Spem illi expugnat admitque Eloquentiæ tuæ apex. Quod degere cogamur infantes*, tuum crimen eſt; qui ita pænè totã exhauſeris Eloquentiam, ut extra te ſuperſit nulla &c.

Alteram ideam affert ejuſdem Eloquentiæ, Auctor Panegyrici Leſczyniani: ubi Boguſlaum Poloniæ Majoris Generalem, ſic pleno laudum vituperio inceſſit.

Querimonia Encomiaſtica Seu Vituperium ex meris laudibus conflatum.

Non iam laudis, ſed querimoniæ mihi materia es, Boguſlae. Prope eſt, ut patriæ

patriæ judicium de te improbem, quæ te Arcis hujus Præfectum dixit, qui ad arcis tutelam nescio, an satis virium habeas: nam eas ita usibus Patriæ consecrasti, ut attritas toties viderimus. At justitiæ, suũ cuique tribuenti arbiter esse qui, possis? qui retroactæ ætatis *Heroum, omnes propè animi opes rapuisti?* Trãquillitatis publicæ tutelam quomodo geras, ipse *violentus omnium affectibus*, quos velut decretoriâ lege tibi facis obsequentes? Cùm securitati prospicere te munus tuũ velit, nos interim *libertate exuimur*, quos arcana quadam vi, tuis esse devinctos affectibus cogis. Nec litibus ex munere componendis sat intentus es, *ipse vnica litis materia*; utpote qui longum olim de tuis laudibus secuturæ ætati certamen indixeris. *Nemo ad tuum tribunal sat bonam affert*

fert causam; nam tu semper meliorem efficis. Utilem partibus, in *causis celeritatem nemo in te agnoscit*, qui reos actoresque toties suspendis tuæ admiratione Prudentiæ. *Etiam nocentissimi tuâ sententia desinunt esse rei!* Iustitiæ virtutisq; arbiter cùm sis, tot tamen Oratores crimina committere jubes, ut sæpius peccare contra artem cogãtur, *qui amplificare in te nil possunt, cùm omnia in te maxima inveniant, Translatis vti* eisdẽ in tuis laudibus, *haud licet; cum tua propria obtrudis: Quemcunq; afferunt sermonis cultum, deformis est, artem superante materiâ.* Age, ut reus esse desinas, *Oratorem à tuis laudibus absolve.*

Accusatio Regni Iudicum peramica, munere decedẽtium.

Unica vobis discutienda superest

eſt cauſa, Proceres, & Areopagi Sarmatici Lumina. Sed *novam iudiciorum formam inducimus, contra Iudices acturi, apud* hos ipſos *Iudices. Eundem hodie Iudicem, & reum, forum accipiet.* Nimirum *de vobis placet conqueri coram vobis.* Primum *in totam urbem delinquitis, cui tanta per vos orbitas inducitur. Solatia ſubtrahitis diuturna, qui dediſtis maxima;* imò rapitis, quæ donaſtis. Hinc pænè, *tot luctu ſaucii, quot incolæ doloris per vos victimæ. Malè vbi eiuſmodi vulnus infligitur univerſis! unius cicatrix innocens vindicem iure poſtulat, quid plurium?* Atqui *hæc animarum vulnera veſter infligit diſceſſus. Maius in iuſtitiam crimen obiicio,* neque inficiari poteſtis, in eandem repentè rei, cujus hactenus fuiſtis acerrimi vindices. *Forum vobis iam deſipit, nec ultra tueri ius alienum libet:*

bet: non placet aſylum inſontibus præbere, non ſontes mulctare ſupplicijs; *at ſic ſecuriùs regnabunt vitia abſq; freno timoris, neq; flagitii pudebit, quod Æacum non timet.* Id tamen culpæ conſciſcit *iuſtitium, quod foro conceditis.* Auget reatum, quod *nec crimen agnoſcitis, ubi convincimus reos,* nec facti pænitet, quod intenditis. Eja, forum agite rurſus judices, & quia vos veſtris abſolvere ſententijs haud poteſtis, *ad moram longiorem, intra urbis pomeria vos damnate &c.*

III.

Simulatricis Eloquentiæ ſubſidia:

Ironia & aßentatio.

Nemo in ſpeciem magis agit, quàm hæc utraque. Nunquam laudi vel

vituperijs ejusmodi crede: in opposita intendit utriusque Oratio: *Verba menti, vota votis, omina omini adversantur in talibus Rostris*. Porrò assentator laudat, quæ haudquaquã ducit inter laudanda. Sic teste Satyrico laudat.

Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus (æquat,
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis.

Idem Placentinus Orator - - - *flet, si lacrymas conspexit amici.*
Nec dolet: - si dixeris, æstuo; sudat:
- - Ignem brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem: Rides? majore cachinno concutitur. Sed ab hac specie Simulatricis facundiæ, quæ in assentatiunculas declinat: (etsi his plurium constant Panegyres, *nec aliud fert amatque hominum ætas*) longius

giùs te esse volo, *malimque, ne sis Orator*, quàm ut tam frigidus simulator. *Placent* quidem *aulis hujusmodi Oratores*, ideoque *hoc uno ferme laborant magna fastigia, quod desit, qui verum dicat*; Sed præstat & ab aulis hoc Orationis genus exterminari, *ne idem sit Oratio & assentatio*; *aut ne veræ laudis indiga videatur ætas, quæ falsam amet*.

Ironia tamen retineri potest; seu illa simplex, quæ citra bilem aut grave vulnus, ueluti laudatrix, sub obtentu laudis festiuæ exagitat, & in oppositum omnia tacite detorquet: seu acrior & mordacior, ubi justa est, & Oratorij fori reprehensio. Quæcunque demum sit Ironia, Simulatrix est. Ejus fontes derivandi sunt, tum ex Eutrapelia & festiviori ingenio; tum ex amphibologia & æquivocatione, ut de men-

mendaci dictum: *Arithmeticus est: ſcit regulam falſi.* tum ex Comparatione odioſa; *vt timidus ille dux*, tam per leporinam pellem ſibi poſtea oblatam irriſus, quàm fuſum columque: Tum ex eruditione inverſa; de deformi: *Alter Damocles vel Paris, Charitum lepos:* Tum ex adagijs & fontibus ſalium Atticorum ſuprà indicatis.

§ 2.

ELOQUENTIA MUTUATRIX, & ALIENATA.

Non ſemper apud Oratores rea culpæ rapina, quædam etſi aliena, ſervitutem patiuntur; & tam extranei iuris ſunt, quàm tui. Sic ſunt auctorũ ſententiæ & dicta ſelectiora; trahi ſe in noſtram Sententiam ſinunt, *origine aliena, uſu noſtra.*

I.

I.

Exponitur Mutuatricis Eloquentiæ artificium

Eloquentia Mutuatrix dicitur, quæ aliunde veluti mutuum petit, ſeu quæ mutuatur, vel elocutionis ſubſidia, vel etiam inventionẽ, quam ſuo verborum apparatu vel idiomate donat; ut etiam faciunt, qui concionem Italico idiomate impreſſam, linguá patriá efferunt, & ad populum, paucis immutatis vel additis proferunt. Sed tamen prior modus hic maximè inſinuatur ſub Mutuarricis Eloquentiæ nomine; nam alter furtivus eſt, & ferme ex aſſe alienus. At prior ille ſua ſententia & inventione nititur, quam tum ſuo verborum ambitu comprehendit, tum aliunde accer-

 ſito.

ſito. Quare ex quibuſdam Auctorum lacinijs, & truncatis aut integris eorum ſententijs, dictionem non ſarcinat prout argumentum poſtularit, atque eidem exprimendo aliquid lectio vel memoria ex Auctoribus opportunè obtruſerit. Perinde eſt, ſeu auctor ille Orator vel Poeta ſit, aut hiſtoricus; utitur illo, & nomen ſupprimit, aut in margine indicat. Tunc autem *Oratio velut Phrygium opus*, ex textrina alienis aſſumentis pulchre variegata *conficitur*: eſtque is fructus lectionis aut eruditionis, & *Orator velut Phrygio quidam*.

Talis Elocutio *placuit Lipſio, & cui Lipſius placet*: hanc ille in quinque libris Politicorum retinet, eáq; juſtum volumen implet. Eandem ſcribendi rationem Erudita Caroli Scribanij monimenta præferunt. juva-

Iuvabit ad eandem uſus Adagiorũ Cnapij, & adverſaria ex Auctoribus excerpta, & Polyanthea.

I I.

Idea.

Duplex modus mutuatæ elocutionis. *Primus*, quem Lipſius loco præ dicto amplexus; cùm tuam rem ac inventionem uerbis tum propriis, tum alienis, ſeu aliorum auctorum effers, nunc hujus, nunc illius. *Alter modus eſt*, cùm uno aliquo auctore contentus, ex ejus dictis Orationem conficis, v. g. vel Taciti, vel Senecæ.

Idea Mutuatricis Eloquentiæ primo modo.

Vacationes Literariæ.

Scholis & laborem indicere libet

bet, & otia; partitim ſingula, & alternis utrumque. *Æquas Palladiis laboribus inter pone vices, Sarb*: qui literario pulveri inſueviſti. Nimirũ *quietem*, id eſt, *laborum dulce lenimen Horat*: tantiſper & ſcholæ poſtulant. Ne ſolus *labor improbus omnia* peſſundet potius, quàm *vincat. Virg*: A ludo lilerario non abhorrent ludi, adeoque *miſcere iuvat ludis ſtultitiam brevem, & deſipere in loco. Horat.* Quare ita literarum *Olympia decurrantur, Neot.* ut aliquã do intermiſſo tramite *ſiſtat eques, & ſtudiis frena remittat. Horat.* An enim *nocturnis iuvet impalleſcere chartis? Ovid.* An inter ſcholarum ſeria tibi perennis *vultus tetricitate laboret? Perſius.* An & ingenia ſint ſemper *vt miles in armis, neque pax belligeri compeſcat limina Iani? Lucanus.* Si ſapis naturam ſequere: nam *nun-*

nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit, Iuven. quæ tamen *alternam quietem* approbat, ac pulcherrimo nexu labori innectit otia, *Sen. requiemque feſſis. Ovid.* Quin & Aſtrorum princeps poſt diurnos per Cœlum curſus *anthelantem in Tarteſſia littora mergit equum, Silius.* & nocturna intercapedine æſtus ac labores diurnos temperat. Sic & *aura variat, nunc horrida, nimbis nunc ſudo ſole ſerena. Neot.* Quin & *immoderatus labor mentem obruit, morborum comes, Plutar.* & languorem corpori, animo torporem accerſit: at verò *ingenii relaxatio vel mediocris, Quintil.* facit, ut ſtudia reverſi *plus attẽtem; animi vigore integro, etſi ſpatio temporis contractiore. Plin.* Quin ergo animum *tantillo laxemus otio, quo ad labores reddatur vegetior? Plut:* Scipio *qui Africam in nomen induit, etſi*

etsi laborum tam avidus quàm patiens, *Flor.* tamen post pulcherrima operum munerumque nonnihil quiescens, *otium sibi sumebat*, *Iuglar.* & à cætu hominumque frequentia, *frequenter tanquam in portum sese recipiebat*, *Cic. in Cat*: etsi tunc *etiam laboriosius, cùm otiosius. Idem.* Quare dandæ & ingenijs cum labore induciæ.

Alterius Modi Idea est supra ex Taciti dictis consarcinata.

§ 3.

ELOQUENTIA ÆNIGMATICA.

Rarior hæc, & dilucido dicendi generi non satis congrua: tamen Hortensio Sphingem tribuimus, Ænigmatum Magistram.

I.

An, & quæ ratio dicendi Ænigmatica, Oratori sit congrua!

Congruere quandoque probat usus, *Aristarchi expers.* Roma mihi testis, quo nemo luculentior. *Ibi primas vires experta eloquentia*, in Menenio Agrippa. At hic *ænigma locutus*, dum urbis dissidia dispungeret, & plebem Optimatibus Apologo conciliaret. *Ænigma tunc vrbem vrbi reddidit*, & mons Sacer plebem. *Ægyptiis, apud quos* priùs, quàm Romæ literæ, *non alia Oratio, nisi ex abdito, ac velut ex tripode*, ceu Oratio sit Oraculis gemina, quæ quiddam implexius sonant. Nec gryphi à mensis olim alieni, quasi his etiam cœnæ condirentur. *Ioan-*

nem Barclaium Styli novitas altè extulit, *qui tamen Oedipum poscit*, & clavem quæ arcana reseret, ac obscuratæ, tum eventuum similitudine, tum nominum umbrâ, Historiæ lucem non invideat. *Sic eius Argenis* loquitur, sic Euphormio. *Denique*, si pro hac adhuc sententia ratione dimicandum; mihi *pro Argivo*, ut ajunt *Clypeo foret*, ipsa ænigmatis natura, quæ allegoriam requirit, eamque nonnihil obscurat; at allegoria juris Oratorij ex asse est, & obscuritas ænigmatis Oratoris nomen eidem indit. Quare ut semel aperiam, quod sentio: Si stylus accedat, qui Oratorem sapit; & res arcano egeat. etsi paulò intricatiùs loquatur, non id ab Oratoria facultate alienum. Nolim tamen tam obscurè Oratorem loqui ut nonnemo de uxore Loth in statuam salis

salis immutata, ænigmaticè scripsit, ut suprà attuli, & repeto.

Cadaver, nec habet suum sepulchrū:
Sepulchrum, nec habet suum cadaver
Sepulchrum tamen & cadaver intus.

Hæc est illa statua, de qua apud Tertullianum clariùs:

-- Formam sine corpore servans.
Durat adhuc, nunquam pluviis, neque diruta ventis:
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

II.

Rarior Ænigmatum divisio legesque.

1mò. Ænigma aliud est, quod fabula vel apologo continetur, ut est apud Mythologos præter Æsopum. Hîc verò fabulam etiam Poëtarum è My-

è Mythologia petitam intellige. Ex hoc fonte est *Canis Æsopicus*, de illo, qui novæ prædæ inhians, & veterem amittit.

2dò. Ænigma aliquando est, per similia deductum. ut illud notum Mennenij Agrippæ de mutua conspiratione reliquarum partiū corporis contra Stomachum.

3tiò. Ænigma eruitur ex Adagio. Tale illud est: *Æsopicum onus*, id est, quod semper sit leviùs. nam Æsopus plenum panibus canistrum in humeros sublatum cùm gereret, in quovis esu diminuit, sicque levius effecit. Tale & illud: *Risus Aiacis*; qui insaniens risit plurimùm: ut *Risus Megaricus* de intempestivo risu. Tale & illud: *A fabis abstine*, id est, à Magistratu & judicijs longè esto, in quibus suffragia fabis ferebantur. Et illud: *Non semper tripodem*

dem. quem cùm Chij piscatores semel retibus captum ex aquis eduxissent, frustra idem postea suis retibus præsagire ausi. Plura hujusmodi infrà.

4tò. Ænigma ex symbolicis sapientum dictis capitur. Talia sunt symbola Pythagoræ. *Primùm*: *Stateram ne transilias*. id est, ne leges justitiæ prætergrediare. *Secundum*: *Ignem ne fodito*. id est, iracundum ne lacesse. *Tertium*: *Cor ne comedas* id est, ne permittas animum dolore exedi vel consumi. *Quartum*: *Hirundinem ne recipias*, id est, Cave garrulos. *Quintum*: *Coronam ne carpito*, id est, leges urbium haud convellendæ. *Sextum*: *Per viam publicam ne incede*. Id est, ne multorum errata sequaris.

5tò. Ænigmati dat locum aliquod abstrusius apophtegma vel dictum

ctum alicujus. Sic Augusti dictum illud: *Aureo piscari hamo*, intelligitur de ijs, qui minima commoda, ut sunt pisciculi, magno dispendio sectantur. nempe grandior est jactura hami aurei à pisce abrupti quàm lucrum piscis captivi.

6tò. Ænigma longiori allegoriâ aliquando circumducitur. nam omne ænigma, brevior saltem est allegoria, eaq; obscura. Pleraque alibi hujusmodi: hic de navi:

Longa feror, velox formosæ filia silvæ,
Multas curro vias, vestigia nulla relinquo:
Si mihi diminuas frontẽ, velocior ibo.

7mò, Ænigma aliquando est eruditum, ut illud de fungo: *Me cave Romulei, Princeps, post funera* Claud. Illud etiam protritum de mure: *Me casa parva tegit, cui ianua semper aperta: Quod mihi nomen inest,*

9nò Ex amphibologia sumitur ænigma. Sic in cenotaphio Thomæ Mori, Cancellarij Angliæ scriptum illud: *Hic nihil est Mori.* ubi dubium videtur, an *Mori* sit verbũ, an nomen proprium *Mori*.

Sic item Ludovicus XI. Rex Galliæ, ut quemdam sibi munere obstringeret, effecit oblata eidem ingenti aureorum nummũm copiâ, quibus impressæ fuerant equitum cataphractorum copiæ, adeò ut ille sic muneratus exclamaverit: *Captivum me tenes, ô Princeps: quis enim tot armatis possit aut velit resistere?*

10mò. Aliquando Ænigma cum grypho vel logogrypho confunditur, & rem verbis implicat, ac ipsa elementa vocabuli obscuriùs involvit. Sic illud de se Coracinus:

Si sine corde mihi contingeret, Oedipe nomen;

Quod superest intus, uva Phalerna foret.

Item illud, quo exprimitur *Carpio*,

Plaudere solenni ritu postrema videntur:

Tolle Carem, comiti vox pietatis inest.

Huc etiam spectat tum retrograda lectio, ut *seps*, spes. *Atlas*; Salta. *Merem*: merum. Tum literæ obscurios arithmeticè descriptæ, ut:

Bis tria sunt septem: duo tres sunt, quinque bis vnum. ubi numerus literarum in hoc vocabulo, *septem* attenditur.

11mò. Aliquando Ænigma sonat mirum quidpiam. ut illud de chorda lyrica ex pecudum nervis contorta, & percussa atque pulsata:

Dum vixi, tacui, mortua dulcè cano, imo in tormentis canere jubeor.

Hic adijcio, quod ænigmati multiplici de Piscibus appenso, Lectori vel Oedipo præfixum alicubi.

Pisces appono, sed in ænigmate.
Ingeniorum hæ lautitiæ sunt,
& Attica bellaria
Sapienti hic cibus sapit.
Nec pisces hi capiuntur hamo, sed ingenio:
Coquuntur, sed non extra culinam cerebro.
Intelligere hic, satiari est:
Iejunus hinc abiit, qui cum Oedipo non edit.
Neque solis Piscium Optimatibus aut summatibus inhia:
Non rerum, sed conceptuum magnitudo mentem saginat:
Etiam alburnus aut ophidion hanc implet
Si in investigãdo hæc non desipuit.

12mò. Ænigma fit per Hieroglyphica, seu picturam vocabulis conten-

tentam. Sic enim *Dapes* exprimit picta apis cum numero 500, quem significat litera D numero Ecclesiastico. Sic item *loculos* exprimit pictus oculus cum numero 50. nam L significat 50 in Ecclesiastico numero. Sic *Caper* repræsentatur pictura apri adiecto numero 100. quem numerum litera C denotat. Sic præterea *Claves* rectè expresseris depicta aue, addito numero 150. quem significāt duæ illæ literæ CL.

Sic denique *Ave* expressit Salutator officiosus illo monosticho:

Mitto tibi Navem prorâ puppiq; carentem. Si enim ab hoc vocabulo *Navem*, prima & ultima litera dematur, nempe N & M, quarum prima ponitur pro prora, altera pro puppi, residuum erit *Ave*, quod tibi prædictus mittit salutator.

131.ò. Aliquando signo rerum ænigma continetur. quò spectat *factum ænigmaticum Cyri Regis*, novum imperium agitantis. nam is primo die collectam populi multitudinem multo labore exercuit in stirpibus vellendis recidendisque: alterum *per lautia* cum iisdem operis genialiter exegit. Nemo convivarum fuit Oedipus, nisi Cyrus ænigma enodasset; se hoc pacto factoque illis innuisse: si sibi in inceptis comites adhærerent, quæ molitetur, semper geniales dies victuros; sin secùs, servilis opera ætatem illis omnem attereret. Sic populū in sua molimina *Cyrus* impulit, *regnumq; novum ænigmatè condidit*.

Eodem pertinet a Genuensi Oratore oblatum Duci Mediolanensi munus non sine ænigmatis tinctura Aliud nihil Orator hic urserat præter pactorum fidem, quæ cum Genu-

Genuensibus Dux inierat. At irrita vota. Ne legatio penitus irrita foret, herbam ocymi obtulit Duci; ut si ad preces Genuæ surdus fuerat munus, saltem oculatum redderet. Percunctanti, quò id muneris referret, ænigma evolvit Genuensis in rem Patriæ; eam plantæ inesse vim, ut leniter contrectata suavissimum odorem exhalet, duriùs compressa omnem amittat, tum deinde scorpios progignat. Agnovit Dux hoc schemate Genuensium ingeniũ adumbrari, & aurem in postulata, animumque flexit.

Sed quia etiam Adagialia plerapue Sphingem sapiunt, ac Oedipum poscunt; his etiam Ænigmaticum Oratorem instructum esse velim. Ego aliqua è probatissimis obiter attexo.

III.

Erudita Adagia Ænigmatica Eloquentiæ deservientia.

Quidquid umbram aliquam dictis obtendit, ne luce pateat, huc attinet. Etiam Adagialia huc refero, quorum pleraque Sphingem etiam latent, ac præcipitant. Habētur passim; tu ex illis à me aliqua, sed cum luce additâ.

Huc inprimis faciunt quædam veterum somnia.

Qui Serapidis nomen per quietem audiit legitvé, in mortis præsagia id tractum, quia hic Pluto & orcus est.

Qui in Isthmo Filium quæsiisset, somnium id fatale in aquis ut Meli certæ.

Qui per soporem à Luna lumen requisiit; cæcitatis omen hinc extimu-

it: eò quòd Luna suo lumine putetur destituta.

Quem somnus templo catenatum alligaret, omen id Sacerdotij credebatur.

Adagia quædam Criptographica.

Archilochi melos. id est, quod multis accommodari queat. Idem, *Delphicus gladius*.

Menelaus ad consilium, id est, non invitatus accesit.

Quartâ lunâ natus, id est, non omnino feliciter, quia hac natus Hercules duris exercitus.

Philothesius crater quo in conviviis conciliantur amicitiæ.

Iuxta salem & fabam. In simulantes se scire, quod nesciunt: Divinatores enim responsuri, utrumque apponebant.

Excu-

Excubias agit in Naupacto. de eo, qui sua ignavia perit, vel munus periculi plenum gerit. Nam Achivi capta Naupacto, Pausaniam excubijs Præfectum peremerunt

Sybaritæ per plateas contra fastum incessûs.

Doricè concinere. de ijs qui consentiunt At *Caricæ cantiones* de lugubri & molesto cantu, quo Cares usi. *Datidis Canti ena* læta, festiva.

Orci galea, de occultantibus se in arte. nam Plutonis galeam qui gestaret, videbat, quos libuisset, ipse nemini conspicuus.

Capra Scyria, quæ mulctrum, quod lacte impleverat, ipsa rursus evertit effuditque.

Atticus in portum, hunc ingressuri magnificè se ostentabant, in ipsa re parum strenui.

Procridis iaculum. Cephalus uxo-

 rem

rem Procridem, ratus feram, emisſo jaculo necavit. *Argenteus puteus, pro ingenti cyatho.*

Calabri hoſpitis xenia, id eſt, quæ onerant magis, quàm juvant accipientem.

In Pyrrham recidat. Pyrrhæis finitimi mala omnia ſibi impendentia imprecati.

Lydus oſtium claudit, de furacibus quod Lydi non diſcederēt ſine furto.

Equus Theſſalicus, id eſt, ſummum præmium, ob inſignes equos Theſſaliæ.

Non certatur de oleaſtro, de re levi in pleriſque certaminibus data corona oleaginea.

Vt canis è Nilo. id eſt obiter ac leviter rem attingentes: ut canes ob metum Crocodili è Nilo curſim bibunt & fugiunt.

Tanquam Chalcidica. quæ centum liberos enixa.

Phormionis thorus, id eſt, minimè delicatus. *Hecatæ cœna, frugalis.*

Thymbrâ victitat, id eſt, paucis contentus.

Strumam dibapho tegere, id eſt, infamiam dignitate obliterare dibaphon, purpura bis tincta.

Cydonis domus, de homine hoſpitali.

Pro eo, quod dicitur, Fruſtra agis, Adagialiter effertur: *Iſthmum perfodere tentas*: *Penelopes telam texis*: *Hylam inclamas*: Arabiam *paluſtrem ſeris Oreſti pallium contexis. Abaſino lanam.*

Melitæus catulus in delicijs.

Canere ad myrtum. de imperitis ac ineruditis. nam qui recuſaſſet in convivijs cytharam, ceu Muſices ignarus ad ramum myrteum cogebatur canere.

Cadmæa victoria, etiam victoribus infelix. Item *aurum Tolossanum*. *Equus Seianus*, *Monile Hermiones*, infausta possessoribus.

Bos Locrensis, bove sacrificaturi Locri, è lignis eum componebant.

Naviget Anticyras, de insano: hellebori copia ibidem.

Bæoticum, *Megarense*, *Abderiticum ingenium*, pro stupido

E Massilia venit, id est, parum decoro vestitu.

Tenedius homo, vel qui in Trophonij antro vaticinatus, pro tetrico

Bona Porsenæ; quæ velut ab hoste erepta parvo æstimata.

Harmodii cantilena; Admeti melos, pro tristi.

Tanquam è plaustro loquitur, id est, liberè convitiatur.

Arabicus tibicen, non cessat ab incepto. *Cyclopis donum*, inutile

Cere-

Cereri sacrificant, dum in convivio deest vinum, quod in cereris sacris nefas inferre.

IV.

Ænigma Oratorium de Lothi Vxore.

Quam stupes statuam, *artifice caruit, sed seipsa finxit, dum patriam spectans, se amisit*. Sola mortalium nec imaginis egens, nec sepulchri, *in sua statua tumulatur*. Licet *inter Metamorphoses* numerare *fæminam ex vera fictam*; imò *tunc veram*, *cùm fictam*, *quid enim sæpiùs in fæminis*, *quàm fictum*? cùm & calamistro fingant capillos, *& fuco faciem*. *Sic solent fæminæ*; *sapiunt*, *cum pereunt! ah fuge hunc salem*, *si sapis*, viator.

Ænigma Oratorium de Adamo ex Thesauro.

Hic *iaceo, per quem omnes iacent!* hominem *fictum me dixeris & verum cœlo natum* inprimis *è cœno.* *Nec orbus, nec posthumus fui,* sed Patris expers. *Matrem habui, quæ me habet.* Lignea nutrix sine lacte me aluit virum. *Filiam, non filiam consortem habui, simul natam & nuptam. Rex ego sine vrbibus,* dives sine auro; sine Magistro eruditus, ludum aperui, tot nactus auditores, quot homines. *Heu stolida sapientiæ sitis! cùm* scirem omnia, *vt plura scirem, desipere cæpi! beatæ sylvæ fructus dum carpo, silvam amisi.* Itaque ex Rege Agricola, *quia numen non colui; & terrā colere cæpi.* Uxor me immortalem peremit, uxorem ego, *uterque omnes.* Ah quàm de minimo perijmus! Tan-

Tantùm *malum attulit vna malus!* cujus frondibus obvolutus anguis venenum vomuit, quod omnes hauserunt. Tuus ergo genitor, sed nunquam visus, *te peremi, antiquā generem.* Sed o lætas malorum vices! *ligno reparatus, quo perii, indidem traxi venenum & medelam?* &c.

Illud idem Auctor obscuriùs de Rege Ozia, sed tamen mox lucem tenebris depellit, dum illustrat explicatiùs.

Hoc in tumulo, iacuit, non iacuit vivum cadaver Regis agricolæ. *Qui victor victus Deum sprevit, dum coluit: & vulneratus, vt convalesceret moriendo convaluit. Hunc vivos fugientem mortui timuerunt.*

Hoc Ænigma sic explicat Auctor.

Ozias regno exauctoratus, solitarios

rios inter penates, diu lugendo consenuit, & avito ſepulchro interdictus, in agro tumulatus; quem coluit. Adeo *ſuperborum contactum vel mortui horrent!* Idem victoriarum aura diſtentus, *qui felicium morbus eſt*. Sacerdotali ſibi jure arrogato, ſacro thure profanus adolere auſus, *Deum ſprevit, qui ſic contra iura coluit*. Mitratum hunc villicum, *aratrum decuit, non ara*.

III.

Sententiæ & dicta ænigmatica.

Sententias Pythagoræ ſuprà attuli, ut eſt illa: *Coronam ne carpito: ignem ne fodito: ſtateram ne tranſilias &c.*

Et illæ Sententiæ Ænigmaticæ, gratia non carent ex Neoterico quodam arguto, quas explico. *Ci*-

Civium ſecuritas ſæpe eſt ſecuris, id eſt, plectens reos.

Plutus à Cerere gignitur & Iaſone: id eſt, divitiæ proveniunt ex ſegete & vellere.

De Moyſe illud: *Divinæ legis tabulas tulit lapideas, vt lapidem rogent, qui lapidem violant. id eſt*, ut durũ & inexorabilem experiantur legum prævaricatores.

De Iephte illud: *Hoſtiam magis horruit, quàm hoſtem. id eſt*, filiam ex voto inconſulto immoladam, quàm Madianitas, quos debellavit.

Illud etiam ænigmaticum eſt in ſepulchro Thomæ Mori Cancellarij Angliæ, inſignis Catholici, ſupra allatum.

Hic nihil eſt Thomæ Mori!

De Vaccia Viro Prætorio adhuc vivente Seneca dixit; ejus villam prætеriens: *Hic ſitus eſt Vaccia* Nimirum

mirum ibi nulla re magis, quàm otio consenuit, ideoque vivi hominis sepulchrum villa ejus vocitata.

SPECIMEN XIII.
Admirabilis Eloquentiæ
ELOQUENTIA PUGNAX

AD pugnacem Eloquentiam etsi pleraque referri possint, huc tamen tria potissimùm refero. *Primo* Discordem concordiam, seu pugnam Antithetorum, ejusque leges; unde singulare decus in eloquẽtiam emanat, adeoque tali potissimùm (quod votum erat Tullij) *cedit laurea linguæ. Secundò.* Pugnam styli Oratorij cum Poëtico, ac utriusque genij quare notæ utriusque discretrices hic proferendæ. Nam *finiti-*

finitimis hisce, Oratori scilicet ac Poëtæ, quoad hæc inimicitiæ quædam intercedunt. *Tertiò* Contra Lacones & pro Laconibus arma conserenda, seu argumentis utrinque decernendum pro stylo amplo & Laconico.

I.
PUGNA ORATORIA
Per miras Antitheses
Et pulcherrimos nexus Contrariorum.

Pugna hæc, sed concors, & vincit, non qui cadit, sed cujus vibrãtior Antithesis, & illustrior discordia in rebus ac sententijs. Porro Elocutio hujusmodi plurimùm illustrat Orationem. Si ex arte adhibeatur: nec enim contraria sine arte laudem ferunt, Idem hic intervenit

venit, quod in *elemento ignis & aquæ in unius salis naturam coeunte.* Salem enim nonnisi contraria formant, sine quo utique cuncta desipiunt. At ingenium id nomen obtinuit, unde *& Sales Attici, & sale respersa Oratio* dicitur; imò taxantur ingenia, *in quibus nulla cernitur mica salis.* De hujusmodi sale plurimum habent venustæ antitheses. hinc Poëta laudat sententiam, *quæ rasis ludit in antithetis.* De hac ergo elocutione ex contrariorum consensu, seu in quibus est discordia concors, hoc loco agemus, ceu insigni Oratoris Admirabilis subsidio ac ornamento.

1 *Leges admirabilium Antithesium.*

Prima lex Oppositorum.

Con-

Contraria varijs modis sibi innectuntur, secumq; mutuo consentiunt.

Aliquando sibi mutuò derogant in sententia, seque invicem pellũt clara aut nonnihil apparenti contrapositione. ut sunt illa apud Claudianum: *Bellis insignior ille, sed pacem fædat vitiis animus quẽ pulchrior ornat, corpus destituit: hîc publica felix, sed privata minùs.* Item de quodam dicitur: *Invictus viris, victus à fæmina.*

Aliquando oppositio causarum, aut comparium aut similiter cadentium intervenit: ut: *Certare difficilis, facilis coronari: nondum idoneus pugnæ, iam maturus victoriæ: triumphavit toties, pugnavit nunquam.* Hæc autem opposita vario modo conseruntur nunc per particulas *Potiùs, Quàm,* ut de Caligula in castris nato.

10 *Priùs gladium vidit, quàm Solem: fortior infans, quàm adultus.* Et de Iephte dictum: *Pugnare doctior, quàm vovere.* De alio: *Carcerem subire maluit, quàm mereri:* Nunc per particulas, *Eò, quo, tam, quàm. tantò, quantò.* Sic illud: *Gliscebat tantò maior invidia, quantò celebrior de illo fama: at ille semper melior, quò plures æmuli: omnibus tam metuendus, quàm mitis.* Et illud de icto à dipsade: *Quantò plus biberit ictus, tanto ardentior sitis* Nunc alio casu unum ex oppositis cum allegoria. ut: *læta profanat luctus atrox, didicitq́; diem spoliare sereno:* Nunc temporis mutatio interijcitur. Sic illud: *Hactenus natura homines genuit; nunc Deos.* Et de Galba: Neroni suffectus est fero juveni senex furens: *non amisit tyrannum Roma, sed mutavit.* Et illud: *Hic ex Mercurio Mavors, è Sacerdote*

miles

miles, post pacis insignia corripuit arma.

Aliquando opposita sibi suaviter derogant transmutatione sensuum. Sic illud: *Ante imperium sine fama fuit, quia latuit in imperio infamis, quia non latuit.* Item: *Doluit Patria cùm eum Principem fecit: gavisa, dum habuit. Ex trepido intrepidum.*

Secunda lex oppositorum.

Aliquando opposita se invicem compatiuntur, id quod pulchrius est. Sic de Augustini libro Confessionum: *Tenebras suas cùm in lucem edidit, illustravit: Ipsæ tunc visæ ridere lacrymæ,* Et illud de Salomone: *Obiit tandem insanus sapiens: throni decus & dedecus: inops inter opes: tantũ ingenium defloruit, cùm effloruit; ut mireris tam senium in infante, quam in-*

fanti-

stantiam in sene. Et illud de alio: *Disertissimus, cùm taceret: ipsa felicitate infelix, inglorius triumpho: Depressit eum fortuna, dum erexit. Hic extra tumulum tumulatus, placuitq; sic saltē iusta facere iniusto.* Et illud: *Nunquam is securior, quàm cùm periret: in sopore vigil, clarior in tenebris, in pugna pacatus, in pace pugnax.* Sic & Epaminondas ad Commilitones dicebat: *Nunc vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur.* Et Ecclesia pulchrè concinit: *Mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.*

Tertia lex oppositorum.

Potest aliquando dictum antecedēs seipsum tollere, & sibi contradicere. Sic de quodam: *Omnia in imperio habuit præter imperium: sine consilio consul.* Et illud: *Vnam sibi statuit legem, nullam servare legem: clarior futu-*

turus, si fuisset obscurior: regnum meritus, nisi regnâsset. Et illud: *Ex illo Hyppolyto nil iam retinet Hyppolytus: omnia in eo invenias præter seipsum: Omnium felicissimus videbatur, si nullo esset felicior.*

Quarta lex oppositorum.

Potest esse oppositio erudita, *vel in vno verbo*: ut *novum tunc miraculum fuit, Phædra casta,* ubi alluditur ad veterem impuram. Item: *Fuit tunc Proteus constans.* Vel *in pluribus* eruditè oppositis. ut: *Ætas hæc plures numerat Phædras, quàm Penelopes: Ægystos, quàm Hippolytos.* Item *maluit Heliogabalus, quàm Curius videri.*

Quinta lex oppositorum.

Potest esse oppositio allegorica. Sic illa: *In aulico freto vitia fluunt,*

vt refluant: Iniuriæ in saxo, beneficia in aquis scalpuntur. Tela vix evolant, quò impietas repit. Vbi caput multiplex, ibi nullum.

Sexta lex oppositorum.

Paranomasia seu lusus in verbis condit opposita. Sic illud: Tam sceptri amans, dum non haberet; quàm amens, dum haberet. Et illud: Nil noxium innoxiis. Nec probi sine probris. Item illud Antonij Caracallæ Getam fratrem occidentis & specie pietatis eum in Divos referentis: Sit Divus, modò non sit vivus. Item illud: Careant fastis, qui factis caret: ardeant, qui malè arserunt! At verò legi debent, qui volunt tegi. Et illa: Vtiliùs reguntur bella, quàm geruntur: Faciliùs nancisci Reges, quàm nasci: In extremis malis fortiùs est mortem arcere, quàm arcessere.

Septi-

Septima lex oppositorum.

Pulchrè opposita cum Paradoxa nectuntur. Sic illud: Vnus mortalium omnia scivit, nihil didicit; nempe Adam. Et illud, Tum dignum est mori, cùm indignus es mori, dignior vivere. Et illud, Patris similis, quia degener. Scilicet ejus parens à suo Patre fuit degener. Et illud: Deerat hoc miseris, Regum pietatem timere. Et illud: Cretensis aliquando tandèm verax. Et illud: Gignit amor lacrymas; quis putet? Ignis aquas.

Octava lex oppositorum.

Possunt antitheses trahi in causam alicujus sententiæ. Sic illud: Vt probè senesceret, improbè adolevit: Hostium numerum auxit, quia plures sustulit. Tribunal auro & gemmis constravit; ne venalis speraretur iustitia,

 quæ

quæ opes calcat. Et de Iosepho Patriarcha: *Vt primus evadat, undecimus nascitur.*

Nona lex oppositorum.

Possunt antitheses trahi in sententiam, quæ gnome dicitur. Congero plures: *Verè vt gaudeas, diu lugendũ. Nimia liberalitas rapinis alitur. Imbelles arma, non animum gestant. Tyrannis nunquam læta, nisi dum canit exequias. Non raro magnæ mentes, amentes gignunt. Vita deficit, cùm proficit. Fortuna dulcibus amara permiscens, alternis flet ac ridet; adeoq; nascuntur mediis gaudia luctibus.*

2. *Fontes acuminum, Antitheta, & Propositionum Ingeniosarum.*

Fontes hi Poëtis & Oratoribus communes. Sic Poeta Sirenes describit acutè: *Sirenes hilaris navigantium pœna, Blandæq; mortes gaudiumque crudele: dulcia monstra, blanda pericla maris, terror quoque gratus in undis: Nec dolor ullus erat, mortem dabat ipsa voluptas & damna iuvant; sunt ipsa pericula tanti!*

Acutè & illud: *Aliena quisquis recitat, & quærit famam; non emere librum, sed silentium debet.*

Acutiùs illud in lacrymas amoris: *Gignit amor lacrymas, quis putet? Ignis aquas!*

Et de Nerone cytharam pulsante Româ sucensa?

Vincere Thebani tentat miracula fabri:
Condidit ille vrbem, destruit iste lyrâ

Pulchra & illa contrapositio Romæ ac Venetiarum à Ioanne Sannazario facta, & à Venetis insigni pretio reposita, nempe sexcentis aureis:

Vide-

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare vrbem, & toti ponere iura mari, *(arces*
I nunc, Tarpeias & posthac Iupiter
Præfer, & illa tui mœnia Martis, ait:
Si pelago Tyberim præfers; Vrbem aspice utramque.
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

Plura de hoc fonte acuminum in Phœnice Rhetorum dicta.

At verò Propositiones argutas ex pulchro contrariorum conflictu erui posse, non minùs liquet. Sic illæ Propositiones in quorundam Panegyri: Mors vitalis: Sapiens stultitia, sobria ebrietas, &c de quibus ibidem.

Vitu-

Vituperium N.

per Antitheses ex Tacito exceptas.

Pleraque fasti in decus temporum. de hoc uno N. *nil probri immune.* Prima ætas illi magis extra vitia, quàm cum virtutibus, Pecuniæ suæ primo parcus, publicæ avarus: amicorum, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens; *si mali forent, usque in culpam ignarus.* Crevere dein *vitia, hoc felicia, quòd censore caruerint.* Claritas natalium & metus temporis obtentui, ut *quod segnitia erat, sapientia vocaretur, &* vitia pro virtutibus colerentur. At ætate opibusque valentior, *fortunâ melior quàm famâ fuit, malis bonisque artibus mixtus.* quanquam fama alibi parcebat, *quòd virtutis species palàm se proferret, scelera in operto.*

 Hinc

Hinc palàm laudares, secreta malè audiebant, & vt alios industria, ita hunc simulatio ad famam protulerat; habebaturque *non vt profligator*, ut plerique sua haurientium, *sed erudito luxu. Mox optima videbantur, quæ probro proxima:* tuta, quæ indecora: *opum satis, nil bonæ frugis. ita prævalent illicita!* Varium illi postea ingenium: promptus, *& prout animum intendisset, pravus atq; industrius, eâdem vi:* pleraque, *â quibus labem timeret cunctabundè quidem, sed tamen ausus* insitum mortalibus vitium, *properè sequi; quæ pigeret inchoare.*

II.

Pugna Oratoria cum Pòëtis.

Amica hæc videntur Nomina, sed in multis sæpè, in quibusdam semper discrepant. Nam *non idem utrique veterum Deus.* Mercurium Orator, aut cùm fulminat Iovem Tonantem respicit; Poëta uno gaudet caletque Apolline: ille è Deabus Suadam, hic Palladem colit, Musasque omnes. Magis stylo genioque dissident. Nam entheus ac Inventio Poetica alienior sæpè ab Oratoris ingenio: Stylum etiam aliter uterque expolit excolitque, atque adeo aliter in *arma virumque* prosilit Poëma, quàm Philippica vel Catilinaria. Numerus item Poëticus ab Oratorio longè abijt; & hic Poëta pænè servus, liberior omnino Orator. Nam ille numeris adstrictior, etsi utrique quædam pedum ratio & collocatio non inconcinna sit communis. Arena ergo hic aperitur, in qua utriusque character geniusque committitur.

Sanè in quo viciſſim repugnent, ſatis erit Poëtæ partes ac ditiones, circa quas arma vertuntur, internoſcere. Sed pugnæ huic præludia quædam libet præmittere

§ I.

Quàm verùm illud Divi Hieronymi: Dæmonum cibus, Carmina Poëtarum?

Fulmen excepiſtis ab hac ſententia Poëtæ: vibravit illud in vos *Sacer Dalmata.* qui & in pectus proprium ſaxo deſæviit, & vos hoc dicto *ſtygis obſonatores* facit. Et ſanè *fulmen meruiſtis, ſalaces quorundam & animæ & calami*: Non enim ille ſic ſtylum diſtrinxit in omne Poëtarũ genus, quorum fontes ſubinde deguſtat; Sed *ſunt, quibus non ſufficiat in fulmen una Vulcani officina, quorum ſcilicet verſibus pænè ſubverſa virtus; nec in illis ulla venuſtas quin ibidem puteat*

teat Venus. Egent *igne uindice ignes tam fatui, & illi*, qui de ſe fatentur: *agitante caleſcimus illo.* Quid enim nisi *Dæmonum tragema eſt*, quibus id *tantùm ſapit, quod virtuti deſipit?* *Culina Cerberi coquit, quod Cypridem aut Phædram ſapit.* Hoc ille, *& tota Orci familia* cibo paſcitur, nec carnes alias menſa illa recipit libentiùs. Alibi convivæ varij, ibi Erebus conviva, ubi voluptas, voluptas menſam apparat, *& tibulli Naſoniſq; Nepotes.* Obſcænis quippe *vt interit virtus; ſic libenter veſcitur Orcus. Averni lautitiæ ſunt, morum corruptela.* Quodſi eidem ſerina ſapiat, omnino *Metamorphoſis Ovidii in pecudes & belluas, homines transformat.*

§ 2.

VERUMNE ILLUD:

Poëtæ naſcuntur, Oratores fiunt?

Author hujus effati nemo; *ſed omnes approbant*, Paſſim *ad cunabula refertur Vatum Entheus. Eloquentia labore*, inquiunt, *eget obſtetrice*. Du bites, utram plus attollat facultatem iſta ſententia Nam *hauſtum à natura decus in pretio habetur*. Hæredes purpuræ hinc regna capiunt; *nec naſci Principem, dedecus eſt*. Imò *ubi natura in quoſdam benefica, ſæpiùs pudor eſt, ab ea fuiſſe præteritum*. An ergo naturæ munere, fortuita ſemper potiora? *Item quandoque* hæc facultas pares gratias naturæ, pares artificio debet; quid ergo ſolam in Oratoria artem præferas, & laborem

rem! Sanè *à quibuſdam verſum difficiliùs, quàm è pumice ſtillam exprimas*. Vt proinde labore improbo in Parnaſſi cacumen evadant: ijdem tamen ſi roſtra conſcendant, *Periclē facile dabunt*, vel ſi quod auguſtius nomen novit eloquentia: quos proinde *naſci dixeris fieri neges. Ad hæc Vt Corynthum*, ſic Parnaſſum *non cuiuis adire contingit* eò, quod montis illius abrupta, Cyrrhæ invia, itineri obſiſtant; cum tamen eloquentia per aperta camporum, per plana rerum verborumque, libero feratur circuitu; utra igitur plus labori aut induſtriæ debet? Equidem *minùs plana fatigant*. Quid quòd *carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærant*, imò *ſpongiam, cui non ſolus Auguſti Ajax* incumbat, antequam lucem ferat? Hinc Papinio *Thebais biſſenos vigilata per annos*, & *multis cruciata*

limis, ut ipse testatur: hinc Æneis adhuc mutila, flammas ab auctore pertimuit, ceu nondum illam decennis lima poliisset, at verò sic edita non nascuntur, sed fiunt?

Denique mediocribus esse Poëtis.
Non Dii, non homines, non concesfere columnæ. At Orator dicendi genus mediocre non refugit; atque adeò, si à primis excidat, *honestum est illi in secundis tertiisq; consistere.* An ergo non parabilius Oratoris nomen, quàm Poëtæ? *Nihilominus sit sua fides axiomati.* Neminem natura Rhetorem, sed labor & exercitatio gignit, suppeditat, quidem illa linguæ vocisque præsidia, laterum firmitatem; sed *aliud est loquendi facultas, aliud eloquendi. Arte opus est, qui eminere in dicendo velit.* Demosthenes non antè tantus Athenis, donec *naturæ vitia arte corrigeret*

ret. Multâ industriâ, multo eruditionis apparatu, raris dicendi luminibus, expedita ciendorum affectuum ratione eget Oratio; quæ nemo à cunabulis & natura trahit. *Poëta* tantò gratior, quantò naturæ ductu ad carmen proclivior, qui *non tam flectere animos*, quò libeat, *contendit, quàm oblectare.* Id verò quia promptiùs est, quàm flexanima dicendi ratio, hinc *Poëtis omnia plena, & Parnassus eos non capit*; quæ naturæ quædam fæcunditas est &c.

§ 3.
STYLUS POETICUS, EIUSQUE ORNAMENTA.

Sunt quædam Poëtis dicendi lumina, quæ stylum eorum ab Oratorio discernunt, & per quæ vicissim dissident. Et juvat hæc nôsse, tum ut utriusque stylum internoscas,

nec in Poëtarum dictionem involes; hinc enim pugna belli & fax inter utrumque; tum ne Poëtam styli sui lateant ornamenta.

1mò Poëtæ Adjectivum in alio casu neutraliter efferunt; substantivum in genitivo, v.g. *Sylvarum per opaca: per devia locorum, per vasta regnorum: per convexum vitri;* Ubi Grammaticus vel Orator diceret, *per opacas sylvas, per devios locos, per vasta regna &c.*

2dò. Adjectiva infinitivo annectunt. Sic Sarbievius. *Forma dilabi facilis, vitrea concuti, cerea diffluere.* Sic Claudianus. *Animoque relanguit atrox, quamvis indocilis flecti.* Sic Horatius: *Impiger hostium vexare turmas, & frementem mittere equum* medios per ignes.

3tiò. Adjectivum efformant ex substantivo. Sic illud: *Dominumque servo supplex adorat poplite verticem.*

4tò. Adiectivum eruditum, & proprium ponunt pro appellativo pluribus communi per Synecdochen. Sic Statius: *Cœperat Isthmiaco fervere Lyæus in auro.* Sic Martialis *Veientana mihi misces; tu Massica potas.* Item- *Ebria Campano fluitabat musca Phalerno.*

5tò. Aliquando adjectiva desumunt ex Analogia seu similitudine aliqua. Sic illud: *Niveum sine labe pectus*, pro candido. Item: *Et dubiis agitatur Euris*; pro spirantibus huc & illuc. Item: *Forma cerea diffluere*; pro facili.

6tò. Aliquando adjectiva ex eventu sumuntur. Sic de Icaro: *Tentati probra gurgitis, mox agnominibus diluit alveis.*

Aliquando adjectiva Eruditioni consona: ut *Dædaleum me poscit opus* id

id est, volo fabricare, à fabrili opificio Dædali. Item: *Crinitaque sontibus hydris Tysiphone.*

Aliquando adjectiva valde rerum naturæ & eruditioni congrua, feliguntur. Sic Claudianus: *Apta fretis abies, bellis accommoda cornus. Quercus amica Iovi, tumulos tectura Cupressus, Venturi præscia laurus: Letho pressus, Venturi præscia laurus: Letho vicina senectus, & male suada fames livorq; secundis anxius, & cæco præceps audacia vultu.*

7mò. Aliquando vocabulis adijciuntur eorum definitiones, ut illud: *Et luxus, populator opum: Effodiuntur opes, irritamenta malorum* & Rosa. *Aurora veris, punicei recens regina campi & Infames scopulos, Acroceraunia.* Et Apes: *Cives Hymetti gratus Atticæ lepos, Virgineæ volucres, flavæque Veris filiæ.*

8vò. Rebus inanimis tribuitur mu-

munus Personarum: Sic illud: *Tibi nitentes Gloria creditur stravisse cunas.* Et: *Temperari nequit facile stricti ensis ira. Bella delectat cruor:* Et: *Vento reluctantes acanthi, lassa solo posuere colla.*

9nò. Synecdoche partis, pro toto, Poëtis usitatior. Sic Statius: *Pulsa sitis fluvio.* Et Lucanus, *Satis est populis, fluviusq; Ceresque:* Et Seneca: *Te novit Araxes:* pro Mesopotamia, cujus est fluvius.

10mò. Antonomasia penes propria, pro appellativis. Sic Martialis: *Ex Priami Cyathis Astyanacta bibes:* id est, ex poculis antiquis bibes mustum. Et Bahusius: *Multusque per urbes ambulat Ægystus.* pro adultero.

11mò. Passivum ponitur per modum deponentis: Sic: *Effusam redimita comam: & luctu fœdata genas.* Et: *Nisæis armati brachia thyrsis.*

12mò. Metaphoræ liberiores, Poëtis sunt propriæ. Sic illa: *Frenata lauris coma.* Et, *Bibit aure sonos. Tensos leviore plectro radere nervos. Penna madidæ fuliginis ebria limo: Eurus per siculas æquitavit undas.*

13tiò. Hyperbolæ exaggeratiores passim apud Poëtas: Sic *Ocyor & iaculo ventosque æquante sagitta; fulminis ocyor alis. Candidior nive, meridiano sole serenior.*

14tò. Metonymia varia illis in usu: ut? *Siccum vagîna recusat mucronem. Aquila novit pati acie nobiliore diem*: ubi dies pro sole, effectus pro causa ponitur.

15to. Usitata illis Patronymica ut *Laertiades*, pro Ulysse Laertis filio &c.

16tò. Ablativum partis accusativo efferunt, ut: *Faciem roseus pudor* & Claud. *Hic publica felix, sed privata minùs.*

17mò. Particulas, *semper, nunquam, impossibile*, describunt per enumerationem plurium, quæ nunquam contingunt, vel quæ impossibile est contingere, ut ille: *Priùs ad Iberos aureus Titan suum reducet ortum: Memnon occasum dabit; vel sub profundos deprimit terræ specus natura solem; aut perpetes flammas geret Nivalis Arctos, & undas humidus linquet vigor; quam* hoc eveniet &c.

18vò Periphrasi varia utuntur: *aliquando* adagio petita, ut *Vis me antiquo includere circo ludo.* Aliquando ex loci adjunctis, ut septemtrio: *Vbi reluctanti Bootæ plaustra regit Cynosura, loro.* *Aliquando* Phrasis ex Analogia aliqua. ut Canities, *Comarum hyems capitisque pruina.* Item rubor genarum: *Natura roseo malas depinxerat ostro.* Aliquando Periphrasis Allegorica. ut, *Quod vexant*

hodie Noti, cras lambent hilares æquor Etesiæ. De rerum mutabilitate, *Aliquando* Periphrasis erudita. Sic de Mercurio: *Atlantis facunde Nepos. Cyllenia proles, cui virgæ galeaque renidens auro fulget apex; nexis talaria plantis.* Sic de Avaro: *Non Carthessiacis illum satiaret arenis tēpestas pretiosa Tagi: totum si exhauserit Hermū, ardebit maiore siti.* Et de olore: *Ledææ sanguis, quem Sthenelo satum Phœbo renidenti sacravit Aonis sacra turba Cynthi: Seu te refuso gurgite Lydii littus Caystri, seu Phaëtontii. Ille me te Padi fluentum ad Lygures remoratur undas.* Aliquando Periphrasis naturæ consona. Sic de tenero adhuc Phœbo, seu sole: *Nondum luce gravis, nec pubescentibus altè cristatus radiis, primo clementior ævo fingitur, & tenerum vagitu despuit ignem.* Itē seges succrescens. *Ceres trepidante culmo*

culmo, astra paulatim subit, & minores increpat spicas, teneroq; cœlum vertice prensat. Pavo. *Millenis solibus syrma oculatum trahit.*

19*nò*. Paradoxo rem efferunt: Sic hyems prodigiosa: *Sic nives rident, gelidisq; vernat bruma pruinis.*

20*mò*. Comparationibus seu similitudinibus sæpe utitur Heroica Poesis; imò & Lyrica; ut Sarbievius: *Qualis coruus in ipsis plumarum tenebris nitet &c.*

21*mò*. Aliquando pulchris sensibus carmen exornat. Sic illud: *Spe maior, famâ melior.* Et illud: *Cœlo tegitur, quisquis caret urnâ.* Sic illud: *Ne timeare, times, & quem vindicta manebat, desperare vetas* sic illud: *Ipse labat terrore polus, longâque negatum pace frui superis &c.*

22*dò*. Aliquando conglobatis, eruditionibus rem amplificant. Sic Mar-

Martialis. *Si meus auritâ gaudet Lagopode Flaccus. Si fruitur tristi Canius Æthiope: Publius exigus si flagrat amore catellæ: Si Cronus similem Cercopithecon amat. Delectat Marium si perniciosus Ichneumon: Illa salutatrix (avis) si tibi, Lause, placet: si gelidum collo nectit Flaccilla draconem: Lusciniæ tumulum, si Thelesina dedit &c.* ubi eruditè exprimitur, quòd varij varia depereant. Sic & illud in magni hospitis adventu: *Non alium certè Romanæ clariùs arces suscepere Ducem: nec cum cedente rediret Fabritius Pyrrho; nec cùm Capitolia curru, cùm Peliæ domitor Paulus conscenderet aulæ, nec similis Latias patefecit gloria portas. Post Numidas Mario, post classica Martis Eoi Pompeio.*

23*tiò*. Amplificant per Enumerationem partium. Sic præter alia exempla illud: *Te vel Hyperboreo damnatam frigore Thulen, sive per incensas Libyæ comitabor arenas &c.*

§ 4.

ENTHEUS POETICUS.

Ad Enthusiasmum Poëticum spectat, tum materia Carminis, tũ carmen ipsum genio Poëtico conforme. Ex Poëtis & natura hic spiritus Poëticus hauritur. Modos, ex quibus ducetur impetus Carminis, non sine specie laudabilioris Enthusiasmi, indicabimus, pluribus omissis.

Primò à sententijs materiæ conformibus carmen aliquando auspicamur. Sic author Poëmatis de Regina Poloniæ Ludovica incepit: *Imperiis qui iusta negat connubia, nescit regnorum Regumq́ vices. Viduata potestas tuta parum: Thronus & torus otia pacis parturit: æternus firmo stat robore nexus &c.*

Et illa virtuti cujusdam Panegyris: *Non Hermi tumor aureus nec ductum veteri nomen ab Inacho & Medi fulgur acinacis Potum Threiicii sanguine Concani, non illata Feretrio Clarat præda Iovi; nec Mareoticis Ceræ postibus illitæ, vel sors laurigeris septa bipennibus vt virtus solidæ conscia gloriæ extollit &c.*

Huc refer illud initium Poëmatis de contemptore honorum. *At nec protritos generoso calce tiaras destituit dotalis honos. It grandibus ausis Fama comes, profugoq́ꝫ sequax insistit, & alta virtutem Ludovice tuam iubet ire curuli &c.*

2dò. Fictionem tum materiæ, tũ eruditioni Poëticæ conformem recipit hic Entheus. Sic Sarbievius: *Humana linquo, tollite præpetem nubesque, ventique &c.* Idem: *Est & remotos non humilis calor lustrare Belgas Duci-*

Ducite Gratiæ E Valle Parnessi vagantem Pegasoni; alipedemq́ꝫ sacris frenate sertis. Vt micat auribus &c.

3tò. Propositio Allegorica non est ab hoc Entheo aliena. Sic Sarbievius. *Sunt & novarum non vacuæ mihi laudum Pharetræ: prome reconditum, ô Musa telum, quod sonoro Pieridum iaculemur arcu. Sit meta Præsul &c.*

4tò. Nec Paradoxum eidem Entheo repugnat. Sic de Renovatione Spiritus hyemali Paradoxum fuit: *Nova in hyeme messis.* Carmen sic incipit: *Me Ceres canis onerata culmis in melos urget: Cereale campis, bruma transcribit spatium, nivali dives aristâ. Vt seges falcem petit ante cancrum; nec rigor brumæ negat ire Sulcis. Vberes fœtus, nova dum perussit flamma Penates! Sic virent brumæ, rapidamque venis fervor æstatem parit &c*

&c. Sic Genetliacon filio mortis, ad Isabellæ tumulum cælitus renascenti: Ter *Io! mors uterum gerit, rursusque de vitæ feraci vita redit, trahiturque busto; interq; Manes vivifico tumet Lucina partu! Mors parit, aureos vitale per stamen passa dies &c.*

5tò. Res inanimes vel rationis expertes, in quædam hic Entheus commodè perurget. Sic ille: *I per triumphos, penna disertior:* Eous *instat victor, & inclytæ Laurus, triumphalisque capto Gange super spoliisq; Pæan: I per nivosos colles, ac Abylæ viga, quâ Phœbus ardentem reclinans, Hesperio lavat amne currum, trophæa pandes:* Et ille: *Ales Lechica præpetes Euri, vel siculi Fulminis impetus pennis vince volucribus: te deposcit Eos, tramitis arduus instat pennigeræ labor; Ister te rubeo decolor alveo poscit &c.* Et ille Entheus Epistolæ supplicis Romā: *I celer, & Latias transgressa volatilis Alpes. Litera Tarpeios aduena vise Lares, hîc Capitolinos supplex invise Penates & tales humili dissere voce sonos.*

6tò. Prosopopæia etiam inanimatis sermonis usum tribuens, familiaris est huic Entheo. Sic honor conqueritur se se conculcatum à Divo Borgia: *Solem perosus Borgia, Patrias non indecoræ lucis adoreas, dum linquit, ad Calpen sonoros, visus Honor geminâsse lessos, Ergonè Divûm progenies Honor, ac pota solem vellera, & asperi gemmis Tiaræ, sub modesto calce gemant! &c.*

Aliquando Persona loquēs quæsito accessu inducitur. Sic illa: *Non iam sonoris obstrepe tibiis, Phœbo secundum Calliope decus, Dum Nestor auratos Lechæi eloquii reservit amnes; tace, perorat lingua beatior. Dux faustiorum summe cohortium &c.*

7mò. Per rejectionem aliarum materiarum Poëta dat entheo locum. Sic illud Trochaicum: *Cur ſonet per ima flexo buxus erudita cătu? Parce, Clio per vetuſtos Barbito ſonare Manes. &c.*

8vò. Ex eruditione congrua ſumitur Enthei occaſio. Sic ſidus erraticum ſphæræ Atlantis additum; de fuga ſeculi in B. Staniſlao: *Etiam recenti luce beatior effulget Atlas, ac gemino ſtupens pupilla Cryſtallo, reclines ſub Lechica face gaudet armos: ſub tam decoro pondere baiula ſudare cervix cogitur!*

9nò. Sumitur impetus ac Entheus Poëticus ex quadam Analogia, & propoſitione ſimili. Sic illi: *Trophæum Virtutis: Tumulus ſpei, Funus honorum: Homagium Deo ex ſe ipſo.* de ultimo ſic incipit Poeta: *Eſt & profundi non violabile, cordis tributum. Non*

Non popularibus Numen, nec profanis Deorum cenſibus accumulătur aræ. Ditior eſt cenſus voluntatis. Vivâ litatur pulchriùs hoſtiâ, mentiſq; gazâ, Diis nihil obtulit, ſe dives vno, quiſquis altis appoſuit breve ſulgur aris.

10mò. Aliquando ſtruit Coloſſos vel inſcribit marmori aliquid hic Entheus, ut: *Aras erige Dædala virtus: Æterna magnis carmina Carpatis inſcribo ſaxis, diſcite poſteri, &c.*

11mò. Aliquando tumidum aliquid ſonat exordiendi ratio. Sic illa: *Nec me Latinis invida vatibus, exemit ætas*: Item *Et me Latinæ non ſolitum loqui, Iuſſêre Muſæ*. Et Iuvenalis. *Semper ego auditor tantum? nunquamné reponam? &c.*

12mò. Grata quædam novitas Inventionis Entheum condit. Sic de S. Borgia. *Mercurius Cantabricus*, ſeu nova ex Hiſpania, de novo Phæni-

ce, ex Isabellæ cineribus orto, ubi carmen incipit: *Quæ trans Iberi pronior ostia spectavit æther, quæ Tagus aurifer, portenta -- Lesbiis sonabo plectris, &c.*

13tiò. Aliquando sola Periphrasis cultior ac uberior alieno sensui inhæret, quem effert. Exemplum accipe in Parodia Paraphrastica Hymni Ecclesiastici. *Ave Regina cœlorum &c.* vide id in supplici Libello

§ 5.

GEMINUM EXEMPLUM DIFFERENTIÆ STYLI POËTICI AB ORATORIO.

Primum exemplum est apud Famianum Stradam in Prolusionibus Oratorijs de pulchro facinore captivæ apud Turcas Cypriæ, quæ cùm alijs captivis myoparoni imposita, intra receptacula nitrati pulveris, tuen-

tuendæ pudicitiæ studio ignem conjecit, fatalem navigio, & intra idẽ receptis. *Rem hanc stylo Oratoris sic effert prædictus Author.*

Intulerat jam sese in urbem Nicosiam hostilis exercitus, & suopte ingenio ferox, & victoriæ licentiâ furens ac præceps; cùm ne quid miseriarum deesset ultrà, subjiciuntur Civium bona, militum prædæ atque libidini. Diripiebatur urbs, insulæ caput, deliciarum sedes, & *quoddam hospitium Gratiarum*. Fluebat per fora, per vias cadaveribus oppletas, Cæsorum sanguis: non ætati, non generi parcebatur, & quod sine commiseratione dici nequit, sacra profanaque omnia rapinis, cæde, ludibrio distrahebantur, conculcabãtur. Una inter captivas infracto animo ac stante vultu, facinus aggressa omnium seculorum me-

memoria prædicandum, &c. vide authorem.

Eandem Historiam sic Poëticè incipit idem.

Postquam res Cyprias, sedemque evertere regni *(perba*
Odrysiæ potuere acies, ceciditque su-
Nicosia, atq; omnis mæret Cythereia tellus; *(ardet,*
Mustaphas acie victor truculentiùs
Attollitq; animos, civesque vrbemque remuxit *(addit.*
Militis arbitrio, & prædâ poscentibus
Diripiunt vrbem; & quidquid modo cæca nocendi *(cædis,*
Præterit rabies, subitaque insania
Et strages, non pugna fuit: pars altera ferro,
Altera pars iugulis agit &c.
Non ita sanguineum quassat Bellona flagellum &c.
Est locus extremis subducta in parte carinis &c. *Adsu-*

Adsuit hîc Cypris subitòq; in pectore flammæ
Exarsêre novæ, secûque: En, inquit, apertus
Libertati aditus: iuvat igne extinguere flammas.
Et nivibus sperare meis incendia &c
vide Auctorem.

Alterum exemplum est de Lusciniæ cantu, quem Oratoriè habes sub Eloquentia Thaumaturga descriptũs eundem versu Heroico stylo Claudiani. Idem Famianus Strada venustè describit, in Prolusionibus, Academia secunda, vide ibidem.

Tertium exemplum est in descriptione Panegyricæ Victoriæ Chocimensis, de Turcis eorumq; Duce Husseim Bassa. Hæc habetur in Oratore Peripatetico, & simul Pöëma de eadem victoria ibidem. Inde ergo discrimen tertium capies styli utriusque.

III.
PUGNA ORATORIA.
Pro Laconibus & contra Laconismum.

A Laconibus, qui locuti parciùs, ſtyli Laconici nomen. Multis hic placuit; ingemiſcente Tullio, cui roſtra oratoria inſueverant, ſpartæ oppoſitæ. Proferam utriuſque partis argumenta, & invicem committam. ſed priùs ſit,

§ I.

QUÆSTIO

An Divus Hieronymus verè vapularit,

Eò quod Ciceronianus eſſet?

Approbatur Hiſtoria, & Cauſa.

Tace, Tulli; cœlum te reijcit.

Nemo iuſtiùs reprobatur, quàm qui etiam cœleſti calculo. hic vnus ſi decernat ſupplicia, delirant maximi terrarum plauſus. Et tamen decrevêre Hieronymo, dum viveret religione Chriſtianus, ſtylo aut Tullij ſtudio *Ciceronianus. Pulchrum* id quidem Ciceroni, *quòd Hieronymo placuiſſet;* ſed cælitus correctus error, *& diſplicere cæpit inter verbera.* Tullius antea in deliciis ſacro Dalmatæ, ſomnoſque abrupit Arpinatis lectio: *ibant ſic dies, ſic vigilatæ noctes:* ſed tandem pænituit ſtudij, *quòd cæleſtē Nemeſim provocârat.* Nempe legenti Hieronymo vindex incidit ſopor, *ſubiitque tunc tribunal rea ſanctitas, in quo æquitas forum agit.* Crimen nulllum inerat integerrimo quod elueret; ſed nomen diſplicuit, & *Cicero reum fecit.* Chriſtiani quidem nomen Iudici jactabat; ſed Cicero-

nianum Iudex deprehendit, ac ut talem, graviùs reprehendit. Parum est reprehendisse; *etiam supplicio mulctavit*, dictumque etiam tunc contra Hieronymum *Romano more, I lictor, virgas expedi.* Aderant acerrimi Virgatores, qui ceu sontem plecterent, quod Romano Consuli studuisset. Objurgatus supplicio labor, *crimenq́; esse cœpit, Ciceronem legere.* sævitum ergo in exangue jejuniis corpus, & *vix erat plagarum modus, nisi Ciceronem eiurasset.* Nec jusjurandi licuit oblivisci, quod vibices corpori impressæ, nec *una à verbere cicatrix revocabat.* Ne somniũ id esse crederet verus vetabat dolor, & sulci corporis, quos *nescit arare sopor.* I nunc, & quisquis stylo Ciceronianus audire satagis, vel hinc id nomen, imò *pœnas nominis expavesce.*

Refu-

Refutatio prædictæ Historiæ & Causæ.

E cœlo etiam accersita fulmina Tullium, ab argutis Laconibus audiistis. *Fidem habeat, qui velit, somniis:* Certè innoxium non exterrent characterem. Equidem Hieronymus, etiam post illa verbera, stylo Tullianus, ubi licuit; & in sanctiori argumento *Non indoluit Roma Cicerone amisso, cùm eundem veluti redivivum in Hieronymo audiret.* Nec *stylum in eo castigavit æther*, si verbera intentavit: *Sed diminuta sacris spatia sic mulctata*, quæ Tullianis lucubrationibus profusius impendit, cùm divinior Hieronymum Sparta tunc posceret. Miror Laconicos tam levia tela opponere togato characteri, & à somnis petita. An enim Scholastica dicendi ratio & litera-

tura

tura, *nisi in morum contagia prorum*
pat, cælitum incurrat interdicta
quid stylus nocuit, qui virtutem vindi
cat, vitia lacessit! si quod in styl
hujusmodi vitium plecteretur, &
in Laconismi studium impulissen
verbera, at nihil minùs; cùm ne
nomen id audiretur, nec unquam s
Laconem diceret, nôssetque Hiero-
nymus. *Hactenus responsum ad somnia*

§ 2.

ARGUMENTA PRO LACONI-SMO.

Primum.

Totum ferme Latium pro Tullij
charactere decertat qui adinstar
fluminis, & *liberaliùs quàm suis Ni-*
lus ostiis diffunditur. Placuit hæc di-
cendi ratio *Romæ*; satisque encomij
est, huic placuisse: *Placuit Athenis*,
ubi

ubi Demosthenes Eloquentiæ quod-
dam Numen. *Adeò latè abiit*, per
tot jam ætates *hæres gloriæ, stylus u-*
berior!

Non inficior placuisse; sed nec argu-
tior, & succincta facundia displicu-
it unquam, aut impar gloriæ fuit
hæres. Nempe vetus & recentior
ætas eam approbat, & plerique pæ-
nè depereunt. *Romæ sibi hîc* non con
stitit, *neutri stylo obliqua, pronior in*
utrumque. Amavit Tullium, sed *nec*
Senecam oderat, qui Princeps erudi-
onis habitus; *nec Tacitum aulæ* ac li-
terati Senatûs delicium: *nec Plinium*
pro quo arma moveret Trajanus,
vti pro Curtio Alexander pro Floro Spar
ta acutior, hi verò logodædalos o-
derunt, Verbis quàm rebus, ac sen-
tentijs ditiores. *E recentibus* aures
tenuit Romanas *Ioannes Baptista Fer*
rariensis, cujus acumen & concisus
character plausũ ibi retulit semper
qua-

qualem ſæpiùs invidiſſent Tulliaſtri. Ijſdem planè veſtigijs in *ſummum ivit gloriæ Emmanuel Theſaurus*: quo nihil in argutis brevibuſque ſententijs opulentiùs. *Iiſdem Aloyſius Iuglaris*, qui ſtylum hunc elogijs Deo homine dignis conſecravit. *Denique idem dicendi genus Lipſio & Puteano novis Latii Duumviris*, quorum uterque cui non ſapit, Suada illi deſipit ac eruditio. *Sic Ericius in Suada Attica*; ſic Lipſius ubique loquitur, & habet invidos ſuæ gloriæ. *Imò nec Tullius* eidem ſtylo non patrocinatur, qui in Oratore: *Flumen*, inquit, *aliis verborum, volubilitaſque cordi eſt: diſtincta alios & interpuncta intervalla, moræ reſpirationeſque delectant &c: eſt tamen aliquid in utroque excellens*: Hæc ille; & ſufficit excellentiam conciſo characteri à Tullio concedi. *Sat illi gloriæ, ſi excellit.*

Argu-

Argumentum pro Laconiſmo 2dum.

Verbis confligere, Thraſonum eſt: plus nervi & lacertorum habet ſæpius, adſtrictior Oratio. Miles qui in hoſtem avolat, vibrantior ſenſus eſt: non gradaria ſermocinatio. *Languentis ingenii manûſque eſt, lentè ictum imprimere*: Periclem te malim fulminantem, at *fulmen breviùs tonat, ferit violentiùs*; non minatur ſed agit. Odi ingentes nubeculas, quæ mutuo invicem colliſu, cùm fulgura longo fragore intentarent, ſæpiùs imbelle fulgur effundunt. *Surdis tantummodo idem ſæpiùs repetito* clamandum, aut quibus ſenſus obtuſior obſcuriorque, niſi accenſis tot verborum funalibus, lucem afferas. At ubi exporrecta ratio; rerũ momentis, non Synonymis vocabulo-

bulorum plaustris indiget. Quod si vastitas, & quidam laxior hiatus laudi ducitur, minora etiam vastis molibus antestant. *Gemmam vel smaragdi frustillum malim, quàm cautem Rhodopæiam.* Huc facit illud Augustini: *Illa plus habent admirationis, quæ molis minimum: Formicarum & apium opera stupemus, non item immensa corpora balænarum &c.*

Argumentum pro Arguto Laconismo 3tium.

An ornatius deinceps nolis sæculum, sed semper in Romanorum Toga, vulgaribus etiam communi? *Novitas placet, ut temporum, sic ingeniorum stylique.* Quæ vetera, cum tempore obsolescunt, & fastidia incurrunt. *Vetustas item prior tantùm est non doctior meliorque: ars in momenta proficit, neq; antiquitas omnem artis glori-*

gloriam exhausit. Nec modi nec termini capax est humanæ mentis decus. Crescere in immensum potest mortalis perfectio, & quidquid extra Deum se celsiùs erigit, excedi se facilè posse cogitet. *Ea demum Divinitatis nota est, non posse crescere,* cui quidquid potuit debuitque, semel beata dedit necessitas: *alibi ipsa crescendi difficultas diminutio laudis est.* Scholæ insuper proscribunt, (loquar Philosophico more) *creaturam perfectissimam,* seu cui nullum jam accedere decus possit, an ergo eloquentia jam illuc pertigit, ut velut in auge novæ lucis augmenta respuat ac desperet? *Equidem ætas ætatem limare potest: quæ à Timante, vel Parrasio elaborata, Siparium nunc deposcunt.* Lapides ipsi gemmæque ab arte cultiores fieri nôrunt, *nec totas in eis tornandis vires opifex ars consumpsit.*

Hæc

Hæc verò nescio quid generosius spirat ætas, in eo nauseans, in quo heluari propè visa est antiquitas. Aures Atticas non quævis jam implet Oratio, nisi cui tot rerum, quot grandiorum sensuum ubertas imprimit venustatem.

Argumentum pro Laconismo Argutoatum.

Nec acumen brevioris Suadæ improba, si perspicaciam mētis in homine non odisti, quæ illum à brutorum familia luculentiùs discernit: *suaviùs item dixit, qui argutiùs.* Nam in argutia geminum decus, eloquentiæ & ingenij; cum alius lingua tantum peroret, sæpè taceat ingenium. Fuerit sanè alieniùs ab argutiore dicendi forma vetus sæculum, quod etiam Crassos protulit; sæculo & tempori illa servierūt inge-

ingenia, foro & litibus intenta non argutijs: eloquentia tunc supplice pro reo, non sollicita de arguti plausibus Oratoris. Quamvis nec forensis Oratio acumen refugit, eò quòd *ingenium ubiq; triumphet. Fumat Iliū* quod non Achilli aut Diomedi, *sed dolo, qui ingenii armiger est, succubuit,* didicitque quid Vlyssis facundia, *quid astus posset.* Adhæc nullum argumenti genus reijcit per tersius acumen vibrata Oratio, & breviter arguta. Quid enim? consilij publici momenta te circumagunt? Rerum compendia non verba adhibe, cùm deliberas, ubi potior est concisa & concinna dicendi ratio, quàm *equi ad instar Troiani verbis conferta Oratio.* Nec Iudicis miseratio aut severitas multis eget, ut eam prorites; *neque lacrymæ modum quærunt,* quibus nil citiùs arescit. Denique quid-

quidquid profusior conatur facundia, hoc perinde obtinet lingua temperatior, eadem rerum momenta proferens, breviore circuitu. adeoque gratiore. I nunc, *Verborum Saturnalia sectare*. Si Atticè loqui velis, propiorem Athenis spartam esse noveris, quàm Arpinum.

§ 3.

ARGUMENTA CONTRA LACONISMUM PRO STYLO AMPLO.

Primum.

Odit parsimoniam dicendi vera facundia, majorque illi gloria, Pæanum videri, quàm rivulum: *canalem potiùs, quàm concham*. Porrò illa, quam recentior dicendi forma profitetur *non tam Suada videtur esse, quàm* quædam *propemodum Parca*; ut quæ linguæ tenacior *silere potiùs videtur quàm loquì*, Nec copiæ studet, ut par

par est ornatè & copiosè loquentem dicere facultatem. Sed brevitati pænè Dialecticæ & exsangui. Quisquis hanc triario veterum characteri componit, *formicam confert elephanto*, soli planetarum Principi exilem faculam, Olympo nubes excedenti, atomum vix spectabilem. Ubi in hac ornatior schematum apparatus? ubi locorum & sententiarum motui servientium cõtextus? ubi flexamina dicendi ratio & majestas? ubi alia Oratoriæ facultatis lumina? Nempe in *deliciis modò sunt pumiliones, & compendia ut hominum, sic eloquentiæ*, cujus hodie luxus est, omni propemodum luxu carere, atque in tantum supervacanea reijcere, ut à necessarijs etiam abstineat; *malitque intelligi quàm loqui*. Hæccine est Oratoria maiestas? hæc dignitas amplissimæ facultatis? itanè

 picto

picto quidem & Phalerato, tenui tamen angustoque navigio, tam exaggerata merx imponitur? itanè ad *præruptos hosce scopulos* agitur? ad hæc brevia alliditur inclementer?

Argumentum secundum pro stylo amplo.

Quisquis extra veterem eloquentiam, plurimis præceptionibus instructam, usu continuo in hæc usque sæcula traductam, palmaribus semper probatam ingenijs, aliam molitur & approbat, næ is aliud approbare videtur, quàm ab idea prænobili degeneres monstrorum partus; ab amussi declinantem lineæ ductum. Quid enim in alio charactere, ideæ Principis Oratorum conforme? Quid in ea Tullius Romanorum & Oratorum Consul? quid suum in eodem Demosthenes agno-

agnosceret? & tamen in Tullio omnes elegantiarum deliciæ, omnes Rhetorum colores, ad certamen usque affatim abundant, *adeò vt nec in eo maiestatem Platonis*, nec Isocratis suavitatem, nec vim Demosthenis, nec subtilitatem Lysiæ, nec Hyperidis acumen, nec lenitatem Æschinis, Theophrasi elegantias. Demetrij myrothecia desideres Quid enim! *vbi labitur sine salebris*, fulmen quodpiam refert: *vbi incalescit vehementiùs*; pænè in ignem accenditur; *vbi aperte inhostem prosilit*; vix fulmen emicat validiùs: *denique proœmiatur aptè, narrat dilucidè*, pugnat acriter, ornat splendidè, humilia sublimiter, magna graviter, mediocria dicit temperatè, ut planè fasces in hoc consule obtinuerit facundia, nec *Par decus eloquio fas cuiquam sperare nepotum*, ut Silius de illo cecinit.

 nit.

nit. Ubi autem hic Princeps Ora- torum notas huic sæculo sectatur argutias? an non potius *ubique deto- nat eloquio*, gravibus micat senten- tijs, perorationibus fulminat? *an non Philippicas* divine, Verrinas acri- ter, Catilinarias premit præfervide! Audiistis & vos, bonarum artium inventrices Athenæ, Demosthenem, qui vobis toties arreptum immatu- ro consilio ferrum extorsit è mani- bus, armatos in Patriam cives ex- armavit; hic verò quàm ubique la- xiore fluit ambitu, nec redundat? quàm amentatis agit argumentis, non levioribus argutiolis, ubi vel erigenda imbecillitas, vel animan- da formido, vel armanda justitia, vel Clementia provocanda! Quid enim levi cerussa Orationem pin- geret, ubi non semel reus expallu- it? quid acuti Laconis gloriam vena-

venaretur, ubi vita miseris foret as- serenda, vel exacuendum in hostes ferrum, armanda municipia, con- citanda in sontes severitas?

Argumentum Tertium & Quartum.

Quid, quod argutior Laconismus Orationem cum Epigrammate con- fundat & Rhetorem velit adstrin- gere legibus salibusque Martialis? Sed Tullij Palæstram, non Parnas- sum aut Bilbilim, se incolere hi nô- rint, Romanos se Cives, non Sparti- atas aut Græculos. Adde quòd Spar tiatæ hi personati, *in temulentorum eloquentiam impingant*, quæ in qui- busdam nullo magis egere videtur, quàm mente, nam sæpe huic chara- cteri disparatæ sententiæ, & quæ se- cum non satis cohæreant, rationis speciem nonnihil adêmere &c.

§ 4.

QUÆ LACONISMUM EXIGANT?

Sunt tamen quædam, quæ stylum argutè Laconicum & brevem postulant. Sic scribuntur elogia, sic Epitaphia. De utrisq; & eorum stylo ac ideis abundè actum in Phœnice Rhetorum & Suada Civili. Elogia passim sic scripta leguntur in Emmanuele Thesauro, & Aloysio Iuglari. Hic Epitaphium adijcio:

Epitaphium M. D. Francisco Dębinski.

Lapide hoc ossa teguntur, non acta. *Nihil in hæc marmori licet, quæ mori nesciunt.* Si tamen & marmor disertum sculptura facit: erudit hoc in facundiam, sepulti gloria M. D. F. D. Is magnitudinem generi primam

mam debet, sed non totam. *Nam id eorum est, qui sic alieno clarescunt, ut non etiam suo.* Domus Patritia sic pueritiam excoluit, *vt summorum Fortuna solet*, & spei momenta jubent. Tenuit cursum eadem fortuna domi forisque; *talis ubique, qualem plerisque vota, fingerent, negarēt eventa*. Cracoviensis Palatinatus, finium metas illi commisit; quibus tamen *gloriam non inclusit, quin iret latiùs* Hinc Vieliciæ & Bochnæ cæpit gubernacula, *unde plus gloriæ quàm fortunæ collegit. Sic ille togatus: nec sago minor gloria.* In armis secutus est majestatem, *seu Aquilo posceret, seu Oriens.* Utèrque armis invictum togatæ paci reddidit. Nec cōnubiorum impar felicitas &c. *Magna hæc omnia, si forent diuturna. Sed felicibus negatum stare diu.* Hoc tandem sub lapide, quem illi Filiæ pietas

tas ponit, clausa felicitas. Et te viator, ejusdem fati admonet.

Nec alia quædam argumenta brevitatem styli non recipiunt. Quâ etiam exarata hæc.

Salutatio Serenissimi Regis invisentis Divam Campestrem Iaroslaviæ.

Aucta hodie hujus loci religio, cùm in eum deflexit Majestas regia. Nil *celebriùs loco quem sceptra etiam colunt, & Principes adorant.* Auguſtiùs imperat hæc Campi Domina, *dum illius plantis solia terrarum affunduntur, & sub sole, quem induta gerit, umbram quærunt.* Nec tamen per hoc deteritur. *Regum maiestas, quin pulcherrimâ hâc ruinâ feliciùs assurgat. Sic ruant regna, ne corruant. Solidat sceptra religio, & cultus Deiparæ,* *regni*

regni fortunam stabilit. Nec tuæ Majestati primum hâc iter; *impressa toties, premis iterum* pietatis vestigia, *parumque est eam coluisse semel, nisi adores semper.* Pulchris belli pacisq; artibus ætatem exigis, *dum pietas vbique media,* nec bellorum tibi successus præterit, nec pacis non ornat inducias; adeoque *non gloriosiùs regnas, quàm religiosiùs.* Auget loci felicitatem, Tua, Rex Maxime, ingens per orbem gloria, qua *ille tantum sibi Principum maior, qui te non noverit, minor qui acta contulit.* Tantus huc ingrederis; *quantum Te trophæa faciunt,* nisi hoc unum nobilius sit quod de te ipso trophæum erigis Magnæ Dei Parenti. Aderit illa, *quocunq; maiestatem intuleris,* & pro optatæ pacis tesserà, regnique tutela, lacrymis, quas gerit effigies perorabit, adeoque Te Principe --

 Hæc

Hæc ara tuebitur omnes. Eja faſtum Orientis rurſus opprime, *& doce ſervire æternùm poſſe, quem ſæpe viceris.* Eo te uno ſæcula internoſcant, quòd *ut amor es omnium, sic Orientis perpetuus terror.* Denique *quia noctē cum ſua Luna* deperit Othomanus, *æternam à Te accipiat,* atque adeo Tuis auſpicijs etiam hæc Luna ſit ſub pedibus MARIANIS.

Præterea inſcriptiones Coloſſorum, arcuum triumphalium, Laconiſmo gaudent, qui paucis multa, non ſine acumine comprehendat. Dedi ibidem exempla: & in Iuglari habentur.

Hæ verò inſcriptiones fiunt per titulos, vel per omnia, vel per encomia. Tituli rarius quid & pulchrius ſonent, omnia tempori, Principi, publicis votis congruant. Encomia ex ante actis, vel fortunæ vel ani-

animi bonis ducuntur. Sic illa inſcriptio Romana.

IOANNI III.

Dominatione Polonico, Lituanico

Liberatione, Auſtriaco, Pannonico

Profligatione, Othomanico Thracico;

Religione, Chriſtianiſſimo: Pietate, Catholico.

Zelo Apoſtolico, inter Duces pugnaciſſimo: inter Reges ſapientiſſimo: Inter Imperatores Invictiſſimo: Cui gloria militaris regnum peperit: Clementia ſtabilivit, meritum perennavit &c.

Trophæorum item inſcriptio concisè & argutè ſcribitur ſic,

Trophæum vindicatæ Pudicitiæ de S. Thoma Aquinate.

Non tam prælia, quàm trophæa hîc perennent. Imò & prælia quæ trophæis præmittit Heroum virtus. Sta in acie ſpectator & cui videre non contigit audire placeat Erupe rat in certamē Venuſtula Venus; *& Victrix erat, niſi in Angelicū incidiſſet.* Nam *hac in acie nemo depugnat feliciùs, quàm Angelus*, vel illi æmulus; tales hæc pugna poſtulat, *vicitq; qui plus de Angelo, quàm de homine gerit: totus Spiritus, nullatenus caro.* Occultarat dolum latebra; *ſed fraudes in ſole vidit, quem præ pectore gerit noſter* Pugil, jam & *lenòciniis blandita fallax Sirenula*: hæc enim ſunt arma, quibus *molles animæ profligantur.* At ſtabiſne. inermis bellator, ubi tantus aggreſſor arenam aperit? *Corripe arma in triumphum*, amat periculum, qui habere non curat, quo vincat. Non ſurdo inſiſtitur, *proximus arde-*

bat

bat focus. Hic *inermi arma obtulit.* Hinc flammeum votorum arripit, quem magis caſtus amor, *quàm ignis accenderat*: irruit cum hoc fulmine in Venerem, *& ignem igne diſſipat.* Et *vicit titio*, vicit fumigans ille torris: documento, *igneis armis aut fulmine opus eſſe, igneis animis, cùm oppugnat Venus.* Hic tamen *idem titio mox in Laurum eviruit, crevitque in trophæum.* Sic non *candido tantum calculo, ſed & carbone trophæa notātur!*

Elogium Auſtriacæ Pietati

In Auſtriacorum Regiam iter eſt: Rudolphe, itineris dux eſto, & ſcribendi argumentum. *Sequor præducem, quem Deus viator, tunc habuit.* Ibat non jam cæli, ſed Dei bajulus Atlas: Morbidus, cauſa itineris fuit, *quales Vitale hoc Ferculum quærit.* Ut velociùs ad ægrum adequitaret

ſalus, equi habenas Rudolphus tenuit rexitque: & *pulchriùs hoc, quàm Imperii habenas regere*. Nam *ut equitem faceret Deum, ipſe ex equo desilvit*. Actum id plaudente cælo, quod equo Rudolphi non invidit Cherubinorum gloriam, *in quibus Maieſtas illa reclinatur*. Poſtea tamẽ Rudolphus *non equo ſed throno inſedit, è Comite Auguſtus, primuſq; hic Auſtriacis auguſtal aperuit. Ita pietas,non ad cœlos tantum, ſed ad regiam iter pãdit*!

SPECIMEN XIV.

Admirabilis Eloquentiæ

Quoad rariora quædam

DE TROPIS ET FIGURIS.

QUæ de his Soarius alijque, non repetam: ſed quæ curioſitas addi velit.

§ I.

§ I.

RARIORA DE TROPIS.

Numeris hujuſmodi curioſa diſtinguam, quæ affero.

1. *Tropus non ſemper exornat.*

Tropi adhibentur ad ornamentũ Orationis vel Carminis; ſed eſt, cùm hi dedecorant potiùs, quàm exornant. Id verò contingit, cùm vel elegantiæ repugnant, ut illud cujuſdam Lyrici Potæ, - - *Cui nec odarum ſmegma genas tetigit viriles*: vel liberius adhibentur, quàm Oratio ferat, etſi carmen venuſtent: ſic illud in carmine probatur.

Sic niveum cervicis ebur! Sic lactea Colli
- defluxit hyems! *(nis!*
Ceſſit & auguſtis purpura nixq; ge-

At

At nemo id in Oratione approbet. Item nimia per tropos Venustatis affectatio vitiosa est, ut illa: *Verborum censu opulenta, rerum mendica Oratio.* Item cum Hyperbolæ nimis augent, vel rem minuunt; itē liberior Cathachresis, obscurior Allegoria, non exornant.

2. *Allegoriæ, quædam ornámenta.*

1mò. Allegoria illustrior quò aptior. nam in ea intervenit quædam comparatio, seu similitudo, quæ *quantò minùs claudicat, tantò pulchriùs gressum figit.* Sic aptè de baptizato Æthiope dictum: *Æthiopem lavari posse, eiq; candorem restitui, tu primus docuisti, cùm illum lustrico fonte primus, sanctiore ritu tingeres.* Transitio: *Naviget hinc aliâ sed mihi linter aquâ.*

2dò. Allegoria aliquando illustrior quò obscurior: id verò potissimum fit in ænigmate, quod sine illa caligine ænigma non est, ut patet.

3tiò. Allegoria illustrior quandoque, quò eruditior, ut illa Martialis *Sæpè in medio Tibure Sardinia est.* Id est, sæpe locus amænus & saluber, pestem aliquam & mortem afflat. Et illud: *Sine Cerere & Baccho friget Venus.*

4tò. Aliquando Allegoria à Paradoxo venustior: ut de Theophili rosis: *Ver in hyeme*, de Christi Domini in cælum ascensu. *Terra extra centrū.*

5tò. Allegoria trahitur aliquando ex dicto pervulgato, ut illa: *Dat veniam Corvis, vexat censura columbas.* vel *Amphora cæpit institui, urceus exit.*

6tò. Allegoria capacior acuminis & amplificationis, quò illustrior notiorque res, in Allegoriam trahitur. quod patet in Panegyri Allegorica longiori; tunc

tunc enim latiùs proprietates rei Allegoricæ accommodantur ad adjuncta rei aut Personæ per Allegoriam exornandæ.

7mò. *Aliquando in eodem contextu dicendi multiplex Allegoria usurpatur;* id autem contingit, cùm res eædem pluribus sensibus Synonymis efferuntur, & quilibet sensus Synonymus aliâ Allegoria exornatur, ut patet in exemplis allatis in Phænice Rhetorum. Sic illud: *Lactamus sæpe miseræ Matres Catulum, qui nos perimat, vel morsu laceret: rigamus sudore assiduo cicutam, quæ cùm in culmum adoleverit, virus nobis ad exitium afferat: Acuimus persæpe gladium, olim in nostro iugulo hebetandum.*

3. Antonomasiæ modi insigniores.

Hæc ponit nomen pro nomine, quod multis variat modis. *Primo, ponit* eruditum seu proprium nomen pro simplici & appellativo. ut si *Curius* pro frugali: *Vlysses* pro doloso: *Hyppolytus* pro casto, *Ganymedes vel Damocles* pro formoso: *Phaëton* pro incendiario, *Hymettus* pro dulci ponatur.

2dò. Ponit appellativum pro nomine proprio: ut dum *Scipiadas* vocat Poëta, duo fulmina belli: Gregorium Thaumaturgum Iuglaris, *Octavum orbis miraculum appellat*: & Roma Titum, *amorem & delicias generis humani* vocitabat.

3tiò. Ponit nomen gentis pro vitio genti illi familiari, sic *Asiaticus* pro molli, *Syrus* pro cupido, *Punicũ ingenium* pro faudulento, *Cretensis* pro mendaci.

4tò. Ponit locum pro vitio vel virtute loci: ut *Sardinia* pro loco pestilenti vel peste: *Olympus* pro fastigio vel re alta.

5tò. Ponit proprium pro proprio: ut cum Vladiſlaus IV. in Lechiade vocatur, *Alexander Lechicus, Mars Polonus*.

6tò. Ponit *Appellativum pro appellativo*: ut cùm *tardus*, vocatur teſtudo; *viſu perſpicax* Lynx; *Canities*, nives comarum vel pruina capitis.

7mò. Patronymicum ponit pro proprio: ut *Atrides* pro Diomede, *Anchiſiades*, pro Ænea, *Romulidæ* pro Romanis.

4. *Antonomaſia fons denominátionum & Propoſitionum Panegyricarum.*

Adde 8vò. quòd Antonomaſiá, ſit fons denominationum, quibus res, Perſonæ, loci, tempora, officia, virtutes & vitia efferuntur. Hinc etiam ſumuntur definitiones conglobatæ: ut *cùm otium* dicitur fomes vitiorum, magiſtra nequitiæ, Noverca virtutis, &c.

Hinc etiam Propoſitiones Panegyricæ derivantur, cùm titulus vel denominatio alicujus, eſt Orationis Materia. Quod pulchrius præſtabit Orator, ſi ſit ingenioſa denominatio & titulus concinnè inditus Perſonæ vel actioni, vel virtuti; ut ſi denominatio admirabile quiddam vel paradoxum, vel gratam hyperbolem, aut Allegoriam contineat, vel pugnantia ſecum ſuaviter innectat. Tales denominationes ſunt & materiæ, Orationis tum illa de natali Chriſti: *Natalitia ſolis æterni nox*: Tum illa de Pentecoſte: *Beatũ incẽdium*: *Amoris æſtas*: tum illa de S. Ignatio. *Ex milite imperator*: tum illa de S. Franciſco Xaverio: *Vir omnium linguarum*; tum illa de S. Stepha-

phano, *Infantis Dei corona.* Virtutū tituli complurés, afferuntur in face Aſcetica: Sic luxus *Charybdis auri, pudoris ſcopulus.*

5, *Periphraſis inſignior*

Periphraſis ornatior inprimis allegorica, Habes exemplum hic proximè allatum ſub Allegoriæ ornamentis in fine, ubi illud varia effertur Allegoria; In noſtrum malum aliquos erudimus. *Sic & tumor* cujuſdam laceſſitur: *Abſiſte ventis Aole, quid caſſum inflas follem, qui ſub hac tumoris mole, celſum mentitur collem? Quin altos ponis ſpiritus, queis typho plenus tumes?*

Secundò *Periphraſis ornatior fit ab eruditione*: Sic illa Periphraſis de Patriæ propugnationibus, contra varios hoſtes. *Tot iam decenniis Troia hæc petitur, nec tamen expugnatur; ubi*

ubi contra Vlyſſem Sinonemque dolis tumidum, validum manu Diomedem, non unus Hector perſtitit &c. Aliquando plures congerit eruditiones Periphraſis. ut illa ſententia: *Non ſic alia mala nocent ut piaculum,* exponitur latius in ſupplici libello, eruditè. *Non ſic Dardanus Sonipes, Aurumque Toloſſanum: Non vel Seianus Cornipes, vel nemus Africanum, non Lycambæo ſanguine tincta ſic nocent tela: nec pomum quod ferramine ſævo farſit Phenela: Non virus Epidaurium, vel Ponti herbæ truces, nil ut noxa tam noxium!*

Sic ludicræ actiones quorundam Periphraſi eruditâ efferuntur. *Solēne illis, cum feriantur, vel cum Caligula conchas legere; vel natare cum Macedone, cum Tarquinio metere colla paparum, vel cum Domitiano muſcas configere, cum Horatiis ſingulare certamen poſcere &c.* Ter-

Tertiò. *Periphrasis insignior à laudatis* aliàs sensibus Synonymis evadit. Sic *quod comperta semel pericula terreant. effertur.* Nempe *& maris naufragia, postquam semel naufragum perculerunt, à navigio pedem revocant & libata belli discrimina, Martem non facilè persuadent, & viæ latrociniis infames dum retinent.* Sic Poëta paratum in ardua exornat. *Non si per altas, ire me iubeas nives, pigeat gelatis ingredi Pindi iugis: non si per ignes, & infesta agmina: cunctor paratis ensibus pectus dare.*

Quartò, per similitudines, & cōparationes, Periphrasis protrahitur; idque Poëtis usitatum, cum in Heroico carmine, tum alibi, ut Sarbievius. *Qualis ubi Phrygiâ Iovis armiger educatus Idâ. Audax bisulci fulminis satelles &c.* Fit idem modo negativo, ut desiderium cælestis Pa-

triæ Poëta eruditè exprimit: *Non sic egelidas sitiens iter urget ad undas, Exul ab Idæis cerva Libyssa iugis: Nec sic adspirat sibi notas cervus ad herbas, Cum levis in læsis hæsit arundo fibris; Quantum sacra meas urunt incendia fibras, Queîs me sidereus Numinis ussit amor.*

Quintò. Periphrasis insignior ab aliquo loco Oratorio; Nempe à partiū enumeratione, à consequentibus, & effectibus conglobatis; à congestis pluribus definitionibus, seu denominationibus. Sic Poëta *in cælo nullum esse malum* exprimit per enumerationem malorum, quæ ibi esse negat.

Non ibi Cymmeriis regnat nox fæta sub umbris,
Sudus at assiduo cernitur ire dies.
Non urget niveos ibi cana pruina iugales;

Sed terit æstivam sole quadriga viam
Non ibi pallentes morbi, nec cana senectus: *(premit.*
Putris hydrops, nec ibi tussis anhela
At nec belligeri Mavortia signa Gradivi
Sed viget æterno fœdere tuta quies.
Non ibi funereas plantat Libitina Cupressos;
Sed datur æternos vivere posse dies.

Sic & illud *quod ignis terreat*, enumeratione aliqua terrentium ignium effertur. *Lux ignium sæpe gratum oculis spectaculum sæpius horror. Ardent Cometæ, & regna omine percellunt, fulgur turbinum ac procellæ comes, imò & fulminum præviùs satelles aversâ fronte oculisq; planè invitis conspicitur. Odit horretq; Ætnam Sicilia, Vicina Liparam aut Vesuvii flammas.*

A Definitionibus conglobatis frequens Periphrasis. Sic contra voluptuarios supplex libellus: *Vitreum te infascinat genis effulgens decus. Quod Camarina inquinat! Sic ossa rapit vermium, opertus nive fimus? sic caro tum fax ignium, tum grave olens limus? Sic æthram Phædræ postbabes; cicuta nectar, cœli &c.*

Sextò fit Periphrasis per sententias eidem rei accommodas, & locum communem. Sic devisendis exteris gentibus dictum. *Is domi lateat, qui foris Patriam obscuraret: domo pedem non efferant, quorum & res angusta domi: nec animus orbe maior, at angustum est magnis mentibus cœlum Patrium; solum vertere magnorum est cultura animorum.* Similiter de plausu ementito in quorumdam inauguratione dicitur. *Alibi coacta sunt gaudia, & penè scenica voluptas, Theatris potiùs quàm inauguranti pompæ propria; ubi tota plerisq; in vultu hilaritas & gaudium lingua mētitur. Quin*

& moles ibi triumphales, invitus dolor erigit, atque plausu teguntur odia. Nimirum prout est de gubernaturis omen, sic eorum culmine ducuntur animi vel ad plausus vel ad odia.

6. Tropi etiam Fontes argumentorum & Propositionum esse possunt.

Locus argumento fons apud Oratores; ego id nec tropis negaverim. Cujusdam dictis fidem non nemo derogat: Quia, inquit, Cretensis est. En *Antonomasia argumentum offert.* Quia Cretenses semper mendaces. *Alius paucis hominem egere*, ac tolerare vitam posse, probavit dicto Lucani: *Satis est populis fluvius que Ceresque.* At hic argumentũ ex Synecdoche & Metonymia. *Alteri suadebatur* temperantia in cibo & po-

& potu illo diverbio: *Quia sine Cerere & Baccho* friget Venus. *En iterum Metonymia* sedes argumenti.

Allegoriam dare Propositiones ingeniosas. quæ tota oratione expenduntur, notum est. idem præstare Antonomasiam innui, ubi denominatio sæpe propositionis vicem obtinet.

7. Hyperbolæ in Panegyri & exaggeratione aur diminutione locũ habent: talis illa in Panegyri: Sufficit radium à te tuisque majoribus derivare ut in alterum veluti solem accendantur minores umbræ. De naso grandiori Martialis: Nasus, quem nollet ferre rogatus Atlas.

§. 2.

RARIORA DE FIGURIS.

I. *Ex Paronomasia insi-gn[illegible] [illegible]ntentiæ.*

Paronom[illegible] quidam est in verbis Lusus, [illegible] [illegible]ustat Orationem, acumen tr[illegible] [illegible]ententias adornat: Hinc illæ [illegible] [illegible] colorem.

Alio profa[illegible] [illegible]nt, alio sana.
Dolos sciav[illegible] [illegible]olor.
Careant [illegible] [illegible] qui factis carent.
Vbi cura [illegible] in curia?
Vbi mel, [illegible] fel.
Quæ nocent, docent.
Convertunt quæ evertunt.
Virtus fragrat, cùm flagrat.
Tyrannus timet dum timetur.
Meliùs quidam fami, quàm famæ consulunt.
Calami pungunt, quos expungunt.

Vtili-

Vtiliùs bella reguntur quàm geruntur.
Rogo iniecta corpora, quid aliud sunt quàm fumus & funus?

Huc & illud cujusdam: Tribus vir probatur ac virtus; Poculis, loculis, oculis.

Difficile est vera dicere, difficilius audire.

2. [illegible] [illegible]idiam[illegible] [illegible]nes *Sententiæ.*

Sic illæ: *Lucent pleraque, dum latent: & nox, illa detegit, extinguit dies.*
In bono Principe, est quod etiam post fata vivat.
Tyranni arma gestant non animum.
Pudor sit. Si imbecillitas vitio suppletur non virtute.
Obiecta citò tabula plus proficit, quàm serò navis. (uti.
Faciliùs gladio bene, quàm calamo

Nullum

Nullum Patrimonium citiùs decoquitur, quàm Virtus.

Non omittam illud Senecæ: *O quàm contempta res est homo, nisi super humana se erexerit!*

Possunt Antitheta cum Paronomasia conjungi in una sententia? Sic illa. *Quosdam hostes citiùs viceris cedendo, quam cædendo.* Et illud: *Caligula aurum maluit, quàm laurum:* Et illa sen[...]a D. Ambrosij: *Deus tolerabilius iudicat infidelem integrũ, quàm fidelem divisum.*

3. Comparia suaviora ex oppositis & similiter cadentibus, ac eruditis.

Sic sunt illa. *Mors cita est invitis, sera optantibus.*

Tyrannus timorem exigit, odium elicit

Navis integra natat, divisa mergitur.

Eos fulminat invidia, quos celebrat fama.

Domitianus in campo spectator, in theatro bellator.

Erudita illa comparia: *Fama prætulit pictoribus Apellem, statuariis Policletum, Histrionibus Roscium, Plagiariis Autolycum, Gladiatoribus Spartacum, sculptoribus Phidiam, Victoribus Alexandrum.*

4. Rarior partitio figurarum.

Aliquæ figuræ aptiores ad numerum Oratorium; aliquæ ad ornatũ, aliæ ad affectus.

Ad numerum Aptissima comparia, Antitheta, similiter cadentia, ut etiam patet, ex exemplis proximè allatis.

Ad Ornatum deserviunt tum eædem, quæ ad numerum, tum Paranomasiæ non leves, ut patet ex earum sintagmate proximo; Tum Repetitio, tum Conversio, tum Figuræ sententiarum lectiores.

Ad Affectus valent Prolepses, sustentatio; Commiseratio, Ethopæia, Hypotyposis, Emphasis, Imprecatio, Apostrophe, Epiphonema, Exclamatio. Exempla tum alibi, tum in quinquaginta Orationibus de Passione Domini.

5. *Ex una Figura Sententiarum potest esse Oratio.*

Una quandoque Figura, totam conficit Orationem Talis est Ethopæia, cujus exempla plura attulimus, sub Eloquentia Pantomima.

Talis est Hypotyposis seu descriptio rei Oratoria vel Poëtica. Sic Hypo-

Hypotiposis de Christo Passo, totius poëmatis materia fuit Patri Andreæ Kanon, insigni Oratori & Poëtæ; habeturque in Fine Lyricorum ejusdem. Descriptiones Oratorias, tum alibi leges, quæ sunt longæ Orationis argumētum, tum in Acroamatis, & delicijs Sacris Bidermani.

Talis est distributio, cui, cùm partes distribuendæ subsint, eædem Orationem conficient. Quamvis autem tunc una per totam Orationē Figura reluceat, aliæ tamen à suppetijs vel pulchro comitatu non excluduntur, hic illic insperſæ.

6. *Iuvat ad exercitationem Oratoriam per omnes Tropos & Figuras unam sententiam deducere.*

Id verò si fiat aliis alijsque verbis;

bis, & cum nexu aliquo Sententiarum, eſt mirabilius. Exemplo declaratur. Sic hæc ſententia effertur;

Ebrietas deteſtanda.

Sinecd: Adhucné tibi *Opimiana mentem abſorbent pocula*, adhuc rario in cratere toties

Repetitio *paſſa naufragium*, idem naufragium amat, & *in cyatho*

Allegor *fata bibit*? Tanti ſcilicet eſt, Veſane heluo, quod gurgitẽ, quem ex hauſti tot con-

Epithon gij, imò milleni propemo-

Iron: dum cadi dilatant, ad ſummum impleas; nec piget liberaliùs aurum profundere,

Metonym. ut *exitium vitæ*, pariter ac patrimonij, *pretio accerſas*! Toties ergo - - *pleno te proluis*

Adjun. *auro*, Baccho ſimilior ſub hede-

hedera; aut belluæ, dum mẽtis impotem reddunt *Philo-* Anton:
theſia pocula? Verum hæc, *Cymbam Charontis crede*, quæ te ad Erebi clauſtra provehit: vel *littus Acherontium*, in Allegor:
quo, *vt mentis ſic fortunarum adis naufragia*. Quamvis quid te velut hominem compellaverim, qui *potiùs dolium Da* Correct:
naidum eſſe videaris, quod nemo utpote perfuſum impleat: vel gurges, cui *implendo* Anton:
Campaniæ vites haud ſufficiant. Imò *pelagus immenſum* Allegor
quod cum tot flumina capiat, ad Apoſtrop
huc ſitit. Sitis & tu inter fluenta, dignior hac pœna, *Tanta-* Metaph
le; *nec ſitim ulla edomat vitis, cùm, quò madidior, eò tu penè ſiccior*. Sed utcunque nectar Simil. cad.
illud tibi palatum delinit,

ex nectare ingurgitatio, *ex* *Grad:* *ingurgitatione fata maturan-* *Adjunct.* *tur*. Adeo lues hæc, quæ memoriam labefactat, vires debilitat, accersit morbos, præmaturam mortem accelerat! *Simil.* Quid quòd eadem & rei fa- *Cad. & des:* miliaris fortunam subruat, & humano congressui ac commercijs inutilem reddat, *Disjunct* & vulnus famæ, conscientiæ labem impingat, li- *Compar:* tium comes. *Patrimonii Charybdis, pudoris scopulus?* Nempe *male convenit, poculis cum loculis*, oculisque; *primis in* *Paronom* *fæda duobus; & vbi mel potatur fel animus bibit!* quare timéda tunc memoriæ, rerum o- *Distrib:* blivio: rationi, *voluntarium delirium*: animorum conjunctioni, divortia; paci duella:

la: *vbi non furor ab armis*, ani- *Adjunct:* mus à vindicta, non lingua à jurgijs, sibi temperare novit. Iurgijs autem? imò cru- *Compar:* entis cædibus, in quas jurgia vel *duella* desinunt, *mille Cly-* *Antith:* *torum funeribus profanata*. Quid verò? an pudoris jura *Repet:* à temulento requiras? con- *Corr:* vellit hæc *immemor legum te-* *Prolepf:* *mulentia*. An rei domesticæ *Inter* damna, propulses ac arceas? amantur hæc inter compotandi licentiam? an rationē decori tunc exigas! sed *quid* *Respon:* *ab insano huiusmodi speret ratio, vel Catonis Oratio?* non e- *Hypot:* nim hominem, sed belluam refert, dum *emota mente*, vultu projecto oculis sævum micantibus, vacillante gradu, emarcido & elumbi cor- *Etopæ:*

pore

pore, voce insanum quiddã personãte, gressum titubantẽ glomerantẽ non *ei lingua sui retinens*, non manus à cædibus vacua, non virium vigor, *quas languor deiicit*, sopor illigat, morbi acersiti atterunt. *Iaceris tot insepultæ cineribus Ebulorum animæ*, quas, in sui ludibrium, antiquior tulit ætas, iret in posteros, vestri nominis labes, nisi nepotum major esset, quæ vestram abolet. Superant vestrum morem *spongiæ huius ætatis, quibus sitim maiorẽ accendit potus liberalior.* Haud dubium, quin redivivi, illis inter pocula conspectis, illud exclamaretis: Prò! quàm nunc temulentior successit ætas, quæ *exempla veterum*

Apostr: *Prosop:*

rum, potandi usu longè superat! Ex *nobis Diothimus, infundibulum dictus*; at canales sunt siccæ hæ animæ, *per quos tantum Massici semper defluit!* Miseret nos tuî, infelix sæculũ, quòd nec nostro ludibrio ac interitu sapias; grandiori ludibrio futurum! Utinam vel exhaustæ opes, vel fracta valetudo, vel pallor oris emortuus, te in saniora revocet! Sed age quod libet; erit cùm serò vesaniam damnabis, vel ære alieno gravis, vel præcoci fato infelix. Quid tu eligas, maturè videris. Aut enim temperantia *vitæ altrix*; aut *eius peremptrix in poculis, temulentia* tenenda; quam tamen horret, qui vitam deperit. Per hunc igi-

Commis-sere *Optat:* *Concess:* *Distrib:*

tur vitæ in ævum maturius producendæ amorem, si quis etiam nunc in te viget, te

Oltrec: obtestor, *Crapulæ tandem modum pone.* Alioquin, si non desistis, ita te devoueo; fata te inveniant, quæ non pertimescis; secundùm quæ *sitim hanc tam perditam palus Acherontia restinguat &c.*

SPECIMEN XV.

Admirabilis Eloquentiæ.

Quoad rariora quædam.

DE DISPOSITIONE.

ETiam de hac occurrunt aliqua, non incongrua Eloquentiæ Admirabili.

§ I.

AN ORATIO POSSIT ESSE SINE EXORDIO & PERORATIONE?

Si Areopagi standum sententiæ, serò id quæritur. Nam ille vetuit Exordia, vetuit Perorationem, in Atheniensi foro. Nempe *forum, locus æquitatis est*; at verò lenocinia proœmiorum, & ex arte concinnati in peroratione motus, sæpè animũ judicis alio flectunt (*tanta vis est velut præstigiatricis Eloquentiæ*) quàm quò æquitas ducat. Quia tamen etiam extra Areopagum illum, est Oratio, nec ibi tantùm curia & forum; ideo contra illum insurgo.

Tribunal contra tribunal.
Seu Actio contra Atheniensem Areopagum.
Oratoribus Exordio & Peroratione interdicentem.

Non satis Iustitiæ per vos prospectum Athenæ, dum Areopago causas commisistis. Aliena hic tãtum, acta ventilat: quem verò à se perperam actis arbitrum formidet, non habet. *Alio eget Areopago vester Areopagus, ne ullum Athenis crimen sit, quod forum non metuat. Regnant serpuntque piacula, quæ Iudice & vindice carent.* Atqui *tribunal non rarò ipsa merentur tribunalia, & acrẽ Aristarchum Iudices,* Quid enim *si cum scelera plectunt,* ipsi se piaculo obstringant? Scilicet *ita forum agit terrena æquitas,* ut extra leges non

non abeat, *nec culeum ipsa quandoque mereatur!* Quasi judicis manus, *omni noxæ illum eximat, nec delinquere nôrit, qui noxas suppliciis coërcet;* Ego equidem *Areopago primus Crimen obiicio:* Vos, Athenæ forum agite, & quia semper *bonarum artium altrices fuistis;* actori imò æquitati favete. Eloquentiæ, quæ apud vos culmen obtinet, causa agitur. Hãc Areopagus, vester pænè *obtruncat, dum illi caput adimit;* imò *personatum Hermetem efficit, cui per vestros Iudices* innoxiè truncato pedibus, nihil supersit, cui robustiùs insistat. Sic vestrũ illud & *humanæ linguæ decus,* extinguitur, dum sic mutilatur. Id verò crimen, Areopagi vestri est, qui Oratoribus Causarum, exordia & Perorationes præter omne fas, contra jus omne vetet. At sine his truncata & elumbis est, & *pænè ca-*

put pedesque amisit omnis Oratio. His movet lacertos, his vitam retinet, *aliàs exsanguis* omnisque motus expers facundia. Nempe motuum locus est utraque pars illa, quam *forum Atticum recidit*. In prooemijs animos contra auscultãtis occupat: in fine, affectuum & movendi artificio triumphat. Actum sine his de reorum patrocinio; actum de causarum subsidijs; etiam justiori causæ pertimescendum, si, quo Iudicum suffragia in æquitatis partẽ saltem dubia inclinantur, tolli permittitis. Adhæc *multum sibi arrogat Areopagus*, dum innocentem eloquentiam supplicio addicit, vel *novis legibus circumscribit*. Non illi in sontes ulla potestas. *Crimina hujus* fori sunt, quæ *sola Iudicem poscunt*, non Eloquentiæ adminicula. Natura illius præscripsit, quid hæc facul-

facultas requirat: *nec Areopagi est. rerum naturas vel artium immutare.* Quare agite, Athenæ, acta Iudicum iniqua rescindite, & geminum illud, causæ cujusque adminiculum revocate. Si quid de vobis vester Demosthenes, si quid Athenarum Eloquentia meruit; *meritum hâc saltem benevolentia reponite*. Debebit *vobis Eloquentia vt Originem, sic tutelã*; si hæc reorum, causarumque subsidia retinẽda Eloquentiæ decernatis.

Decisio Quæstionis.

Quando *iam Athenæ silent*, frustra ibi Areopago litem intendimus. Nec damnari meruit, qui alibi Oratorem agere suo more, suo jure permisit, etsi à Causarum actoribus sola causæ firmamenta requireret, non verborum & affectuum lenocinia. Nec id reo nocuit, si omisso exor-

exordio causam rite firmavit, *circumscriptus ibi Orator*. At neque patrocinatur malæ causæ omissum proœmium, aut bonam evertit. Cæterùm *Athenis tacentibus* ita rem decidimus. Est, quando etiam extra Areopagum exordio locus non sit; nempe in senatu, seu dum Quirites deliberant. Nam exordijs auditorum animi ad reliquam dictionem præparantur, ad deliberandum autem parati accedunt, ut consilia vel invicem conferant, vel exquirant. Si tamen difficilius quiddam suadendum occurrat, *non sum Tribunus, vt vetem* adhibere tunc proœminum, & insinuationem præviam. Potest hujus rei exemplum sumi ex Poëta Tomitano, ubi inducit Ajacem cum Ulysse pro armis Achillis decertantem actionum momentis. Ibi enim ex abrupto, sine exordio Ajax incipit: *Agi-*

-- Agimus, prô Iupiter, inquit.
Ante rates causam, & adhuc præfertur Vlysses! &c.

Vetera in Panegyricis, quales ætas hæc pluribus inscribit, sæpe exordio misso, prima ferme periodus Propositio est, nec attentio, vel benevolentia auditorum initur exordientium more. Vide tum alias, tum Panegyres in Oratore Mariano: & ita fieri fateberis.

Item in officiosis Orationibus; quales sunt salutationes, gratulationes, funebres Lessi, sæpè exordijs opus non est. Sed à re ipsa, vel aliqua propositione ordimur, quam statim confirmamus. Denique *in Elogiis & Epitaphiis* non est exordium, nec peroratio, sed materia assumpta continuò deducitur concisè, argutè, sententiosè.

§ 2. AN ORATIO POSSIT ESSE PERPETUA NARRATIO, SINE ALIA CONFIRMATIONE?

Respondeo in Orationibus Panegyricis, sæpè continuam esse Narrationem Panegyricam, quæ locũ confirmationis occupat. Quia tũc expositis actis laudabilibus longa seriè, cum colore Oratorio, hoc ipso velut argumento irrefragabili comprobas, non indignum illum Panegyri, quem laudandum suscepisti. Sic continua Narratione vel majores alicujus, vel acta singularia, ut Legationes, Victoriæ, vel expeditiones bellicæ, aut virtutum & scientiarum enumeratio, quæ in laudando relucent, tota Oratione Panegyrica decurruntur. Nihil tamen impedit, quominus tali narrationi

tioni permisceātur loci aliqui communes, vel digressiones opportunæ.

Sic item Elogia panguntur; ut videre licet in Thesauro, Iuglari, Masculo &c. ubi historiæ sententiis & ácumine exornantur tractu continuo.

§ 3. REFUTATIO DUPLEX.

Alia refutatio est acrior & indignabunda, *alia sine bile* & pacatior. *Primæ exemplum* habes geminum sub Fulminatrice Eloquentia contra Licinium & Lucanum. *Secundæ locus est*, ubi sedata consilia, vel materia refutationis, solidis potius argumentis, & *sale eget potiùs, quàm bile*. Talium idea est in Quintiliani declamationibus, ubi refutandi locus occurrit. *Hic Alexandri* dictũ refutatur, quo usus, dum illi no-

cturna hostis aggressio suaderetur. *Non soleo* inquit, *furari victorias*: quare *à suis ille victoriis dolum removit.*

Refutatio Alexandri.

Non soleo (inquiebat: *furari victorias.*

Sensum Alexandri audijmus; sed cui cõtradicere licet libetquè. *Regem veneror, dicto non acquiesco.* Non *est Apollo, vt dicta illius censenda sint oracula.* Victorias aut exemplo dissuadet clàm initas; aut alijs quidem sic vincere permittit, sed sibi inglorium ducit, *quasi quædam indecora sint Alexandro*, id est Magno, *quæ aliis illo minoribus decus pareret.* Neutrum persuadet: *nil victori* illi *decerpit gloriæ, clandestina felicitas. Et palàm & clàm vincere licuit semper. Non dedecet item, vtro modo vincas, & magìs dedecet, si palàm vincaris.* Sæpe

pe insuper te tuosque fortunæ obijcis dubiæ, aut cladi non incertæ, si aperto Marte confligis. Quod si *vereare, ne dolus gloriam infringat*, & tu *non metuenda times*, sic damnabis cuniculos, sic occultam vim fatorum, sic te ipsum; si meliorem hosti locum in certamen delegeris. Ita potuis ages, ut *metum* etiam, *primũ* immotis armis *hostem profliges. Magna pars Victoriæ, dum te hostes expavescunt*; jam illos timor prostravit; *si alterum à tua manu ictum excipiant bis victi*, tu bis pariter victor eris. At verò *hostis occultas vires magis formidat*; *quàm quæ palàm exterrent.* Quidni ergo his in metum adigas, quem *ante aciem sic vinces, bis formidandus.* Hoc planè est, *ingenium militare, non manus solas adhibere in prælia.* Idque pulchriùs; nam *manu etiam amentes palàm confligunt*, pru-

 dentia

dentia *& Mars ingeniosus, rationis pedissequus est, vincitq; vt rationabiliùs, sic homine digniùs.* Hinc *Veteres aliter remunerati Deos si acie non arte hostem fudissent.* Minor hostia victoriæ laudem discernebat, major hostia majorem. Industriæ & occultis artibus, plus ibi delatum; alesq; in apertam victoriam, ibat hostia, bos seu major victima in occultã, aut *ubi dolus armiger.* Imò paucioribus eget in vincendi suppetias, qui dolum pro Commilitone advocat, quo virtutem suppleat, vel integram in magis ardua conservet. Quodsi utroque pugnet, iterum bis victor est, quod & robur corporis exerat tunc virtus; & *dolus, animi vires.* Quare si dolum impugnat, effato suo Alexander, vincat ut velit, *ego vincere malim pulchriùs, quàm Alexander, vel elephanti,* qui viribus corporis vincunt &c.

SPE-

SPECIMEN XVI.
Admirabilis Eloquentiæ.
Quo ad rariora quædam
DE INTRINSECIS, EXTRINSECIS, & SUASIONIS LOCIS.

AD Inventionem Oratoriam spectant prædicti loci, de quibus hic aliqua.

§ I.

LOCI INTRINSECI MODO RARIORI ATTINGUNTUR.

I. *Definitio scholastica rarior.*

Rarior hæc erit, si Allegoriâ exornetur. At illa non exornat Licinij definitio, qui *literas virus & pestem reipublicæ* asseruit. Meliùs Æneas Sylvius, qui *literas in vilibus*

 argen-

argentum, in nobili aurum, in principe gemmas pretiosas esse duxit. Rarior & illa Allegorica definitio Immaculatæ Conceptionis: *Prima à pomo Adæ abstinentia.* Item *Contritio sine pœnitētia*, ubi alluditur ad illud *conteret caput tuum.*

Rarior, & definitio erudita: Sic illa est: *Voluptas est animorum Circe: est dolosa Siren.* Lingua, *Orbis Phaeton.*

Rarior item est, si ex Antithetis coalescat. Sic Siren Claudiano: *Dulce malum Pelago*, vel *blanda tyrānnis*, voluptas.

Rarior item definitio per ænigma Sic sese Psittacus definit, aut describit: *Altera me in terris non est facundior ales.* Et Sphinx hominem ænigmaticè definivit.

Rarior definitio & per Paronomasiam: ut *Aula est aura.* Magnum *infor-*

infortunium est magna fortuna: Et nonnemo *faciem mulieris facem esse dixit.* Nivem Martialis pulchre vocat: *Tacitarum vellus aquarum.*

Definitio Politica.

Hæc præter insinuatos modos sumitur ex Urbanitatis legibus ex arcanis aulæ & politiæ, ex Aphorismis politicis, ex dictis Principum Sic *Tacitus* Avaritiam & arrogantiam, *præcipua validorum vitia* vocat. Sic eidē assentatio *fœda servitus* malignitas, species Libertatis. *Sic Curtius* in Alexandro, iram & temulentiam vocat: *Invicta mala Alexandri.* Sic sunt illa Principum dicta symbolica; ut Antonij: *Regni clementia custos*: Antigoni, *Regnum, splendida servitus* Alberti II. *Amicus optima vitæ possessio.* Aurelij: *Rex est, lex animata.* Huc illæ definitiones spe-

spectant. *Veritas, privatæ fortunæ bonum. Principum vita, perpetua est vulgi censura. Benevolentia, est optima custodia.*

Lubrica res est, præesse.

Inter bonum Principem, & bonum Patrem nil interest.

Pontificia Papæ dignitas, honorum Non *plus ultra.*

Et Poëta; *Vini pernicies*, abite *Lymphæ.*

3. *Definitiones Sacræ.*

Hæ aliquando ex Sacris literis desumuntur, ut sunt plerique tituli MARIANI.

Ex Patribus ijdem MARIANI tituli digesti sunt per alphabetum à Paulo Barry integro libello. Huc facit ille titulus, ubi Deiparam vocat; *Rempublicam omnium Gratiarũ*, nonnemo. Hesichius, *Formam Dei.* Huc

Huc illi tituli faciunt tum virtutum, tum vitiorum quos congerũt interpretes scripturarũ. Sic Ebrietas, *voluntarius Dæmon*, vel *voluntaria insania*. Sic ira, *furor brevis est.*

Etiam Divorum Panegyres sæpe denominationi sacræ inhærent, sed Harum eadem ferè est Praxis, quæ & profanarum, tantùm argumentô differunt.

I I.

Notatio Nominis varior

Non tantum huc refero Originem, sed & alias nominis affectiones

Ex Nomine varia trahit Orator.

1mò. *Trahit* acumen, si quod patitur nomen. Sic illud de Divo Nazario tractum aptissimè! *Hunc etiam*

am florem messuit Neronis gladius. Trahi *potest oppositum acumen*, dum nomen sic potius suadet. ut de Divo Petro noxam triplicem deplorante.

Nunquam mollior fuit Petra, quàm cùm in lacrymas sic liquesceret, tota iam in amorem tota in Deum cerea.

2dò Trahi potest omen ex nomine: Sic natalis Vladislai IV, qui in festum SS. Primi & Feliciani inciderat, omen facile Principi gloriosũ traxit; Eumque fore *primum, qui sine æmulo. felicissimum qui sine suffragiorum dissidio rex diceretur*: atque id de illo omen fuit Clementis VIII. velut Oraculum. Et certe -- *pulchrum suum trahit omina nomen*. Hinc dictum de B. Stanislao. *Ipsum etiam tibi nomen, in nova laudis & famæ auguria inditum, vt cùm virtutum & gloriæ fastos grandibus factis impleveris; conflaret, non ex vano præsagum*

sagum gloriæ nomen tibi inhæsisse. Tuo certè nomini haud timẽdum illud: *Mors etiam saxis nominibusque venit*: vivet illud &c.

3tiò. In laudem potest trahi simile nomen. Sic in Panegyri Ioannis III. Regis Poloniæ, alluditur ad Ioannem III. Lusitaniæ Regem, triumphis Orientis clarum. Item ad nomina antecedentium Regum Poloniæ, Ioannis Alberti, Ioannis Casimiri: *nam pridem hoc nomen, Orbis in soliis adorat*.

4tò. Trahenda in exornationem Nominis & alia Eruditio: Sic ille de Leone Sapieha: Grandior tu mihi Pericles, quàm ille in utero Matri, in bello Athenis Leo visus creditusque.

5tò. Nomen trahitur in Anagramma congruum Pulcherrimũ illud ex eventu expresso, quod conficitur ex hoc nomine. *Pater*

Pater Henricus Garnetus.

Pingêre cruentus aristâ. Nam gutta sanguinis illius pro fide cæsi, cùm in stramen inciderit, ejusdem vultum eidem stramini impressit.

6tò. Pulchrum, si quis sit *vir sui nominis.* Sic vocatur, *qui mensuram pulchri Nominis factis adæquat.* Sic Probus Imperator *verè Probus.* Sic Alexander, cujus nomini orbis succubuit, nec molem Nominis ferre quisque promiscuè potuit; illud à militum duce Alexandro in Tyri obsidione requisivit *Fac nomine, quod geris, dignum facinus; aut Nomen Alexandri pone -- Pulchrum properat per vulnera nomen,* & per gesta ducum.

7mò. Mendacium nominis duplex. *Primum est, dum pulchra nomina mentiuntur.* Sic in Commodo, sic

sic in Lucio vero, & plerisque alijs nomina laudem mentita, quâ caruerunt. Horum cuique meritò occlames: *Vox est, pætereaque nihil.* Viderit *Dionysius* Siculorum Rex, quàm verè *unam è Filiabus Iustitiam, alteram verò temperantiam vocitant.* Dedecorat sese quisquis *præclaro nomine tantùm insignis.* Speciosiùs est, *cùm nominis labem facta refutant*; atque id, *est alterum mendacium nominis*, sed innoxium Sic apud Bidermanum S. Barbara de se dicit. *Mentitum nomen, se probat esse meum.* Sic de S. Vincentio Ferrerio *Ferrũ in cognomẽ adm. sit alioquin totus Aureus*

8vò. Vanitas nominum & titulorum in quibusdam carpitur. Quis ferat audiatque illa nomina, quæ sibi Sapor ad Constantinum scribens inscripsit? *Sapor Rex Regum, Princeps siderum, frater Solis & Lunæ!* quis

quis Solimano non indignetur, cùm, se, Carolo V. itidem scribens, vocitat. *Regum & Dominantium Regem & Dominum?* quid cùm Rex Brinsnagensis sese appellat. *Sponsum bonæ sortis, Magnarum Provinciarum Deum, Magistrum loqui nescientium; Equitem, cui nemo par, Elephantorum Venatorem &c!* quid cum Soldanus de se! *Omnipotens ante Carthaginem, Dominus Paradisi, Præfectus Inferni, dominus aridæ ficus, amicus Deorum; Dominus, quâ Sol & Luna meat.* quid cùm alij *iugera quædam Nominum* assumunt, ut Afer ille ampla nomina vocat. Atsi quæ, hæc potissimũ sunt, de quibus Poëta.

Usibus edocto si quidquam credis amico,
Crede mihi, & longè nomina magna fuge.

9nò. Nil obest exilitas Nominis, si facta suppleant? *Sol breve nomen gerit, sed orbem illustrat utrumq; & Iovem è planetis unum superat.* Rex item *tantillum nomen est*, & immensa regnorũ, imperio coërcet. Quin & Castellæ fasti memorant Alphonsum Regem Regis Galliæ Philippi primi Filio alterutram è Filiabus in Sponsam obtulisse, Urracam, vel Blancam. Priori plus fortunæ, quàm alteri inerat; sed nomen displicuit. Flexa igitur in Blancam vota; & *Cùm iniuria formæ obiiceretur*, illud duntaxat oppositum est: *Nomen supplebit.*

10 Nomina quandoq; numeris efferuntur. Sic faciunt qui Cabalisticæ artis perstudiosi. Sic Sacratissimum IESU Nomen à Sibyllis: Sic Antichristi nomen à Ioanne Apocalyptico expressum, suprà retulimus.

III

De Effectis aliqua rariora

Mira naturæ Effecta lectori sub Eloquentia Thaumaturga exposui; hic imprimis.

1. *Mira Artis Effecta.*

Non est unius Libelli opus, mira artium complecti. Quot artes, tot sua illis prodigia, quæ mirum in modum moliuntur. *Talis fuit Archimedis sphæra vitrea*, cæli æmula. *Architæ* lignea columba volitans: *Leonis* Imperatoris aureæ aviculæ cantillantes. *Nam Boëtii aviculæ* manufactæ cantui volatum adjunxerant. *Quid sclopi Æolici*, seu vento tantummodo per artem onerati? quid imbres, nives, *Irides, ex arte confectæ*? quid ignes artificiales? igneæ pluviæ, *Pyroboli aquatici*! quid *Ioannis* Regiomontani *aquila* Carolo V. Norimbergam adventāti, volatu obvia, eundemque in urbem comitata? *quid musca ferrea* Norimbergæ è manu opificis subvolare, circumvolitare convivas, tandemque veluti volatu fessa, & labore functa, in manum sui artificis redire visa? quid *ibidem lupi simulacrum* obambulans, pulsansq; tympanum? *quid Kircheri lacertura chartacea* sursum & deorsum per columnæ superficiem reptans? *quid Æsopulus vitro inclusus*, bovem adversū fugiens, averso imminens? *quid Panormi statua* Cytharam cōcinnè pulsans & ad numeros in mensa saltitans, tandemq, spectatoribus urbanissimè acclinis? *Quid denique Machina illa Norimbergæ* in Pyramidem fastigiata, in qua simulacra tot artificū, quot artium operūq; ubi singu-

lis suæ artis instruméta addita, quibus personati illi artifices usi in exercitium artis propriæ ad impulsum unius rotæ? Ibi jam vidisses pictorem in effigie coloribus adumbranda laborare; Pistorem subigere farinam, molitorem in rotam aquas derivare, tonsorem suam exercere tonstrinam: Lanionem Tauri capiti securim imprimere, alia alios moliri ex suæ artis præscripto.

Sed artium mira in Neapolitano Porta in Kirchero, in Gregorij Schoti Magia naturali alijsque leges, & miraberis.

2. *Artefacta aliqua exornantur.*

Lyræ.

Arbori vocem ars indidit, seu tibiam spectes, seu Lyram, quod ita sonet

sonet cavitas vocem reverberans. Dulcem catastam diceres, in qua *tam lætùm sonora ilia tenduntur*: & nullibi sic *inter tormenta suaviter canitur*. Balarunt vivæ antea oves; post *fata suaviùs canunt*, dum in fides aptantur earum viscera, *ediscũtque extinctæ artem musurgicam*, in vita sic indociles. Ibi mille vocum discrimina; ibi sonus nunc gravis, nunc acutus; nunc tremor illum animat, nunc molles numeri dissolvunt, nunc duri efferant. Mollescit ibidem & stamen æreum, ac percussum suavissimè respondet canoro tinnitu. *Sic testudo etiam* vocẽ *edere didicit*; & digiti, vel plectri magisterio sapit, atq; *ingressu antè tardior, in cantu sonum præcipitat* & scitissimâ vertigine cursum circũagit.

Orga-

Organum.

Hic tot guttura, quot fistulæ hic plumbum novo ſpiritu animari crede, quo ubi omnia plena, dulcè concinunt. Folles animum infundunt, qua intumeſcant. Exanime tamen opus, & *mutum omnibus guttur, niſi digiti increpent.* Ab his eruditior ſonus & ſuavior Harmonia, nunc ſonoro carmine, nunc medio. Nec unum funditur veluti ab uno cantore melos, ſed tot concinunt, quot digiti jubent, nec unũ alteri inconcinne obſtrepit, ſed omnes *conſonant, etſi diverſa ſonent*, quo ſuaviſſimè ures, & auram permulcent

Pictoria & Statuaria.

Multùm penicillo debet oculus, multum ſcalpello alterum illi mundum

dum in imagine, & multiplici ſtatua præbet. Color enim & cœlum artificis ita naturæ ſunt ſimij, ut, cùm animantia effingunt, *vivere credas ſi vocem audias. Sæpe ars oculo imponit* & imaginem velut Archetypum offert. Fuit cùm uva depicta etiam aves falleret, pabulaturas in tabula; *ſi ſcitiſſimè mentitus uvas color*, eaſdem carpi permiſiſſet.

Etiam illa quæ longè diſſita vel interitu ſubmota, ars hæc ſub oculis diu ponit nec interire ſinit, dũ imago vel ſtatua durat Imagines etiam fumoſæ, & atria nobilium eidem arti obſtricta &c.

Phrygiorum opera.

Poſt felicem penicilli uſum, *acu pingere ars docuit. Et nobilior hæc pictura ſutilis texiliſvè*, quàm quæ nihil præter colorem gerit. Ubi tamen

men Phrygium opus est, textrinæ summus est apex; Nec solus tunc intexendo labor, sed pretium cum cum arte certat, *& ars Phrygia vincit*. Emollit hæc aurum, ducique in filamenta jubet, seu aulæa pretiū ambiant, seu Regum trabeæ, aut splendidior aulæ cultus. *Pro colore tunc aurum, & Serum vellera*, quæ dum ars innectit, simul & discriminat, Apelles operæ pretium aufert vel minuit.

3. *Laus Calami ab effectis.*

Etiam *calami dignè laudatore calamo*. Ferant encomia, qui pluribus eadem condunt; adeoque *in alienas effusi, suas etiam fundant scribantque Panegyres. Altera hæc hominis lingua* & mentis interpres, quam stylo in pagina defigit. Quin & *mortales efficit immortales, quoties infastos retulit*

lit, & ab oblivionis situ scriptis vindicavit. Illi heroum gesta gloriam debent, magisque illorum *Manes à calamo vivunt*, quàm ab anima vixissent. Adhæc omnipotens quiddam est penna scriptoris. nam *si premit calamitas, eam calamus sæpè lenit.* Vis *torpentes animos in pulchra accendere!* Scribe, & accendisti: vis veritati tutelam, erroribus interitum calamo id committe. *Calamus insonti asylum, reo patrocinium, ignavo calcar*. Insuper calamo fontem omnis scientiæ atramentum infudit. Frustra *libros* per tot authores distinguimus; unus *calamus omnium auctor est*. Nullam hic non callet scientiam, nullam artem; nullum acumen, vel ingenij monimentum in Bibliothecas, non ab hoc fonte manavit: *quæ lucem viderunt* volumina *hinc ducunt radium*:

si quem beata circumfluxit Oratio; vel Poesis divinior inter Canora Vatũ nomina inscripsit, calami beneficium est. Nec miraculis idem caret: indistans etiam agit, & eminus amicum alloqui novit docetque etiam Alpibus vel Oceano divisum.

4. *An verus ille timoris effectus?*

Primus in orbe Deos fecit timor?
Statius.

Timori multa tribuas, pleraque neges. Animos hic addit, ubi ab extremis malorum crevit audacia: eosdem aufert, ubi mali vis dejicit. Idem sæpe Prudentiæ fœderatur. hinc *periculis cavet, quæ pavet.* *Quin & urbes muniit pavor. simul, qui primus arma reperit.* Miles, *armiger timoris est*: alioquin si à nul-

lo hoste ingruat timor, nec armis, nec milite opus. Plus tamen Papinio placet. *Timor Deorum author est.* Primus *in orbe Deos,* (inquit) *fecit timor*, Grande opificium, si veritas Papinio consentit. Nempe Papinio fecisse Deos videtur, qui efficit ut sciantur, antè plerisque incogniti. Perinde est, inquit, acsi condere, quos notitiæ prodidisti Hoc ipso esse incipiunt, cùm per aliquẽ non esse desinunt. At timor imprudentis mali Deos revelat, quibus supplices facit *Pericula tunc superos placare docent*, ut averruncent *mala, quorum formido perculit.* Procellæ maris jubent in cœlis quærere Numen, quod inter fluctuum Æolique minas sospitet Denique à *tonitru Tonantem dicimus*, quod ut fragore animos percellit, sic Tonãtem noscere docet metu Magistro.

 5. An

5. *An Ferro nocentius aurum* Ovid.

Seu effecta utriusque.

Metalla expendimus, seu dispendia seu spectes commoda. *Ferrum vilescit, si auro componas*, sed utrum plus noceat, *labor est discernere. Auaritia* etiam hic, credo, *auro amicior, militia ferro*. Hinc si utraque litem hanc dirimat, tuebitur, quod deperit. At ego, etsi ab utroque metallo, terris timeo; *vis* tamen *auri formidabilior* videtur. Quid enim? *ferrum in corpora cruentum, sed aurum animos pessundat*. Quodsi bella urbes subruunt, *minor est iactura murorum, quàm morum. At divitiis & vitiis bene invicem conuenit*. Quid item opis virtus ab opibus speret, in quibus *charybdis est libido*, & calcar

car pænè aurum, in luxûs portenta! Quid fastum quid aliæ labes! *regnāt in purpura, & sub auri copia mores plumbei*, ipsaque vis auri animos addit, ut audeas. *Quasi eò nequior quis esse debeat, quò opulentior*. Hinc etsi aurea sæcula amentur; potiùs tamen *omnis in ferro salus*, cùm *ab auro plerumque fluant exitia*. Nec fulgor illiùs cuiquam blandiatur; nam illustriores ferrum efficit, & ab aratro vocali ad purpuram. Mitto, quòd sæpe *auro venalia iura*, venales animæ & Provinciæ! Est tamen cùm ab auro nihil timeas; *nescit nocere, si spernas*, plerisque est illud contemnere, quam recipere.

IV.

De adjunctis rariora.

Latiùs hæc patent, hic per aliqua ire lubet.

I. Adjuncta loci.

Quæ regio quibusdam abundat?

In theatro Poëtico per alphabetum plurima decurruntur ejusmodi, ex quibus inferas illud: *Non omnis fert omnia tellus.* Hic breviùs aliqua ex Sidonio accipe:

-- fert Indus ebur, Chaldæus amomum:
Assyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus:
Attica mel, Phœnix palmas, Lacedæmon olivam:
Argos equos, Epyrus equas, pecuaria Gallis:
Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham.

Claudianus aliter respondet.

Namq; aliæ gentes, quas fœdere Roma recepit,

Aut armis domuit, varios aptantur in usus
Imperii, Phariæ getes, & Punica messis
Castrorum devota cibo: dat Gallia robur
Militis. Illyricis sudat equitatibus alæ:
Sola aurum Latiis vectigal Iberia rebus contulit.

2. Gentium mores sub diverso Climate.

Geographi terrarum orbem, in Climata partiti, varijs subjecta planetis: atque hinc dixersitas ingeniorum.

Primum Clima, quod per Meroen Nili insulam protenditur, subest Saturno; sub quo qui degunt, nigri, barbari, rudes,, suspicaces & proditores putantur.

Qui sub secundo Climate, quod Iovi tribuitur, transitque per Syenen,

Ægypti Civitatem? religiosi, graves, honesti, prudentes habentur.

Qui sub tertio Climate, quod subijcitur Marti, & per Alexandriam porrigitur, inquieti & bellaces.

Qui sub quarto, quod subest soli & per Insulam Rhodum, ac mediam Græciam extenditur, Literati, eloquentes, Poetæ, & ad omnes artes idonei censentur.

Qui sub quinto Climate, quod Romam pertransit, ac Italiam ab Allobrogibus dividit tribuiturque Veneri planetæ; esse deliciosi, musicæ ac lautitijs dediti putantur.

Qui sub sexto, ubi dominatur Mercurius, & transit per Franciam, Scientis dediti, ijdemque mutabiles existimantur.

Qui sub septimo Climate, quod Lunæ subjacet, & sese per Germaniam, Belgium, & Angliam porrigit, ple-

phlegmatici, convitiorum amantes, item mercaturæ, & piscationi addicti censentur.

Verum hæc sola causa non omnes nec semper æquè afficit, ut *quoad corpora, ita & quoad animum.* Sanè in Æthiopia sol corpora adurit *& nigrâ fuligine tingit*: at in Brasilia quæ eandem habet latitudinem, sunt candida, & aer temperatus.

Septemtrionales, qui à sole remotiores, frigida loca incolunt, sanguinei sunt, robusti, & animosi; unde semper ferè nationibus Meridionalibus dominati sunt: ut Assyrij Chaldæis, Medi Assyriis, Parthi Græcis, Turcæ Arabibus, Gotthi Germanis, Romani Afris.

3. *An Europa inter partes Orbis præcellát?*

Orbis terrarũ partes cõponimus,

nulla quidem cedet alteri, *sed tamen* Pares esse omnes veritas negat, *nec diti ferent, quæ volent præferr. & paritatem abstulit fortunæ d scrimen.*

Asiam luxus præfert, ac uberes terræ fœtus. Hic enim *solis cunabula. hic Gangis aureus torrens*, hic felix Arabia *& fortunæ Regnum*: nec arctatur loci felicitas, quin in immensum abeat. Persidem gazam, uream Chersonesum, & optima terrarum gerit Asia felix omninò, nisi majore sui parte adhuc barbariem ferret, ac jugum Thraciæ.

Africam monstra infamant, bella decorant. Ibi *Carthago æmula Romæ*: ibi Numantia, *cui superest tantum fuisse.* nam *ex tanta, nullam Scipio fecit, cùm ex Africa nomen traheret* Quales tulerit viros, Punica bella dicent, & *Annibalem sat fuerit novisse, quem Roma timuit.* parum est timuis-

muisse; sub illo ultimam cladem accepit Quid tamen nunc Africã terris alijs committam? nec rudera sinunt, nec favet cruda barbaries, *etsi illam erudierit olim Cyprianus, illustraverit Augustinus.*

Americam nemo noverat, nisi detexisset Columbus Nam Oceanus claustrum opposuerat, ne quis adiret, donec per fretum Magellanicũ pateret aditus; tum demum patuit novus Orbis: nec minor, quàm aliæ tres Orbis partes. Fœda & ibi barbaries, *& quamvix à feris secerneret corpori mens conserta.* Ferarum ingluviem superarunt obsonia, ubi in Macello & mensa humanæ *carnes! quot ibi Thyestææ culinæ!* pudeat, si oram illam & gentem cum nostrate conferam, sit sané nova; *vetusta nostra potior si melior.*

Europa omnino gemma orbis; hanc

ut orbis adoret, vel Roma sufficit. Nata hæc ad terrarum Imperium, quod jam antea latè protulit, nec puduit *orbem servire Romæ.* Opum in ea, quantùm ad Majestatem affatim: imò & in luxum abundant. Exculta ratio, comis urbanitas: bellis exercita ingenia, nil efferum, *nil præfracti moris*, Scientiæ Divinæ humanæque illic sedem fixerunt, adeòq; *nullibi iam Athenæ extra Europam*: eæ totidem, quot universitates Literariæ, & bonæ mentis palæstræ. Ibidem Divinorum prima & summa notitia, fixus æternorum amor, *sacra, si usquam. Delirium est, Numæ gentiumque religio, si conferas.* Hæreses alicubi, *sed error contemnitur, nec ullibi hic exstat, nisi ubi sine capite Ecclesiæ vivitur.* Denique Roma Imperium Sacrorum ubique obtinet, & quatuor orbis partes uni Romano

no Antistiti in Sacris parent, atque Europa docet omnia uni parere Orbis utriusque Principi DEO.

4. *Ubi Divinum.*

Aliter de Deo, quam de alijs à Deo senties. Alia locus arctat, extra quem non sunt uspiam; Deus omni loco mundoque major. *Non arctatur loco immensitas*, quæ ibi etiam est, ubi nihil est præter ipsam. Sic fuit Numen illud æternum, antequam essent, quæ impleret: Sic esset, si omnia, ut ab ejus nutu dependent, sic eodem nutu juberentur desinere. Nil eidem remotum, nil altero vicinius propiusque illi. In omnibus est idem, & æquè totum hoc Numen. *Nihil ita exile est quod Deum non capiat; nil adeò vastum, quod non impleat Deus.* omnia penetrat, ut Spiritus corpus, ut lux crystallū, & si

& si longè aliter *Oceanus est, cui innatant omnia*, quid superest? *cole ubique, quem nosti esse ubique: cole super omnia, quem fateris eminere ubique super omnia. Effrons nimiùm es, si teste Deo*, tibique ubique præsente *effrons esse audeas*.

II.

De Adjunctis temporis variora.

Ad tempus refer, quidquid æternum non est. *Tempore namque metimur, quæ finem durandi timent, nec evadunt. Fama Nominis æternum quiddam putatur, sed non est.* Nam *etsi duret aliquamdiu in oblivia tandem desinit. Piget nempe unius perpetuò meminisse.*

1. Eruditio de Tempore

1. *Temporis hieroglyphicum, tum stel-*

stella; quia nihil sic statam temporum legem observat, ut sidera: *Tum Saturnus*, Veterum Numen. Hic alatus falcem gerit, quòd tempus sensim succidat omnia, & non rediturum avolet, juxta illud Nasonis.

Labitur occultè fallitq; volubilis ætas,
Et fugiunt freno non remorante dies.

Et: *nihil est annis velociùs*, Ac *celer admissis labitur annus equis.* Annum Veteres per Ianum & Apollinem designabāt. Sed Virgilius per Liberum & Cererem -- *Vos ô clarissima mundi Lumina, labentem cælo, quæ ducitis annum, Liber & alma Ceres.*

2. *Tempori* præter volubilitatem alia tribuuntur Inprimis *Tempus edax rerum: - Quid non longa dies? quid non consumitis anni? Tabida consumit ferrum lapidesq; vetustas!*

Præterea. -- *Lentescunt tempore curæ*

curæ. Tumporibus medicina valet. Tempus medetur molestis & longa dies cõsumit dolorem. Veritatem dies aperit: *tempus diminuit luctus, mæstaq; corda levat.* Tempus *facit erumnas leves*, Senecæ effato. *Damnosa quid non imminuit dies!* Venusini vatis oraculo.

3. *Pretium* temporis illa inculcant sapientum monita. Ex tripode Romano Senecæ illud. *Temporis unius honesta avaritia est.* Theophrastus illud diviné: *Nil temporis impẽdio pretiosiùs, nil iacturâ graviùs.* Nempe hæc reparari sola nequit: hinc illud:

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum:

Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

4. *Plerique* tempore abusi. Domitianus stylo ferreo quotidie, muscas

scas in palatio confixit, de quo illud: *Vixit muscis hostis, hostibus musca.* Hartabus *Hircaniæ Rex* talpas capiebat; *Eropus* Macedonum Princeps laternis conficiendis capiebatur. *Rex Lydus* filo ranas innectebat: *Ptolomæus* omnium opificum tabernas obambulabat. Sed extra veterum fastos nova indies exempla qualibet profert ætas eorum, quibus nullum temporis pretium, *per indigna effluit*. Rarus dolet, *diem perdidi, imò annos omnes.*

5. *Anni partes* suis insignibus distinguuntur. *Veris insigne* fiscella floribus referta. *Æstatis*, spicarum manipulus *Autumni*, Cornucopiæ uvis pomisque refertum. *Hyemis*, mensa convivantium ad focum. Partes anni distichon illud comprehendit?

Vere prius flores, æstu numerabis aristas:

Roma

Poma per Autumnum, frigoribusque nives

Aliter illud distichon easdem describit:

Poma dat autumnus: formosa est messibus æstas:

Ver præbet flores: igne levatur hyems.

2. *Fuitne aliquando sæculum aureum?*

Fingere licet, quæ quis volet, experiri non item. *Latius* namque *vota se proferũt, quàm eventa sinant*. Quandoque pudet temporum pigetque, quæ vivimus; & tunc prisca ætas fingitur ac præfertur, ut aurum ferro, vel *gemma pumici*. De sæculo aureo vel ferreo Allegoria tantum est, quæ vices ætatum & vitia distinguit: quædam enim creditur, vitij omnis fuisse ignara virtutum æmulis

lis & ubere copia verum beata; & hæc aurea ætas. *Aliæ*, quia nonnihil ab hujusmodi laude vel penitus desciverunt, deterioris metalli nomen induunt; *hinc argentea*; hinc ærea, ac demum ætas ferrea. Quibusdam aureum etiam nunc fluere videtur sæculum, quibus & rerum omnium affatim, *nec labes morum ulla. Raro tamen ulli, sic aurei contingunt continuè dies, vel annis omnibus nunquam*. Quid enim inter has temporum ac eventuum vices beatum semper, *aut ita Sanctum, ut nullo vitii consortio temeretur?* quænam *ætas infelicium haud conscia, nec scelerum testis!* ferrea potiùs semper viguêre tempora, & - - *Noeam digna videre ratem!*

Denique aurei seculi notas, Naso descripsit, quæ in nullo sæculo relucent. Lege illas, & sæculis confer.

Aurea

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo.
Sponte suâ, sine lege fidem rectumq; colebat.
Pœna metusque aberant: nec supplex turba timebat
Iudicis ora sui: sed erant sine iudice tuti
Nondum cæsa suis. peregrinum vt viseret orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat undas
Nullaque mortales præter sua littora nôrant.
Nondum præcipites cingebant, oppida fossæ:
Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat; sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes.
Ipsa quoq; immunis, rastroque intacta nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia (tellus:

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fætus, montanaque fraga legebant,
Et quæ deciderant patulâ Iovis arbore glandes.
Ver erat æternum, placidiq; tepentibus (Euris
Mulcebant Zephyri, natos sine semine flores.
Mox etiam tellus fruges inarata ferebat,
Nec renouatus ager gravidis canebat aristis:
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant
Flavaque deviridi stillabant ilice mella

3. *Quis Mensis Mensium Princeps?*

Menses etiam primatum ambiunt. *nec ambitus hic, crimen est, si merentur.* Alibi *merita inumbrat ambitio;* jamque *non meruit, qui, ambivit:* Sed inter Menses quid inter-

est, quis regnet, si meritis præcellat? *Nec verò Mensibus desunt, quæ corones.* Eligere placet, duodecim sunt candidati, & *primus in confinio brumæ Martius.* Hos inter *ambiunt aliqui ex nomine coronam.* Sic *Iulius, sic Augustus.* pulchra, *& iam olim coronata nomina.* Sed inter homines, non inter Menses, solium illis delatum, nec adhuc eorum merita reliquis superstant. *Maius* herbam obtinet, nec tamen vincit; etsi *nil suo nomine maius habeat.* Tota illi penes flores & avium concentum gloria. Si regna Mensium illi deferrentur, suis se floribus coronaret quamdiu vernarent, regnaturus *Apellem tamen meliùs hic Mensis, quàm regem exprimit,* sub quo *stupent areolæ penicillum naturæ:* aut certè fulloniam idem exercet, dum *novo colore imbuit terræ gramina.* Quodsi

Musi-

Musicen & harmoniam volucrum amat, & ille noverit, *quod aliud sit sceptrum, aliud plectrum.* At nec Iunius eminere dignior: *Cancer* illũ à regia retro revocat, diminutæ *lucis publicæ reus præsagusque.* Semel sub illo dies maximus, sed *à solstitio diem præcipitat,* noctem & tenebras in dies auget, *auroram accendit tardiùs, Hesperum citiùs extinguit, malignus Mensis; ut qui lucem sic diebus invideat.* Dum pænè Iulio & Augusto *hæret dedecus,* acceptum à Iunio & auctum continuò. Minùs diurnæ lucis, plus æstûs obtinet, quo *terras exurit, exsiccat flumina novus hic terræ Phaeton, cùm leonem & Sirium* in hæc ima terrarum *flammis sævire iubet.* Minores alij Menses, quàm ut fasces anni totiùs capiant si Decembrem excipias, quem ob Divina in terris incunabula, à sce-

ptris

ptris non removerem, *si regnum capere duos.* Nam *Ianuarius Kalendis tantùm suis illustris,* non dignitate præit reliquis, sed ordine & tempore. *Vicit Martius, natum in bella Nomen,* neć non in pacis fœdera quam Dei cum humanis unio tunc firmavit. *Idem Mensis* mundi primordijs, cœlique cunabulis consecratus, planè temporum Princeps, qui primus vidit, & condidit, quæ omnes retro mirantur, & retinent anni. Parum, est condidisse: etiam conditum orbem restauravit; *hoc vno infelicior* sibi visus, *quod viderit in carne morientem DEVM.* Cæterùm, *si Verna placet temperies*, in Martio *genethlia veris*, sub quæ gemmare arbores, prata & *Alcinoi plantæ* revirescere, *ridere horti incipiunt*. Regnet ergo Martius & mensium sceptra capiat. &c.

4. An

4. An verè Philo dixerit, Virtus caret tempore?

Philonis id effatum est; non ideo tamen fidei exsors, quòd *ab hoc tripode tale oraculum.* Quandoque etiam recutitus Apella, ut *olitor, fuit opportuna locutus.* De virtute quidē paradoxum putes, *quod careat tempore; sed credibile id, ætatum protervia facit. Fœda, magnam partem temporis auferunt, nec piget ævi inter propudia:* at mora brevior *inter honesta operum animum fatigat.* Dilatantur alia, *sola Virtutis arctantur spatia.* In pulchra vix suppetit tempus, *nec cuivis vacat esse bonum.* Hinc tædio affine est, semper *à se honesta exigere.* Caret ergo virtus tempore; at utinam ævo quælibet transigatur? Nam *nimis angusta probitas est, quæ momentis constat.* Facilè *alternant vitia,* si

virtuti curſus intercipiatur, ne perennet, vel duret conſtantiùs.

5. *Æternitati, non Tempori.*

Digniùs id dictum Philoſopho, quàm pictore. Multùm hic ambijt, dum *colores ævo noluit obſoleſcere.* Sat imagini exemplar reddere, an eadē duret, artis non intereſt, imò *picturis æternitas ſponderi nequit, quæ ſitu vetuſtatis nitorem exuunt. Acta* potiùs *æternitatem famæ ſibi obſtringant.* Obſtringent autem, ſi digna ſint, *quæ in poſteros ſemper eant*, nec oblivia mereantur. Quædam fiunt, quæ nôſſe vel hodie pudet, ne dum ut cras, vel ſero memorentur; *pluſq; illis gratiæ præſtaret oblivio*; quid his perpetuitatem voveas? Etiam momento dedecus inflictum urit; nedū ut productiori ævo toleretur. Potiùs

tiùs ergo *præclaris operum perennitas famæ initur, debeturq;*, & jure hunc celebres, qui egit, quod nulla non probet ætatum ſeries. Et tu ſic age, tanquam cenſorem habiturus omnem poſteritatē, ſeu veluti acta ſubijcias æternæ orbis cenſuræ, nec ullam timeas. Nimis *exilis animæ eſt, mortali ævo famam circumſcribere* quæ ſat anguſta eſt, ſi finem timet.

6. *Romæ vetus temporis partitio.*

Sic de hac Poeta: *Prima ſalutantes, atq; altera continet hora:*
Exercet vacuos tertia Cauſidicos.
In quintā varios extendit Roma labores
Sexta quies laſſis; ſeptima finis erit
Sufficit in nonam nitidis octava Palæſtris:
Imperat extructos frangere nona toros

Et tamen Seneca de se Romanisque: *Magna pars vitæ nobis effluit perperam agentibus: maior nihil agentibus: Maxima, aliud agentibus*, id est aliud, quàm expediat vel rationi vitæ congruat. Aut certè *plures horas ludicra absumunt*, quod ille Comicus perstrinxit, qui solem in theatrum dedit horis duodecim currũ trahentibus. Horas mole & habitu dissimiles scena accepit; proceras quasdam, alias breviusculas. Brevissimæ erant, quæ Divinis impenduntur, & virtuti: mediocres erant negotiorum: longissimæ horæ somni, comessatiorum, ludicriorũ; *sic apud plerosque ludicra & virtus horas distinguunt!*

Illud concludat, horologio, quod nonnemo Romano Antistiti obtulit, lemma urbaniùs inscriptum: *semper prima, nunquam ultima*; id est, hora

hora tibi tuæque felicitati, sonet semper primæ consona, nec unquã felicia finem apud te inveniãt. *Sed vbi tales horæ?* nuspiam terrarũ extra cœlos & beatæ æternitatis dies.

III.

De Causis aliqua rariora.

1. Inventa quædam, Inventoribus fatalia.

Sæpè inventa authorem premunt, seu mali fuerit author, seu boni. *Primum* æquitas facit, mala in fontẽ refundens: *alterum* inolita mortalibus vel invidia, vel *beneficii vectigal, ingratitudo.* Præter Perillum, qui primus *suum docuit mugire iuvencum*, inventori lethalem; etiam ille qui arente Nilo, dum arescerent omnia, & agri sterilescerent, victimam Dijs suasit, nec aliam quam hominem immolandũ: primus in hac

hac victimâ cessit, dictũq; illi *Ægypto, primus tu dabis hospes aquas.* Alia disces nomina infelicium Inuentorum ex Theatro Poëtico.

2. *Rerum Inventores.*

Scribendi Originem nonnemo transtulit in Captivum, qui vinculis solatium ab amicis quæsiturus, suam sortem illis nova arte indicavit. *Vnguem sinum in crenam* & cuspidem calami exacuit, carbone intrito & saliva madido usus pro atramento. Sic primus epistolam suæ fortunæ testem exaravit, quo subsidia vel commiserationem eliceret. Quid enim? an solus, ut vult Persius, *ingenii largitor venter*, & non extrema rerum angustia?

Pyrii pulveris tam sonori quàm muti, authorem suprà retulimus, in eundem stylo nonnihil invecti. Prælu-

Prælum librarium, *seu typum Argentinæ debemus.* ubi *Ioannes Guttembergius* primus omnium typographus, egregiæ sane artis inventor Anno salutis 1440. Artem hanc Moguntiæ *perfecit idem, qui primò reperit.* Eripit hanc laudem Argétinæ *Moguntia*, quam *Ioanni Fausto* civi suo destinat. Sed nec Moguntia sic rapto felix, & laudis secura ac retinens; cùm ab Indis huc arté eandem remeasse alij credant, & contendant. Imò Ttigautius & Martinius eam apud Sinas ab ævo immemorabili viguisse tradit Alios rerum Inventores alibi vide.

3. *Causæ ingeniosæ & Eruditæ.*

De his in Phænice Rhetorum, hic aliqua addenda.

1. *Causæ* ab ingenio depromptæ,

 quan-

quantò magis præter spem & cum majori Specimine ingenij sunt, tantò plausu majore accipiuntur. Profero aliquas hujusmodi. De Ottone illud: *Ære alieno obrutus sceptra accepit, ne periret; periit, quia accepit.*

Item: quod rapere hostes poterat donat, *seque spoliat, ne spolietur.*

Id fieri etiam potest, causæ loco adducta sententia: Sic: *Incautum per munera circumvenit, nam aliqui donis utuntur pro dolis.*

Sic & illud: *Stirpitus evellit impios: Nunquam enim alii mores nisi alii homines.* Et illud: *Cælo se auspicatissimè submisit. Nam primum crescēdi auspiciū est, coram Numine imminui.*

In causis si qui ingenij gloriam venantur, certè Poëtæ. Sic ille:

Ex oculis superest unus tibi, Verna duobus.
Perpetuò faciem qui tibi rore rigat.
Cur tibi qui superest, mæstus lacrymatur ocellus?
In bello fratrem perdidit ille suum.

Sic & illud: *Salsa sitim pariunt; nil æquore salsius; ergo*
Quid mirum, dulces quòd bibat æquor aquas?

Et illud de Diluvio: *Cætera submersit cur piscibus unda pepercit?*
Ne sobolem Mater perderet ipsa suam.

2. *Causæ* eruditæ multiplices Aliquando ex Historijs & eventu aliquo sumuntur. Sic de D Hieronymo; *vitam ibidem clausit, ubi Deus Infans eandē orsus: Magnus Heros Cui Cunæ Christi in tumulum cesserint.* Et illud: *Liberaliùs est cælum quam Roma, quod etiam pueris triumphum non negat.*

Aliquando ex aliquo auctore deprompta sententiâ in causam assumitur

mitur. Sic illud: *Cave mala, quæ animum gravant, occultes; nam alitur vitium crescitq; tegendo;* Imò, *quod tegitur, maius creditur esse malum.*

Aliquando causa ex proverbio sumitur. Sic illa. *Augustinus in Africa ingeniorum potentum visus:* Nempe *etiam tunc fuit Africa monstrorum parens.* Aliquando ex Scholasticis quibusdam Propositionibus causa eruitur. Sic tumor pygmæi exploditur. *Detumesce tandem, rident explodun tq; scholæ usq; hodie pũcta inflata*

Alios locos intrinsecos mitto.

§ 2.

DE LOCIS EXTRINSECIS RARIORA.

Ad hos pertinent tum leges, tum consuetudines & aliqua ex his accipe, eruditionis gratia.

1. *Miræ quarundam gentium leges.*

Leges sanguinariæ, quòd violatæ legis vel minimæ reus, sanguine & vita crimen elueret. *Dracontem* earum authorem ferunt. *Charondas* non mitior in legum violatarum pœnis. *Telum & arma civibus lege ademerat*, adeoque hæc gerere, vel accinctum in publico comparere, capitale erat. Primus *legem capite sanxit*, per imprudentiam *reus ipse.* E villa redux, ut erat armis accinctus, sic in forum venit. Subijt legis mentio pænæque. *Damnavit in se facinus*, ac ut in se firmaret legẽ, *telo incubuit, suæ legis in se cruentus ultor.*

Sanctior lex Seleuci, quæ libidinem oculis mulctavit. Et meritò effronti impudentiæ adempti *ferroque effosi*

oculi, qui primi sunt in amore duces. Profuit pœnæ timor, jura pudoris diu tutatus, inter Locrenses. *Diu nescierunt Venerem Locri,* donec Zeleuci filius didicisset. Is primus sibi adulter, nec *Parens* non *vindex pudoris.* Noluit idem parens videri, & simul *legis parricida.* Supplex pro reo Civitas id tantum effecit, *ut pœnam partiretur,* sibi uno oculo adempto filio itidem uno. Sic lex sancita, & pœna nonnihil aucta, quæ in innoxium etiam redundavit *media inter pietatem Nemesis,*

Placet sobrietatis tutela in Perside. Lege cautum est ibi, ne ullus alium ad bibendum induceret. *Plerique urbanitatem ducunt urgere in amystidem,* sed vel barbaricæ in Persia leges, hanc urbanitatem damnant. Imò *sic cogere ad haustus pœna Veterum fuit in eos,* qui ænigmata in-

con-

convivijs proponi solita non solvissent, Id vocat Horatius *Magistrâ culpâ bibere.*

Luxus aversâ aure audiet, quæ jam affero. Syracusis eadē quæ Lacedæmone lex sumptuaria cavit, ne aurum & purpuram mulier ulla gereret, & in cultum corporis adhiberet, *nisi profligati pudoris & hac notâ, honestas reliquarum dignosci iussa.* At nunc, *ô tempora, ô mores,* ô luxus mortalium! Sed de legibus fusiùs Rosinus & alij.

2. *Mores & consuetudines quædam Veterum.*

Legi *consuetudo* adnectitur, quæ etiam *pro lege est,* multa de hoc argumento Pontanus in Atticis bellarijs, alijque. Ego aliqua delibo rariora.

 Ab

Ab Iove surgat opus. In *Æsculapii æde* appensæ olim tabellæ morbi sanati ac remedij, nec non gratiarum Deo indices. Vana hæc, si ad Æsculapium referas, & falsa Numina: Vero Numine *dignior hæc gratiani tessera.*

Romæ quævis natio Patronum habuit ex optimatibus nobiliorem: sic in clientela Marcellorum fuerũt Syracusani: Lacedæmonij in Claudiorum tutela: Bononienses, Antoniorum. *Sic à quovis patrocinia prensantur!*

Rhodum secedere soliti Romani Proceres, si præsenti rerum statu graviùs afficerentur. *Tanti Rhodus, deliciarum sedes!*

Hiberni olim vix alium in finem Capillitium gestarunt quàm ad detergendas à quavis illuvie manus. Prolixior ergo illis coma, in hume-

ro *spiratim pendula*, in hunc usum & *mantilium loco*

Virtus militaris apud veteres etiam honorata. Hinc lex *apud Scythas* obtinuit olim, ut hi tantùm in convivijs pateram circumlatam acciperent qui hostem aliquando cecidissent. *Iberi tot* Obeliscos circùm sepulchra erexerant. quot hostes bellator strenuus fudisset. *Carthaginenses* pro expeditionum numero, in quibus meruissent, annulorum ornatum retinebant. Hinc in pluribus ad heroica fuit insigne calcar.

Romæ Sacellum fuisse Deæ Viriplacæ. Valerius Maximus est auctor, in quo conjuges, quos inter aliquid jurgij & simultatis erat, dissidia ponebant. Sic ibi dos uxoriæ, lites componebantur.

Ludus Saccorum Persis dictus is di-

es fuit, quo diurnum regnandi tem pus capere juſſus è captivis unus, certa *cras mortis victima*. Solium, regum inſignia, ludicra & ludi, cõvivium ac epulum regale, illi eo die conceſſa, poſtridie Virgæ & laqueus, cui poſt ludicra ſerio appenſus. *Sic breves deliciæ in Cataſtrophen exierunt! & ſæpius ſic exeunt!*

Mores Veterum Germanorum ſcitè Tacitus deſcribit, & aliquos excerpo. *Sunt illis Carmina*, quibus accẽdunt animos, futuræque pugnæ for tunam ipſo cantu augurantur: terrent enim *trepidanq; prout ſonuit acies. Nec tam ille vocis, quàm virtutis concentus* videtur. *Cedere loco*, dummodo rurſum inſtes, *Conſilii quàm fortitudinis* arbitrantur &c.

Iidem reges ex nobilitate, *duces ex virtute ſumunt*, & *Duces potiùs exemplo quàm imperio: Neç numerum dierum*

rum, *vt* nos, *ſed noctium computant*. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur, *ſin placuit, frameas concutiunt, & honoratiſſimum aſſenſus genus eſt, armis laudare.*

Diſtinctio pœnarum ex delicto. Trãſfugas arboribus appendunt: ignavos & corpore infames cæno & pa lude mergunt. Diverſitas ſupplicij illuc reſpicit, tanquam *ſcelera oſten di oporteat, dum puniuntur, flagitia abſcondi.*

Ipsâ plerumque famâ bella profligãt. Cum ventum in aciem *turpe Principi, virtute vinci; turpe comitatui, virtutem Principis non adæquare*: Iam verò infame in omnem vitam ac probroſum, *ſuperſtitem ſuo Principi ex acie receſſiſſe*. Illum tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum Sacramentum eſt. Princeps pro victoria pugnat, Comi-

Comites pro Principe. Quiescentibus eadem fama.

Ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clarescat. Pigrum imò iners videtur, sudore acquirere, quod possis sãguine parare Materia munificentiæ per bella, per raptus.

Nemo illic vitia ridet; nec *corrumpere & corrumpi sæculum vocatur plus ibi boni mores velent, quàm alibi bonæ leges.*

Convictibus *& hospitiis non alia gens effusius indulget*: quemque mortalium *arcere tecto, nefas habetur*: pro fortuna apparatis quisque epulis excipit, notum ignotumque, quantum ad jus hospitij, nemo discernit.

Diem noctemq; continuare potando, nulli probrum ibidem. De reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, de pace & bello, ple-

plerumque in convivijs consultat; tanquam nullo magis tempore ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat.

Non minùs facilè vitiis vincuntur. Fænus agitare & in usuras extendere, ignotum. Sinê apparatu, *sine blandimentis expellunt famem. Etsi adversus sitim non eadem temperantia.*

Funerum nulla ambitio. Sepulchrũ, cespes erigit. Lamenta ac Lacrymas citò, *dolorem & tristitiam tardiùs ponunt.* Fæminis lugere honestum: Viris meminisse &c.

§ 3.

DE LOCIS SUASIONIS RARIORA.

Etsi suasio & dissuasio utatur extrinsecis Rhetorum locis; tamen & proprios adhibet. Ii sunt, *utile, vel inutile: honestum vel inhonestum; dele-*

delectabile, uel iniucundum: Facile, vel difficile, Possibile, vel impossibile: de his jam aliqua.

I.

De Prædictis locis suasionis.

Ex his quidem ſuadet vel diſſuadet Orator, ſed non cuilibet argumẽto par hinc ſubſidium, potius *ſæpe diſpares ſuppetiæ*; quod ex dicẽdis conſtabit. Nam

I.

Aliquibus citiùs perſuadet ipſa operis difficultas.

Si à facili ſuadeas, *ſic ſuade ignavis crebriùs: alios niſi ardua operum movent trahuntque:* Unicum *illis agendi calcar, operis difficultas.* Agere *audent, quia audet nemo, & heroas facinus poſcit.* It ergo tunc in ardua virtus

virtus, *pulchriuſque putatur, quod difficiliùs.* Nempe *facilia & imbelles tentant*; generoſos pudet attingere. *Leonem imbelle pecus non prolicit, cum paribus congredi amat.* Et Alexander per Mare Tyrum adijt: *difficilis fuit cum fluctibus pugna*; ſed quia difficilis, auſus pugnare. Ita *potiſſimus cum aſperis conflictus magnis mentibus!* Nec hoſtem dolo aggreſſus idem, quod facilius vincendi genus eſt: Palàm & acie hoſtem aggreſſus eſt ſemper; & fregiſſe ſic, tantum gloriæ duxit. Sic & illi *quicunq; Herοum nomen ex actu induerunt.* Magno illis id conſtitit, nec parvo ac parabili molimine: ſed heroes ſe haud probaſſent ſine arduis, quæ vicerunt; nec cum alijs confligere ijſdem promptum fuit.

2.

Vtilitas ſæpè vilioribus animis agendi calcar.

Vix ullus apud quoſdam felicior Orator, quàm utilitas. Uſque adeò pronæ ſunt in commoda mentes, & emolumentis aguntur: promitte grandia; calcar aureum admoviſti, quamvis ſæpè exile etiam quiddam animum præmijs inhiantem obſtringat. Sed quoſdam hic audias, Apage talis agendi ratio. Putidum eſt nolle, niſi ob præmia eſſe ſtrenuum. Vix diſtant à peſſimis, qui nolunt gratis eſſe boni, Illis tantum utilitas ſit agendi ſtimulus, qui ſervile gerunt ingenium; hoc eſt, ſuæ rei tantum ſervire natum: ad ipſa ſibi pretium præmiumque virtus. divitijs animoſa ſuis. Non tamen commoda ſemper

reij-

reijcio, quaſi inutile ſectandum ſit potius præ utili, ſed inhiare utilibus duntaxat inglorium, ſi facto ſua ſubſit honeſtas, & ſecluſo quæſtu pulchrũ ſit agere. Tunc enimverò illum qui agit, major comitatur gloria, quam merces avidum poſſit, canetque Paliniodiam qui cecinit: In pretio pretium nunc, & vulgus amititias, ac ſtrenua operum utilitate probat.

3.

An ſuaderi poſſit quandoque inutile?

Non ſemper inutile retinet ſuum nomen: *gemma aliquando eſt, quod vitrum putaſti: & auriſodinam calcas*, ubi terra communis creditur. Item, pleraque in uſus alios ſe redigi ſinunt, cùm in quoſdam negant nec, ſi ex ligno Mercurius ha-

ud

ud possit fieri, *focus instrui nequit:* non ergo omnino inutile, quod alicubi tale creditur. Imò *quæ solo contemptu dignamur, præfert non rarò ignota dignitas.* Nolo ire per exempla. Et tu inter illa es, si semper contemptui habeâre: dices enim aliquando te publicæ privatæque rei servijsse.

Et ferri massa rubigine obducta, velut inutilis abijcitur; si tamen *in gladium vel vomerem ducas, utilem fateberis.* Feret alios usus, si velis.

4,

Honestum à delectabili in suadendo ne remove.

Si coram Epicureis Orator agat, frustra suadeat, nisi quod sit volupe *Molle ingenium* non alio faciliùs capitur argumento. Aliter tamen age ubi Orator *non Epicurus, sed qui*

præ honesto nil pensi habet. ibi enim non quod blanditur, animum rapit; sed quod simul decori metis adstringitur. *Qui se illuc reduxit vt nil iucundum eligat, nisi quod etiam honestum, Vir est Virtutis.* & sic omnino vota flectenda, si velis, *vt vita hominem referat.* Cui voluptas placet, honesta tantùm placeat: *alia brutorum est, & bonum pecoris,* ut Stoæ Romæ Princeps censuit Quid enim aliud bruto amicum quàm quod sensui? *approbat, quod oculus vel gula probat: Homini potiùs sit illud, quod probat ratio.* Inter oblectamenta etiam, delectus fiat. Quædam conjuncta cum crimine extra decorum abeunt. Neutrum virtus eligit, voluptas etsi suadeat &c.

5.

Possibile rationi, impossibile etiam affectui, suade.

Qui suadet id, quod fieri nequit, *verba haud proficientia fundit.* Sic enim liceret homini volatum; *cursum Hermeti, aut testudini*, muto loquelam suadere. Plùs tamen à voluntate sperare possis, quàm à ratione, aut alijs viribus. Nam impossibile etiam votis attingitur, quæ sæpe in ea feruntur, quibus potiri haud perinde possint. Sic Heroum studia inardescunt, in quibus *ipse conatus pro encomio est*, etsi nihil in exitu.

II.

Scopuli boni consilij.

Non in mari tantùm Scyllæ & scopuli. sunt & in Consiliis. Horret illos, qui

qui exitium Patriæ urbiumque timet. Plures obiter innuo. Inprimis privati amoris odijque causæ, *turbamenta* sunt *consilii*. Ponantur hæc tantisper, dum es in comitio. Privatæ res semper in se intendere jubent, nec publicæ tunc movent. *Spes privatas metumque eodem refero.* Suspecta Senatûs-Consulta *à tali oraculo. Malè consulitur ubi vocem eripit, aut impedit timor*, vel spes illa libertatem sentiendi. *Time & præceps consilium*, qui consulis in commune. Timuit hoc Alexander Severus, ideòque spatium cogitandi dedit ante consilia. Etsi in subitis, & quæ moram excludunt, necessitas aliud permittat. *Nocet item consiliis* intempestiva notitia. Nempe *Consilii quædam anima, secretum est, tutiùs id quod occultiùs*: vim amittũt, aut eluduntur cognita. *Denique*, ut alia-

alia taceam, *apage venale consilium id esset marsupio, non reipublicæ consulere &c.*

III.

An ex aliena sententia consulere indecorum.

Sunt, quibus id probro vertitur, *seu alieno sensu egeant sapiantq;* ti non possint suo, idque dicitur, *commodato consulere*, & mutuare sententiam. Hinc *Cæsonius Pætus*, quod Tacitus non tacet, videri talis noluit: optima licet aliorum placita secutus nunquam, ne alienis egere consilijs, *vel alieno vivere arbitrio* videretur. Amens sim si hæc delirantis fastûs exempla probem, quibus nemo *sanior Pæto*, insistet Sic enim Consulum nomen, sic Senatus, sic consilia tollentur, quæ omnis probavit ætas ac respublica.

Quid

Quid interest, quod tuam præiverit alius sententiam, dicasve tertius aut secundus, quod etiam ante primùm dixisses? *Non ordo in sententiis, sed pondus approbatur. Senti, non quàm primùm, sed quàm optimè.* Subsequi parem sententiam tunc tantum dedecus est, cùm uterque iniquè sentit, *& qui præit, & qui sequitur.* Alioqui *si rectè quis præconsulit, quid à recto alter dissentiat? id ipsum grandiùs probrum, perperam sensisse post aliena oracula, digna omnium assensu.* Quid si Senatus sit numerosior, & partitim ivit ante te in opposita? Tibi certè in Senatu tacendum erit, ne cum ullo sentire, & ex alterutra aliorum sententia pendere videaris. Sic ergo te aliena mutum reddet sententia? Quid si alius errorem detegat, antequam in eum imprudentius impegisses! Scilicet pudeat

at alieno ductu errorem declinasse, aut inter viarum ignota vel trivia, ducem viæque indicem habuisse? *nec ipsa mens sibi sufficit, ut omnia prænouerit*, ut ritè sibi alijsque semper præcaveat. Hinc illud Terentij,

Quod omnia prius experiri consilio Sapientem decet: quodsi sapientem quid illum, quem nomen id præterit, quamvis sapere incipiat à Consultissimis! &c.

IV.

Primæ navigationis suasio.

Tempus illud recolimus, quo nondum *navigiis per mare itum*: ut ire auderet timor, spes vela impulit, accessit suasor is ipse,

- *Qui primus fragilem truci*
Commisit pelago ratem.

Sic sibi sic socijs, primæ periclitationis metum eximendo:

Flumi-

Flumina iam domuimus, patuitque, fluctus calcari, aquis frena imponi posse: restat *navigiis domandum frenandumque mare. Primus sit labor, superare metum, etsi hic tardiùs, quàm quædam ardua vincantur.* Sed si metus consilijs præesset; nec per minores fluvios vela fecissemus. *Nil arti insuperabile. Ferunt remos & æquora*: ibidem velis aspirat & aura mollior, ac in Insulas defert fortunatas. *Si secundæ auræ provehant, faciliùs per oceanum, quàm per terrarum plana itur.* Portus aberit? anchoræ dabunt, & classem velut in portu statuent. Metam navigantibus designabunt sidera, & acus magnetica intra pyxidem librata. Et primum quidem iter velis pandentibus, incerta viæ meta; sed quid si nostrate terra beatior, se tandem velificantibus pandat? *Ridebit peri-*

 cula

cula timor, & de se pœnas exiget, majorum discriminum contemptu. Primi ergo in oceanum duces simus. Si pòst audebunt alij, *minùs gloriæ ferent post exemplum, quod dedimus*: Nec obstent *pericula*, quæ magna ex *parte vicit, qui non timet*: minora sunt jam eadem, cùm alibi illa superavimus. Quid fluctus Oceani terreat? quid scopuli? quid æstus maris? quid ventorum violentia *& Æoli furor*? contra vim ventorum vela demittimus: scopulos sciet ars declinare; gubernaculo itē fata evadentur. Etiam *in magnis omnibus est fluctuum sedes, ac Ventorum inquies furor*, est tamen cōtra remigantium industria, quæ vincere didicit. *Nec æstus Maris formidabitur*: Tam huic, quàm alijs fluctibus carina supernatat, *ac iram* Neptuni *inter procellas calcat. Ardua prima via est*,

est, sed audendo facilior evadet. Non semper iratum mare; etiam tranquillo navigabimus, ac ventis secundis &c.

Amica Parænesis Heterodoxorum.

Ad Fidem Orthodoxam.

Leniùs agere libet, ac sine calami bile. Ponamus odia, *& dextras potiùs iungamus amicas*. Quò nobis animorum? quò Religionis dissidia. *O gemmæ regnorum Sueciæ, Daniæ*; & si quæ terrarum urbiumque à Roma dissentit! *Sat odiorum, quæ ultra centum annos arserunt, antea tot seculis nulla! Viximus amicè ad secula quindecim; durâssetque æternus amor, nisi Lutherus, Calvinus*, alijque *odia succendissent?* Ut hæc hucusque flagrarent, satis fuit uni horum

credere; non autem toti Ecclesiæ? *unus ego oculatior, quàm orbis, & tot in illo oculatiores Argi?* Tanti quandoque est unus, *propter quem perit unitas?* quid ergo, *quæ tot retro sæculis utrique probavimus, quæ tot prodigiis asseruit æther, quæ tot Heroum sanctitas & doctrinæ fulgor, imò & veritati litatus toties cruor sancit*, fas est reijcere? Miseret me vestri, *ô Regna diu Romæ fæderata*; quòd, *cùm tot cælis quondam transmiseritis Nomina eorum iter ad superos, aspernemini!* Præmisistis tot Reges, tot Antistites; quos cælum beat, Romæ utiq; semper amicos; Nepotibus æquè pervium, si per eadem vestigia cælos peterent. *Præmisisti Suecia*, tot cœlo sidera, Ericum, Botuidum, Ansgarium, Henricum, Olavum, Helenam, Brigittam; *felix tot in astra prodromis, si sequi velis.* Et te,

Dania non impar gloria coronat quam Canuto, Suenoni, Valdemaro, Roma cælumque detulit. *Idem tibi, ô Saxonia, idem ô Prussia*, idem alijs cum cœlo fædus inerat, quamdiu cum Roma; sed cum hac facto divortio, alia rerum successit facies! *squallent iam aræ*, sublata sacerdotij gloria; *quod enim sacerdotii genus sine altari? quod altare sine sacrificio?* nec virtuti sua constat dignitas amorque; ubi proscripta benegerendi industria, violata religio, sacra toties proculcata, profanatæ aræ, subversa Divorum delubra, temperantiæ nullæ leges, ludibrio habita. Castimoniæ sanctitas! Nec Dei Hominis oracula, vel consilia, nec leges Numinis placent, *quas vt vestri antesignani exosas redderent, dixerunt impossibiles.* Quid vobis *cum huiusmodi ducibus, sic à vero, sic à vir-*

tutibus, sic à Divinis legibus, sic in ple-risque à rationis ductu aversis! Quin potiùs *vera vetusque religio cor occupet, congrua Divinis literis, prodigiis conspicua, vindicata Martyriis, consensu orbis ætatumq; omnium approbata,* longè lateque per orbem terrarum, usque ad Antipodas diffusa? O sit tandem, ut erit aliquando *(nec enim fallunt Dei oracula) unum ovile unusq; Pastor* nobis vobisque!

SPECIMEN XVII
Admirabilis Eloquentiæ
Vbi
IUDICIALIA.
EXTRAORDINARIÈ ATTINGUNTUR.
IUDICES, IUDICIA.

QUæ Iudiciale genus concernũt, melius Leguleij, Locutuleij & Iudi-

ces nôrũt. Hic tantùm aliqua.

I. *An Figmentum illud Poëticum veritati congruat? è terris Astrea recessit.*
Seu
An Iustitia è terris exulet?

Si quæ Poesi fides, *sub auream ætatem, Deas etiam tellus habuit inquilinas.* Virtutes inter Divas tunc habitæ cultæque, nec earum ulla hinc abfuit. *Felix planè sæculum, quo nullus sceleri locus,* & terra virtutum Dearumque sedes ac domicilium fuit. Sed aureæ successit ætas ferrea, *successit ahenea proles, durior flecti in optima, etsi in vitium cerea* Alia tunc rerum series, *iusque datum sceleri,* nullus honesti, nullus decori amor: fæda animum, fæda operum terras occuparunt. *Puduit iam humani con-*

subernii Divas, & migrare impulit terrarum labes cælo igitur receptæ virtutes, & vrbibus omne nefas. At cum aliæ moras linquerent, & *moræ pigeret in scelere;* post omnes seriùs terris excessisse Iustitiã Poësis memorat; quæ tandem hinc extorris, *in astris sibi locum defixit Astrea* nunc, quæ antè dicta Iustitia. Sic ergo *è terris exulat ista virtus!* an id tantùm Poësis commenta? Sed *nihil veriùs unquam Apollo aliàs mendax;* nec fabula hæc, sed comperta usu tot seculis veritas. Exulat à terris & foro æquitas; adeoq; ubi sanctior æquiorque Areopagus, è cœlis tantisper defluere cogitur sæpiùs *hic hospes tãtùm, rariùs diu incola.* Hinc *auro venalia iura,* nec æqui ratio, *sed privata affectio sæpe, sæpiùs emolumenta decernunt.* Neque aliud sperandum, quando causis & foro præsidet avaritia &c.

2. The-

2. Thebanus Iudex sine manibus.

Schema Iudicis Thebæ offerunt; vera illius effigies ibi, quæ picta veluti alter Hermes. Aliter Iudicem fingi nolunt veteres Thebæ, quàm qui sine manibus; moventq; foro, quẽ sic trũcatum ab humero usque non vident. *Auaritiæ quidem ingrata hæc effigies, sed iura non aliam vovent.* Bellè id omnino.. nam *manca est iustitia, si non mancus iudex.* Nil indemne, ubi manus illius exporrecta, adeoque *Venalis sententia auro emitur.* Rectè Thebarum judicia avaritiam à foro hoc schemate proscribunt *Manu ad bella vel opificia opus,* non ad justitiam. *Non iudicet, qui munera amat.* Nihil hic inter æqui aut iniqui terminos discernit, qui lucris forensibus studet. *Nullus* item

apud

apud hunc reus est, si offert aliquid; etsi tunc reus ipse avaritiæ Iudex. Solvitur donis Iudiciorum fides; tutior, *ubi Iudex* neutra manu pollet, imò ad munera, *usum manuum am sit. Sapuistis Thebæ: vtinam sic ubique fora sapiant!*

3. *Atheniensis Areopagi Iudicia.*

Thebanus *Iudex sine manibus*; Atheniensis *penè sine oculis*. Tenebræ inter judicia placuère, nec alia lux, quàm argumentorum pro reo, vel contra reum adhibita. *Non illic vultus, sed causas dignoscere* Iudex laborabat. Nescio, quid hinc illustrius Areopago: *hæ illum tenebræ illustrârunt*; & nullibi clarior dies, quàm ibi nox Iudiciaria, seu loci *tenebræ adscitæ in patrocinium æquitatis*. Id demum est oculos ad alia āmisisse;

quàm

quàm ad causarum momenta! *Hi soli Athenis fuerunt Andabatæ, expavitque illos nunquam impune scelus.* Et certè nullibi legum tutelæ meliùs, juri alieno securiùs prospectum, quàm his Areopagi tenebris. Non ibi sententijs moderata est sontis dignitas oculo hausta, non gestus in reo supplice; nil ibi oculis licuit in feralem vel leniorem sententiā, ubi nullum agnitum inter personas discrimen aliud, quàm causæ, aurium judicio commissæ. Imò & causidici circumscripta Oratio, in qua detruncati affectus, & molliores sententiæ: proœmiis & peroratione interdictum, sola rerum momenta proferre licuit, *nec Oratorium colorem tenebræ illæ postulârunt. Vtinam hæ diutiùs regnâssent*; regnaret ubique justitia, sæpe lucis adminiculo nulla &c.

4. *Sel-*

4. Sella Iudiciaria Cambysis.

Ex Perſide novus judicij ritus transſumitur. Si ſubſellia Iudicî deſunt, inde ſumere licet; *& ad terrorem expedit*. Sericum alibi inſidetur, & ſubſtrati molliùs puluilli; *aliter Cambyſes iudicem ſedere iuſſit*. Sellam pellitam hic judicaturo dedit, quàm utique non pecudi detractæ tegebant exuviæ, ſed qui ante paulò præerat, Iudicis. Hoc ſupplicium ab illo exegit ſua iniquitas. *Non tam iuris alieni vindex*, quàm hoſtis fuit, *toties reus ipſe, quot inſontes iniuriam paſſi. Cauſa apud illum melior, quæ eſſet quæſtuoſior*. Exhorruit facinus Cambyſes, novoque mulctavit ſupplicio. *Exui pelle iuſſit, qui bonis tot cives exuit; ac, ut iret in Iudices*, qui ſuccederent, *timor*, ſellam Iudi-

Iudiciariam eâ pelle contexit. *Primus, qui huic Parentis corio inſedit, filius fuit*. Puduit *Paterni dedecoris, ſed ſimul ſceleris*, cujus pæna ſemper oculis ſubjecta, filium in officio continebat. *In hoc vno degenerem à Parente* voluit Cambyſes, *ni ſuam quoque pellem*. ſibi ſucceſſuris Iudicibus vellet inſternere. *Equidem, ſi Iudices ſic plectantur*, & par flagitium, *plures hodie Sellæ Iudiciariæ, Iudicum exuviis infames cernerentur*.

5. Pugio Trajani.

Plinius Traianum in aſtra pænè extulit; *Sed non ſufficit unus Orator tanto Principi*. In Optimo *(quod illi nomen acta indiderant)* nil non ſummum fuit; *ſed æquitas obtinuit faſtigium*. Hanc Gregorius cognomento Major *Averni tenebris invidit*, & Trajano cœli adyta reſeraſſet in ejuſdem

jusdem vintutis præmium. Mihi aliud quàm Gregorio mentem fodi cat, *nempe Pugio Traiani*, *cum quo imperium cæpit*. *Non sat tuta illi potestas visa, ubi inermis esset iustitia.* Ergo armorum Arbitro pugionem obtulit Princeps, illud adijciens. *Hoc utere aut pro me, aut contra me. Primum, si iuris vindicem me videris: alterum à Te exiget, læsa in minimo iuris alieni auctoritas* O Principem huic sæculo invidendum! Deest hic pugio his sæculis, hinc & æquitas foro &c.

6. *Manliana Iudicia.*

Aliquando crimen est, esse bonum, & *laus in probrum recidit*. Romam provoco, ubi & *virtus aliquãdo plecti meruit*. Manlium cogitate, cui tunc armorum imperium Roma dederat. Edicto is caverat, ne quis

quis hostem suo injussu lacesseret. Obtulit hostem & arenam sors Magistro equitum; *puduitque non vincere*. vicit, & ab hoste prostrato spolia Duci tulit. Quid verò ad hæc Manlius? *Crimen illi victoria visa, plusque momenti in imperii reverẽtia.* Hæc ergo violata iram imperatoris elicuit. Nec preces exercitûs ovantis valuêre, quin ultricem virtutis securim victor excipere cogeretur. Hinc in terrorem lata *Iudicia Manliana*.

7. *Laus egregij Iudicis N.*

Etiam Tu Areopagi Sarmatici illustre lumen, Regnique legum summus arbiter: *Nulli nisi, pessimis malus; asylum supplici*, si jura finerent: *reo scopulus*, si id poscerẽt noxæ contagia, tam *impunem licentiam*, quàm *ream* minimè pateris *innocen-*

nocentiam. Alibi *medius partium* non alio deflexisti, quàm quò legum integritas declinaret, quarum pondus majestatemque usu sancire *Iudici congruum*, *tibi ingenium*. Non *vis munerum* aliò impulit, *frequens fori contagium*, cùm *inaccessa donis æquitas*, venalem justitiam prohiberet. Quare judiciaria Themis te summæ gloriæ addixit, reum utique perennaturæ famæ. Par tibi legum peritia ac tutela, *nec vitii capax*, *nec convitii*, ut nempe *potior in foro, qui iustior, meliusque ius dicit, qui servat &c.*

§. 2.

PÆNÆ IUDICIARIÆ.

His præmitto imprimis decem Ægypti, carmine comprehensas, quibus per Moysen attrita, in vindictam scelerum & obstinati pectoris.

Prima rubens unda est: ranarum plaga secunda:
Inde culex tristis: post musca nocentior istis:
Quinta pecus stravit: Vesicas sexta creavit.
Postq; subit grando; mox bruchus dente nefando:
Nona tegit solem- primam necat ultima prolem.

I. *Vindex Annulus.*

Reus *Annibal* invasæ urbis, *reus & nimiæ fortunæ fuit*, *quæ illum reddidit infelicem*. Nam primò Campaniæ luxus imbellem effecit, deinde *Fabius morâ attrivit*, demum seipso vindice pænas expendit. *Annulus illi fata obtulit*, *cuius gemma venenum biberat*. Is maturandi lethi modus, placuit, reo Romæ ad Cannas pænè jam deletæ, Annibali, si a-

cie victum Roma caperet. *Eventū præscit timor*, victusque tandem acie, *fatis ab annulo petitus ludibrio se eripuit*, & longæ morti vel vinculis! Sic Romanæ cladis vindex annulus fuit, *morique coegit formidine victum*!

2. Vindex Oenopolæ Miluus.

Non semper sontes ferrum iugulat, sed aures quandoq; in munus Nemesis deputantur. Sic Ibycum grues, sic vultur Prometheum, exagitarunt! *Miluus etiam his adiicitur.* Meminit Lugdunum, ubi rea damnum intulit, pertulitque avaritia. *Oenopolam ibi aquæ ditarant* quibus vini pretium mistura, & sitis lucri dederat. *Merum is noluit esse merum, quin dilueret*; diuque *sic Lymphatum propinavit Impostor Creticus*. Sed non diu *scelus venale in pretio*. Nam dum aurum scelere congestum depromit, amittit, miluo in Marsupium involante. Nec terruit pondus, quin velut plumam rostro attolleret, ac volatu spem repetundarum auferret. Secutus *alitem raptorem* Oenopola, frustra voce blanditus, frustra terriculis rapinam revocās. Iam in littus evaserat, ubi Araris fluvius latè exundat: dum ales medium amnem prætervolans, *pondere vincitur*, aurumque in gurgitē demittit. Hærebat attonitus, nec jam *bene ominatus Caupo*; illud tantùm secum revolvens, quòd *aquis partæ opes, meritò aquis haurirentur*. Sic nullum impune præterit crimen: & dolos quandoque aves & aquæ plectunt!

3. *Discrimen Pœnarum, vt reorum, exemplo Pipini & Canuti.*

Inter reos & supplicia discrimen esto. Etiam in pœnis par est fortunæ meminisse, etsi ejusdem oblivio facinorosum cepit. Sic pænas præter alios discrevit *Canutus, sic Pipinus.* Primus Vandalis, alter occidenti imperavit. Ibi dum *latrocinia laqueo* mulctarentur, unus *supplicii dedecori fortunam opposuit*, seque in Canuti originem retulit. *Data mēdacio fides*, & ne tam altæ origini daretur nihil, Crux altior sontem extulit. *Alter Pipinus* in Bernardum fratrem conjurationis reum. Nam alijs effossi ferro oculi, ne abducerent in præceps perduelles: *sed fratri illustrior pœna*: Aurea peluis, radijs solis opposita, in quam continuò figen-

figenda illi fuit oculorum acies. Sic auri luminisque *fulgor sontem excæcavit!* Adeo mortales etiam in supplicijs fastum quærunt, amantquè! Pudet, si ut viles vernulæ cadant, dum scelera mori jubet veluti minuat mali dolorem pretiosior catasta vel pœna &c.

4. *Furius veneficij accusatus innoxiè crimen fatetur.*

Agor veneficij reus, Iudices, & si quæ mihi opes, *malis artibus destinantur.* Qui me maleficij damnant, *ex peculio scelus deducunt*, quasi hæc rerum copia haud aliter parari queat; *& Plutus egeat Plutonis ope. Iovem lapidem, si quidquam veriùs.* Crimen mihi impingitur, quòd si à me amoliar, infensa mihi sit futura veritas. Sunt mihi omninò *artes, est labor improbus, qui me beatum efficit.*

& sui temporis Midam. Ne multis agam, profero veneficij instrumenta, *en rastrum, en sarculum, en ligonem, en aratrum, & iuga boum*; en alia opificiorum adminicula; *hæc sunt, quæ si veneficum non probant, nullum veneficiì damnant.* Sudorem mihi labor elicit, sed *messis detergit*: in terra defodio sementem, & aurum hinc cum fruge colligo. Hinc mihi opes istæ: Sic ego veneficus, & plures tales terris voveo. *Ita contra se Furius, sed pro se veriùs.* nec ultra veneficum livor dixit.

5, *Pœna tacita.*

Vinius ad pœnas poscitur servili probro respersus, veluti scyphum aureum in convivio Claudij sic furatus. Claudius postera die, soli omnium Vinio fictilibus ministrari jussit. *Sat pænæ*, ubi per deridiculum

sat ignominiæ. Nec enim furta semper laqueus expendit; est, ubi graviùs strangulet pudor. qui vivo etiam non parcit, quamdiu spirat. At in Vinio plus valuit hoc pænæ genus. Indoluit ludibrio mensæ, & Palatinæ epulæ illi pro cicuta. Nec enim tanti pretium scyphi, quanti hæc labes Nominis, & incussus convivanti rubor, ubi ad famia vasa damnato furtum ipsæ exprobrarunt mensæ. Auctus supplicio pudor, quod alios i: præteriret, solum plecteret, cui pretiosior argilla non tutò jam crederetur. Tanti erat sitim alieni auri bibisse in cratere.

Neque plura jam Admirabili Eloquentiæ proferre vacat: Sat illi tenuia hæc in mirabili supplico finijsse.

FINIS.

COROLLARIVM
Ad Criptographiam ſupra indicatam

Admirabilius exercendam.

Ut admirabilis Eloquentia in mira deſinat, Criptographiæ admirabilis modum ſupra inſinuatis ad calcem adijcio.

I.

Admirabilis Criptographiæ modus, ex P. Athanaſio Kircher, Soc. IESV.

Hunc quatuor conſtituunt: Abacus numeralis: clavis Criptographica: epiſtola vel diſcurſus familiaris ſententiam reſpiciens: Secretum ſeu occultus conceptus alicui revelandus.

Abacus numeralis habet duo alphabeta, Frontale & Laterale. Primum indicat literas ſententiæ vel clavis Criptographicæ, quæ ſententia epiſtolæ proponitur quacunque lingua. v. g. ſi velles monere: *ſtate cauti*: ſententia poſſet aſſumi; Omnia ſunt hominum tenui pendentia filô. Laterale alphabetum indicat literas ſecreti. Appono utriuſque alphabeti tabellam numeralem.

In hac Tabella ſeu Abaco, vide quotus ſit numerus, ubi litera ſen-

tentiæ ſeu clavis Criptographicæ, (v.g. illius, omnia ſunt hominum &c.) & litera ſecreti (illius, State cauti) concurrat in tabella numeraria: nam totidem literæ numerandæ ſunt in epiſtola ſeu diſcurſu, & ſub ultima diſcursûs litera illum numerum claudente, punctum ſeu virgula notanda, ut amicus ex illis numeris literarum, colligat de literis; is enim acceptâ Claue Criptographicâ (v.g ex ſententiæ prima litera O, omnia ſunt hominum &c cujus literæ numerum ſub ſeptima litera diſcurſûs notaſti, eò quòd litera Alphabeti Frontalis, & litera prima ſecreti S in State cauti, ibi concurrat in Alphabeto laterali, ubi eſt 7.) videbit deorſum deſcendens, quæ litera numero 7. in literali alphabeto reſpondeat; & colliget ſecreti primam literam eſſe S;

&

Alphabetum Frontale

Alphabetum Laterale.

	a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	ſ	t	u	x	y	z	&
a	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24
b	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1
c	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2
d	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3
e	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4
f	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5
g	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6
h	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7
i	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8
k	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9
l	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
m	[illegible]	[illegible]	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11
n	13	14	15	[illegible]	[illegible]	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
o	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
p	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
q	16	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
	17	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
ſ	18	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17
t	19	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
u	20	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
x	21	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	27	18	19	20
y	22	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21
	23	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22
&	24	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	22	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23

& ſic de alijs ſequentibus literis inquirendum.

Quia verò clavis Criptographica poteſt aliquam ſecreti ſuſpicionem parere; poteſt clavis hæc omitti, & locò illius poterit prima litera epiſtolæ quæri in alphabeto Frõtáli, litera verò ſecreti in alphabeto Laterali, & ſimiliter literæ conſequentes: puncta verò numerorũ, ſicut notabantur aſſumpta Clave Criptographicà, ſic notentur in epiſtola. Certe ſic poterit etiam totidem literis poni ſenſus contrarius ſecreto, ut ſi ſit ſecretum: Vir eſt optimus: jam verò epiſtola dicat: Vir eſt peſſimus.

Præterea poterit omnibus ferè linguis hoc artificium Criptographicum applicari: imò poteſt alià linguâ epiſtola, alia ſecretum, alià clavis Criptographica ſcribi.

Ne tamen quis ex punctis numerorum, quæ literis supponuntur, conjecturam secreti capiat; poterũt loco punctorum aliter formari literæ, qua punctis notandæ fuerant.

Porro Epistola vel discursus pro libitu confici potest, non enim ad ea advertitur, sed ad puncta literarum, quæ literis ibi contentis subjiciuntur. Discursus tamen nihil aget de contentis in secreto; sed diversa sonet.

Denique abaci numerales tum scribenti, tum amico, cui scribitur, sint manifesti: & præ oculis habeantur non enim talis indagatio secreti vi solius memoriæ aut imaginationis potest institui.

2. *Ad-*

2

Admirabilis Criptographiæ modi indicantur ex Tritemio Abbate.

Ioãnnes Tritemius Abbas Spanheimensis Ordinis S Benedicti scripsit sex libros Polygraphiæ, Steganographiæ octo, postquam in animum induxit, ut inveniret tale quidpiam, quod nemo adhuc sciret.

Primus liber Steganographiæ continet centum modos occultè sine suspicione legentis ac literarum transpositione; ita ut nemo assequi etiam conjectura possit ibidem scriptò comprehensa, etsi verba sint plana, nisi tuô Magisteriò.

Secundus docet, per ignem posse conceptum mentis alteri etiam peregrè

regrè degenti indicari ſine linguæ vel calami, aut ſigni alterius uſu, per quemcunque nuntium, qui nihil poſſit ediſſerere de re nuntianda: ajtque eundem mentis conceptum ſignificari poſſe etiam in ergaſtulum compacto, vel tribus leucis ſub terraneo in loco, fatiſcenti.

Tertius liber docet artem, per quam idiota geminæ horæ ſpatio diſceret Latinè, ornatè & diſertè ſcribere idque intelligere.

Quartus docet poſſe mentem indicari alteri artis ejuſdem non imperito, idque inter quævis negotia, nullo impedimento actionis etiam clauſis oculis, abſque ullo ſigno: teſtaturque ſe omnia hujuſmodi facere poſſe citra ullam ſuperſtitionem, & damnatæ Magiæ exercitium: etſi hæc Tritemij inventa in Necromantiæ ſuſpicionem apud quoſ-

quoſdam incurrant. Sanè Bellarminus Steganographiam illius Magiæ damnat & pernicioſorum dogmatum; etſi hoc crimen ab illo amoliantur alij cum P. Schotto, parte quartā Magiæ naturalis.

In Polygraphia idem Tritemius primo conficit ferè quadringenta alphabeta, ubi ſingulis literis, aliquot dictiones adijcit, quæ eſſent loco literarum alphabeti. Vide ſi libet, hunc Auctorem.

Erra-

Errata corrige.

PAg 4 *litera,tum* pro literatum p. 6. *ab hoc aliquãdo*, pro, ab hoc liquido. p 26. omissus hic versus: *Secundus Modus requirit alphabetum cum subitis fictis dictionibus* p 65. *Tira*, pro Titan, p. 89 *cachinnis*, adde concuti. Ib. *versus*, pro, verus. p 93. *alicui*, pro alieni, p. 100. *infallibilis*, pro ineffabilis: Ibid. *indignæ*, pro dignæ. p 159. *Princeps*, pro præceps. Ibid *mutuat*, pro maturat. Ibid. *alias*, pro alas. p 171 *Atque Andronico*, pro Atque sic Andr. p. 172 *admiserunt* pro demiserunt. p. 179 *facundius*, pro fædius p. 182 *laxum*, pro luxum: p. 203 *plurium adhuc*, adde *capaxi* p. 213 *retrogrado*, pro retrogrado. p. 222 *obelistũ* pro obeliscum: p 236 *tenebris*, pro, tenebis. p. 245 *tonuergit*, pro, inverg t, p: 247 versus est hic omissus: *vel cum saltem difficulter una ex oppositis Problematis partibus evincipossit.* Ibid *super* pro *superat*, p 254 *obsuerant*, pro, absuerant p. 254. *nexa*, pro noxa. p 258. *in miracula*, pro, in Phœnice miracula p. 261. *Alii*, pro, aliis. p 266 *pe*, pro, par. p. 276 *in aperto*, pro in operto p. 279.

p. 279. *abolita*, pro, abolito. Ibid. *adiis*, pro adiit. p 280 *capax*, pro apex p. 284 *potior*, pro parcior p 350 *utrumq;* pro, utriusque p. 354. *non sestertium mille verbera*, pro, non sestertia, sed mille verbera p 358. *comitus*, adde, *Principis* Ibid: *probi*, pro, improbi. p 359. *precatum*, pro præcautum p: 379 *novem*, pro, noctem. p. 384 *adjici*, pro adjiciens. p. 386. *eandem*, pro eadem. p. 389 *elienis*. pro. evenis. p. 392 *ne præstes*, pro, ne præstet. p 397 *intentum*, pro, interitum. p. 398. *Utopionum*, pro, utopicrum. p. 400, *choraliq;* pro, choraulisque, p. 406. *Sicili*, pro Silicis. p. 408. *Ecclesiam* pro Eclipticam. p 417. *nearis*, pro nemo aris p. 426 *Rota etiam*, pro Vota etiam. p. 439. *iusta*. pro jussa. p: 445 *pellio*, pro Pollio. p. 457. *si diffidas*, pro diffindas. p 459 *veteratrices*, pro veratrices Ibid. *luditur*, pro læditur. p. 464 *lignpius*, pro, ligurius. p 455 *Limodis*, pro Limonis. p. 471 *sentadam*, pro sentidam. p. 472 *voraria*. pro roraria p 475. *dapilionem*, pro papilionem p. 476 *corvis*, pro Cervis p 478 *fraximum*, pro fraxinum. p 482 *nnus*, pro unum. p. 484 *Venetiis*, pro Venetias,

tias p. 495 *exigit*, pro exegit. p.502 *&
tribus*, pro & tres. p.505. *eripit*, pro e-
rupit.p.512 *ingloria*, pro ingluvie. p.
529 *prohibitis*, pro, præhabitis. p: 534.
connexu, pro contextu,p,599. *evoca*, pro
vocat. versus hic omissus post verba,
*apud Deum: nam apud illos Crux integra
tot lustris delituit; tu nec Deum vivere vo-
luisti.* p. 602, *Patriæ fetum*, pro fatum.
p. 704- *Pæanum*, pro, Oceanum, p.
717. *flammeum votorum*, pro, torrem,
p. 741, *perfusum*, pro pertusum, p 742
duobus, pro ducibus. p. 744, *titubantem
glomerantem*, pro, glomerat. p. 750.
contra auscultantis. pro, Comitij auscul-
tantis. p 753. *vetera*. pro præterea.
p. 810. ingeniorum *potentum*, pro por.
tentum. p: 822, *Primus sibi*, pro Pri.
mus ibi p. 814. *gratiatiani*,
pro grati animi.